'OVIDIUS'
300

P. OVIDII NASONIS

"OPERA,"

E TEXTU BURMANNI;

CUM NOTIS BENTLEII

HACTENUS INEDITIS, NECNON

HARLESII, GIERIGII, BURMANNI, LEMAIRII,

ET ALIORUM SELECTISSIMIS.

VOLUMEN QUINTUM.

OXONII,

IMPENSIS TALBOYS ET WHEELER; ET
GULIELMI PICKERING, LONDINI.

M DCCC XXVI.

LIBRARY
MAR

PA
6519
A2
1825
V.5

PROŒMIUM.

QUÆ causa impulerit Ovidium, ut ad Fastos Romanorum elegis exornandos adjiceret animum, equidem liquido dicere non ausim. Mitto Propertii (IV. i. 69.) verba, *Sacra diesque canam, et cognomina prisca locorum*, quibus excitatus prævenisse amicum nonnullis videtur. Memorabilior est sententia eorum, qui Callimachum putant ab eo esse expressum. Hunc enim constat carmine, cui Αἰτίων sive *Causarum* nomen inscriptum, rerum antiquissimarum, ad Deos et heroas pertinentium causas (αἴτια ὠγυγίων ἡρώων καὶ μακάρων) explicuisse; cujus carminis fragmenta, sed brevissima, Bentleii curis collecta, in editione Callimachi Ernestina, tom. ii. p. 416—426. leguntur. Et ex his quidem fragmentis operis ratio minime cognoscitur; verum Anthologia Græca, tom. iv. pag. 236. Epigramma habet, unde poetam usum esse hoc figmento videmus, ut in somnis se diceret in Helicona abreptum, quæ quæreret, ex ipsis Musis accepisse. Et sane, etiam Ovidius in Fastorum opere *Causas* multarum rerum, non Romanarum tantum, exponit, quin et Deos sibi Musasque fingit apparuisse, ut, quæ abdita laterent, sibi aperirent. Etiam hoc certum est, Callimachi carmen satis notum fuisse Romanis, laudatumque a Varrone, Martiali, Plutarcho, Servio, aliisque. Ruhnkenius denique locum ex Trist. V. v. 33 sqq. notavit, quem ex ipsis illis Callimachi Αἰτίοις expressum esse judicat. Concedamus igitur, quod et recentissimi Fastorum Interpretes, Lenzius, Krebsius, Gesenius, amplexi sunt, quodque etiam Jacobs in Animadv. ad Anthol. Græc. vol. III. p. ii. p. 161. tuetur, Callimachi carmen obversatum esse Ovidii ingenio, quum suum opus moliretur. Aliud tamen est, causas rerum ab heroibus gesta-

rum, non constat quo ordine, canere; aliud, Kalendarium Romanum carmine persequi, causasque reddere eorum omnium, quæ ad dies singulos paucis literis notata erant[a]. Exemplum ejus Argumentis librorum subjecimus, id quidem, quod e pluribus, quæ exstant, etiam Mitscherlichius elegit. Formam ejus fuisse videmus talem, ut non nisi ingenium multarum rerum scientia inundatum, atque tenuissimis etiam rebus exornandis idoneum, ad se tractandum invitare posset.

In examinandis carminibus inventio rerum ac dispositio primum spectari solet; atque his ingenium poetæ vel maxime æstimatur. Verum Ovidio inde laus debetur prope nulla; etenim Fasti docebant ipsi, et quas res, et quo ordine singulas tractaret. Illæ vero ad hæc ferme capita revocari possunt: ad descriptionem anni Romani, numerum, ordinem et nomina mensium, discriminaque dierum; ad cœlestia nonnulla, ortum et occasum siderum, initia vicissitudinum annuarum, solisque per signa Zodiaci decursum; ad dedicationem templorum; ad festorum et ludorum vel rationem, vel originem; ad res denique memorabiles, vel ab antiquis Romanis, vel ab Augusto, Tiberio Germanicoque gestis. His Ovidius præter necessitatem siderum multorum originem addidit. Insigne igitur hoc opus et uberrimum dixeris a rerum ad cognoscendum minime illiberalium copia. In istis autem omnibus non licebat poetæ, quæ vellet, fingere, sed ea lege tenebatur, ut quæ notata essent ab aliis, aut tradita, ea fideliter repeteret; et, si traditiones sententiæque inter se dissiderent, aut eam excerperet, quæ ipsi videretur proxime ad verum accedere, aut plures lectori dijudicandas proponeret. Atque hunc cursum per totum carmen tenuit. Ortum et occasum siderum notasse videtur e Kalendario quodam, adhibito

[a] De *Fastis* Romanorum, tam *Kalendaribus* quam *Historicis*, pauca diximus, ad i. 1 et 7. Plura de iis disputat *Gesenius* in Symbolis Observat. ad Ovidii Fastos. Nonnulla etiam præmisit Lenzius notis ad loca selecta Fastorum in Encycl. Schol.

etiam Astronomi cujusdam Græci libro; originem siderum hausit ex mythologis, quos in Metamorphosesin secutus erat; reliqua petiit non ex Annalibus tantum, quanquam eos solos bis nominat, sed e plurimis illis monumentis librisque, quibus res Romanorum enarratæ atque illustratæ erant. Multi enim, in quibus Varro præ cæteris memorabilis, in rituum Romanorum origines diligenter inquisiverant; unde et serius Plutarchus *Quæstiones* suas *Romanas*, aut Κεφαλαίων καταγραφὴν excerpsit, quibus et ipsis in Romuli Vita nomen Αἰτίων Ῥωμαϊκῶν tribuit. Quin Butas quidam carmine elegiaco et ipse hoc argumentum tractavit, cecinitque Αἰτίας μυθώδεις περὶ τῶν Ῥωμαϊκῶν, e quibus Plutarchus, in Rom. 20. distichon laudat. Sed non constat, quo tempore Butas ille vixerit.

Rerum porro istarum acervum ita tractavit Ovidius, ut insignem illam ingenii vim, egregium illud ingenii flumen, quod per totum Metamorphoseon opus spectandum et admirandum proposuit, plurimis locis desideres. Mirificus ibi est in rebus, quas traditas acceperat, explicandis et exornandis: in Fastorum autem carmine multa tenuiter tractata, multa breviter relata, multa ex aliis scriptoribus repetita videmus. Neque aliter per rerum illarum naturam fieri poterat, quum sæpe Grammatici partes agendæ essent, quas ille minime fastidivit; immo diserte id egit, ut docendo et explicando prodesset tam æqualibus, quam posteris vetustatis cognoscendæ cupidis. Non tamen, quum hæc dico, sua laude poetica hoc carmen fraudare volo. Quod contra ita decurrit, ut mentem tuam alliciat, allectam suaviter teneat. In illecebris, quas eum in usum adhibuit, primum posuerim *interventum Deorum*. Sic in principio statim operis *Janus* adest, omnemque mythologiam suam, implicitam illam sane, longiore illo cum vate sermone, 89—286. expedit. Procedente libro illo, ver. 695. *Musa* intervenit atque Sementivæ originem indicat. Lib. iii. 170. *Mars* eloquitur, quæ sint Matronalia; ver. 260. *Egeria* Nympha, cur Salii Martis arma ferant, enar-

rat. Lib. iv. init. *Venus* adest, poetamque myrto tactum numine suo implet; ver. 191. *Magna Mater* unam ex *Musis* excitat, quæ eumdem instruat; ver. 723. *Pales* adjuvat Palilia canentem; v. 191. *Flora* ipsa facundissime omnia, quæ ad ipsam pertinebant, refert; vi. 251. *Vesta* nonnulla suppeditat de sacris suis: ver. 655. *Minerva* discessum tibicinum narrat et reditum. Sed in primis memorabilia sunt duo ex hoc genere loca; V. init. ubi tres *Musæ*, et VI. init. ubi *Juno*, *Hebe* et *Concordia* sententias dicunt de nominibus Maii et Junii; quibus locis disquisitio grammatica, eaque admodum tenuis, dramatis suavissimi formam induit. In reliquis illis figmentis non multum quidem ingenii elucet; namque Dii vel respondent interrogati ad singula, vel continua utuntur oratione; tamen vel sic non male variatur et animatur carmen. Varietatis causa et homines vates induxit, sacerdotem, hospitem et matronam, a quibus se nonnulla accepisse fingeret. In rebus vel gestis, vel ut gestis referendis ubique se ut poetam ostendit, verbis delectis, figuris, sententiis insertis, notationibus variis, oratiunculis fictis. Non enim ut historicus, ii. 195 sqq. interitum Fabiorum in bello Veientino narrat; non ii. 394 sqq. negotium eorum, qui Romulum et Remum in Tiberi mergendos ferebant; non ii. 685—852. Tarquinii Superbi, Sextique filii facinora; non iii. 259—398. delapsum peltæ e cœlo; non 523—685. Annæ discessum a sorore et adventum in Italia; non iv. 249—348. curam Romanorum in arcessenda Magna Matre Deum. Tam illa, quam plura alia loca poeticis luminibus distincta vides. Et quoniam in illis historiæ fides impetum ingenii coercebat, idcirco etiam ea admiscuit, in quibus ingenio suo atque phantasiæ posset indulgere, ut iii. 459—516. Thesei et Ariadnes fabulam, quam in Metamorphosesin breviter attigerat; iv. 417—620. Proserpinæ raptum Cererisque errores. Adde ludicra illa, i. 393. de Sileni asello Priapique libidine, quæ cum varietate quadam repetita sunt lib. vi; tum ii. 305. de Omphale et Hercule; iii. 741. de Sileno mel reperi-

ente: in quibus eandem, quam in altero illo opere, et phantasiam et petulantiam observabis. Insignis est locus, ingenioque poetico dignus, iii. 11—54. de Rhea Silvia; suavissima reperitur, v. 191—330. Floræ narratio. Quid? quod et tenuissimis rebus, quæ ad numerum et ordinem mensium, ad discrimen dierum, ad etyma vocabulorum pertinent, genealogiæ Dardani, Pleiadum nominibus, catalogo Græcorum, qui in Italiam pervenerunt, aliquid tamen gratiæ addidit, ut libenter cognoscantur. Illis multa interposuit, quæ lectorem impense tenent, veris descriptionem, laudes primorum Astronomorum, locum egregium de Veneris potentia, hymnos, preces ad Cererem et Terram, ad Palen, ad Robiginem, et mercatorum ad Mercurium, notationes morum priscis et recentioribus temporibus, Augusti laudes et cum Romulo comparationem. Sedulo elaboravit, ut rebus tractandis variam formam daret, ut plurima animaret, atque doctrinæ suæ copiis exornaret. Ac varietatem quidem haud scio an in vinculis quoque admireris, quibus singulorum dierum seriem connectit. Rerum igitur innumerarum copiam, quas nosse et Romanorum olim intererat, et hodie nostra interest, perspicue atque jucunde retulit, neque neglexit Augustum, omnemque domum Cæsaream pie venerari.

In hoc carmine componendo *Elegos* adhibuit, quibus antea in amoribus canendis usus erat. Quam audaciam excusat, lib. ii. init. et multo magis, ver. 125. ubi honores Augusti celebrat, eamque tangit etiam vi. 21. An Callimachus in causis suis eodem carminis genere usus sit, in eo viri docti non consentiunt; affirmant enim Salmasius ad Solin. p. 601. et Hemsterhusius in Ed. Ern. ad fragm. 19. quos Lenzius sequitur; negant Valckenarius ad Callimachi fragm. p. 10. et Ernesti. Ac Lenzius quidem etiam observat, Propertium quoque carmina quædam argumenti historici elegis concinnasse.

Quum Ovidius hos sex Fastorum libros Augusto sacratos absolvisset, A. U. 762. ætatis 52. patria pulsus est;

Trist. ii. 532—549. Sed in exsilio eos recognovit, atque nonnulla, quæ serius gesta erant, inseruit; nam et de exsilio suo queritur, et Germanici de Cheruscis atque Cattis triumphum, qui in A. U. 770 incidit, memorat. Opus sic auctum, atque, quum Augustus interea exstinctus esset, Cæsari Germanico dedicatum, eodem illo haud dubie anno vulgavit. Paulo post ipse mortuus est, neque adeo reliquos menses, quos se et ipsos cantaturum esse, ii. 57. promiserat, addere potuit. Vid. Masson. in Vita Ovidii, ad A. U. 759. 762. 770.

AMICE LECTOR,

Kalendarium, quod vides, quum in vetustis membranis reperissem, quamvis mendosum fœdeque depravatum multis partibus et ab homine hujus argumenti non satis perito confectum, quia tamen Fastis Nasonianis attexitur plerumque in codicibus antiquis, nos quoque illud in editione hac nostra nequaquam duximus omittendum, adornaturi et ipsi aliquando Fastos, qui Nasonianis accuratius respondeant. Vale.

KALENDARIUM.

JANUARIUS.

A Kal. Januarii. Jani festum, Junonis, Jovis et Æsculapii.
b iv No.
c iii No. Cancer occidit cosmice.
d ii No.
e Nonis. Lyra oritur.
f viii Id.
g vii Id.
A vi Id. Festa Jani, Agonalia. Delphin oritur.
b v Id. Medietas hyemis.
c iv Id.
d iii Id. Festa Carmentis et Juturnæ.
e ii Id.
f Idibus. Festum Jovis. Redditæ sunt provinciæ populo Romano.
g xix Kal. Februarii. Cæsar Augustus vocatur.
A xviii Kal. Sacrificium Carmentis. Festum Porrimæ et Postvertæ.
b xvii Kal. Festum Concordiæ.
c xvi Kal.
d xv Kal. Sol in aquario.
e xiv Kal.
f xiii Kal.
g xii Kal.
A xi Kal.
b x Kal.
c ix Kal. Lyra occidit.
d viii Kal. Pectus Leonis occulitur.
e vii Kal.

f vi Kal. Festum Castoris et Pollucis.
g v Kal.
A iv Kal.
b iii Kal. Festum Pacis.
c ii Kal.

FEBRUARIUS.

d Kal. Febr. Templum factum est Carmenti. Celebratur Asylum.
e iv No. Lyra penitus occidit.
f iii No. Occidit Delphin.
g ii No.
A Nonis. Augustus dictus est pater patriæ. Aquarius vadit ad occasum.
b viii Id.
c vii Id. (Primus dies Feralium.)
d vi Id.
e v Id. Ver incipit.
f iv Id. Initium Veris.
g iii Id. Bootes oritur, et est festum Fauni.
A ii Id.
b Idibus. Festum Jovis et Fauni. Nefastus dies Fabiorum.
c xvi Kal. Martii. Anguis, Corvus, Crater oriuntur.
d xv Kal. Sol intrat in Pisces. Iterum Fauni.
e xiv Kal.
f xiii Kal. Festum Quirini. Festum Stultorum et Fornacis.
g xii Kal. Feralia.
A xi Kal. Caristia virorum.
b x Kal. Termini.
c ix Kal.
d viii Kal. Fuga Tarquinii Superbi. Veris initium.
e vii Kal.
f vi Kal.
g v Kal.
A iv Kal.
b iii Kal. Equiria in campo Martio.
c ii Kal.

MARTIUS.

d Kal. Martii. Festum Martis et Junonis. Ancilia feruntur. Non est bonum nubere.
e vi No.
f v No. Alter piscium conditur. Oritur vindemitor.
g iv No. Bootes citius, vindemitor tardius occidunt cosmice.
A iii No. Festum Vestæ. Cathedra Julii.
b ii No. Festum Vejovis. Pegasus oritur heliace.
c Nonis.
d viii Id. Corona Ariadnes oritur.
e vii Id.
f vi Id.
g v Id.
A iv Id.
b iii Id.
c ii Id. Altera Equiria fiunt juxta Tyberim.
d Idibus. Festum Annæ Perennæ. Julius Cæsar occisus in Capitolio.
e xvii Kal. Aprilis. Scorpius oritur.
f xvi Kal. Milvius oritur. Festum Bacchi. Vilis anicula hederis coronata vendit populo libatum. Melle Libero patri sacrificatur. Libera toga datur. Milvus oritur chronice. Festum est Ledæorum qui fuerunt Argivi, vel Larium.
g xv Kal.
A xiv Kal. Quinquatria Palladis captæ.
b xiii Kal.
c xii Kal.
d xi Kal. Sol in Arietem.
e x Kal. Ultimus dies quinquatruum.
f ix Kal.
g viii Kal. Æquinoctium vernale.
A vii Kal.
b vi Kal.

c v Kal. Festum Jani, Concordiæ, Pacis, et Salutis.
d iv Kal.
e iii Kal.
f ii Kal. Festa Lunæ habentis templum in Aventino monte.

APRILIS.

g Kal. Aprilis. Festum Veneris et Virilis Fortunæ. Scorpius occidit.
A iv No. Pleiades oriuntur.
b iii No. Meretrices lavantur sub myrtho. Fors Fortuna Virilis. Scorpius occidit cosmice.
c ii No. Hebæ et Matri Deorum Megalenses ludi fiunt.
d Nonis. Festum publicæ Fortunæ.
e viii Id. Orion occidit chronice.
f vii Id. Festum Cerealium ludorum. Libra occidit cosmice. Juba victus est a Julio Cæsare.
g vi Id.
A v Id.
b iv Id.
c iii Id.
d ii Id.
e Idibus. Festum Jovis Victoris. Templum—Libertatis.
f xviii Kal. Maii. Dies grandinosa. Augustus Cæsar vicit Mutinenses.
g xvii Kal. Forda litatur Telluri.
A xvi Kal. Triumphus Augusti. Hyades occidunt heliace.
b xv Kal. Sol in Taurum.
c xiv Kal. Equiria. Combustio vulpium.
d xiii Kal. Festa Palis. Roma condita.
e xii Fal. Festa Veneris Vinalia.
f xi Kal.
g x Kal.
A ix Kal.
b viii Kal.
c vii Kal.
d vi Kal. Festum Rubiginis. Aries oritur heliace. Prothius

oritur cosmice, occidit heliace. Tempora Veris prima finita sunt.

e v Kal.
f iv Kal. Festum Floræ et Vestæ.
g iii Kal.
A ii Kal.

MAIUS.

b Kal. Maii. Amalthea capra oritur cosmice. Ara Laribus posita.
c vi No. Flat ventus Argestes. Hyades oriuntur cosmice. Finis Floralium.
d v No. Panthera Chironis oritur chronice.
e iv No.
f iii No. Stellificatio Lyræ. Sagittarius oritur.
g ii No. Scorpius apparet in parte media.
A Nonis.
b viii Id. Lemuria celebrantur. Non est bonum nubere.
c vii Id. Orion occidit chronice.
d vi Id. Festum Martis Bisultoris.
e v Id.
f iv Id.
g iii Id.
A ii Id. Pleiades oriuntur heliace. Æstas incipit.
b Idibus. Ora tauri oriuntur heliace. Scirpea simulacra mittuntur in Tiberim. Festum est Mercurii.
c xvii Kal. Junii.
d xvi Kal.
e xv Kal. Sol in Geminos. Agonia Junii fiunt.
f xiv Kal. Canis Orionis exit.
g xiii Kal. Lustra Vulcani fiunt.
A xii Kal.
b xi Kal.
c x Kal. Mos sacrorum pro fuga Tarquinii faciundorum, non modo inest fuga Tarquinii: inest viii Kal. Mart.
d ix Kal. Festum Publicæ Fortunæ.

e viii Kal. Rostrum aquilæ oritur chronice.
f vii Kal. Bootes occidit heliace.
g vi Kal. Hyas occidit heliace, oriens cosmice.
A v Kal.
b iv Kal.
c iii Kal.
d ii Kal.

JUNIUS.

c Kal. Junii. Festa Carnæ, Junonis Monetæ, Martis et Tempestatis. Aquila oritur chronice.
f iv No. Hyades oriuntur heliace.
g iii No. Bellonæ Festum.
A ii No. Dedicatio templi Herculis.
b Nonis. Festum Trinomii Dei Fidei Sancti Semipatris. Malum est nubere ante Idus.
c viii Id.
d vii Id. Tergum ursæ occidit heliace, et regis Lycaonis. Lycaonida fiunt, ludi Tyberis.
e vi Id. Datum est templum Menti. Festum est Vestæ. Asinus coronatur. Ara Priapi. Priori Palladium liberatur ab igni Gallico. Mors Crassi et suorum.
f v Id. Delphin oritur chronice.
g iv Id. Matralia fiunt. Rutilius et Didius occiduntur. Templum Fortunæ Servius, Concordiæ Livia dedicavit.
A iii Id.
b ii Id.
c Idibus. Jovi invicto datum est templum. Minora quinquatria Palladis fiunt.
d xviii Kal. Julii.
e xvii Kal. Dione orta est heliace in fronte Tauri.
f xvi Kal. Flat Zephyrus prosper navigantibus.
g xv Kal. Sol in Cancrum. Pallas colitur in Aventina arce.
A xiv Kal. Secundus ventus. Orion oritur heliace.

b	xiii	Kal. Delphin oritur chronice. Sol in Cancrum. Volsci et Æqui vincuntur.
c	xii	Kal. Templum datum est Summano Jovi.
d	xi	Kal. Æsculapius, qui et dicitur Ophiuchus et Serpentarius, chronice oritur.
e	x	Kal.
f	ix	Kal. Victus est Flaminius.
g	viii	Kal. Syphax vincitur. Hasdrubal occiditur. Festum fortis Fortunæ. Solstitium.
A	vii	Kal. Festum Larium et Jovis Statoris.
b	vi	Kal. Orion apparet a Zona inferius. Solstitium.
c	v	Kal. Laurum.
d	iv	Kal. Templum Quirino factum.
e	iii	Kal.
f	ii	Kal. Festum Piëridum.

Quem ortum occasumve siderum astronomi *heliacum,* quem *cosmicum,* quem *acronychium* dicant, admonitum est ad lib. i. ver 295.

LIBRI PRIMI

ARGUMENTUM.

Argumenti expositio et dedicatio, 1—26. Digestio anni per Romulum et Numam, 27—44. Discrimen dierum, 45—62. Kal. Jan. invocavit Jani et bona vota, 63—74. Consules munus ineunt, comitante populo, 75—88. Jani mythologia. Interrogatus apparet Ovidio cum insignibus, 89—99. et ipse res suas explicat, ac primum quidem originem suam atque figuram, 100—114. tum officia et inde orta nomina, 115—132; causam quoque figuræ, 133—144. Hinc expedit nonnulla, quæ ad Kalendas Jan. pertinent, cur novus annus media bruma, non vere incipiat, 145—164; cur eo die causæ forenses agantur, 165—170; cur sibi primo sacra fiant, 171—174; cur læta verba dicantur, 175—182; cur munuscula dentur, 183—226; cur nummi antiqui navem habeant et formam bifrontem, 227—254; cur ipse in uno templo statuam habeat, 255—277; cur tempore belli reseretur ipsius templum, 278—288. Hinc, misso Jano, poeta incipit e Fastis haurire. Dedicatio duorum templorum, Æsculapii et Jovis, 289—294. De exortu et occasu siderum dicturus, laudes astronomorum præmittit, 295—310. Occasus Cancri et Lyræ, 311—316. Agonalium nomen et ratio, 317—334. Digressio ad nomina victimæ et hostiæ, ad sacra prisca et initia victimarum cæsarum; quibus Aristæi fabula intexta, 335—456. Delphini ortus, 457—458. Media hiems, 459—460. Carmentalia, ubi multa de Carmenta, Evandro, Herculis adventu et Caci nece, 461—586. Sacra Jovis, 587—588. Octavianus Augusti nomine ornatus, cujus nominis vis exponitur, 589—616. Iterum Carmentalia, quibus Porrima et Postverta placantur, 617—636. Concordiæ templum a Tiberio restitutum, in quo et Liviæ quædam opera, 637—650. Sol ingreditur Aquarium; Lyra occidit, item Leo, 651—656. Sacra Sementiva, requies, festa, preces rusticorum, pacis salus, 657—704. Castoris et Pollucis templum a Tiberio dedicatum, 705—708. Pacis ara excitata; vota pro pace et domo Cæsarea, 709—724.

VOLUMINIS QUINTI

INDEX SPECIALIS.

	Page
Proœmium	v
Kalendarium	xiii
Fastorum Liber primus	1
——— Liber secundus	55
——— Liber tertius	115
——— Liber quartus	173
——— Liber quintus	245
——— Liber sextus	299

EXCURSUS IN OVIDII FASTOS.

Excursus primus	355
——— secundus	367
——— tertius	378
——— quartus	392
——— quintus	404
——— sextus	407

EXCUDEBANT TALBOYS ET WHEELER.

PUBLII OVIDII NASONIS

FASTORUM

LIBER PRIMUS.

TEMPORA cum causis Latium digesta per annum,
Lapsaque sub terras, ortaque signa, canam.
EXCIPE pacato, Cæsar Germanice, vultu
Hoc opus; et timidæ dirige navis iter:

1—2. *Argumentum.*] Partes, in quas annus apud Romanos divisus, cum causis illius divisionis, atque siderum et ortus et occasus canam. Sic *fastos* circumloquitur. *Fastorum* enim *libri*, interprete Festo, *appellantur, in quibus totius anni fit descriptio.* In iis ordo et discrimina dierum, feriæ, templorum dedicationes, res P. R. maxime memorabiles verbo notatæ, post etiam Cæsarum tituli et honores additi. Recte *causas* memorabilium dierum diserte memorat; in iis enim maxima versatur carminis pars, et inde plurimus ejus ornatus. Sidera *labuntur in cælo*, dum procedunt; Virg. Georg. i. 6. *labentem cælo ducitis annum;* Lucret. i. 2. *cœli subter labentia signa.* Ubi occidunt, *labuntur sub terras;* quemadmodum et hiemem cedentem sol *pulsam agit sub terras*, Virgil. Georg. iv. 51. Parum interest, utrum *canam* legas, an cum MSS nonnullis *cano*. Posterius Heinsius et Burmannus exemplis confirmant; illud comprobant Virgil. Georg. ii. 2; iii. 1; iv. 5; Hor. I. Od. x. 5. et multa alia loca.

3—26. *Dedicatio*, cui etiam de *argumento* carminis plura innexa. *Germanico* carmen dedicavit, tam principi plurimis insignibusque virtutibus ornato, quam poetæ egregio. Suetonius Calig. 1—4. Tacitus, An. ii. 73; Dio, lib. lvii. Sed in hac dedicatione confundit diversa, Germanicumque spectat, mox ut fautorem humanum, dum opus absolutum cognoscit, mox ut Deum, qui scribendi nisum adjuvat. Utrique convenit et *pacatus*. Noster Metam. iv. 31. ad Bacchum, *pacatus mitisque adsis*, ἵλεως καὶ εὐμενής. *Officii honor* in ipsa libri dedicatione cernitur. IV. ex Ponto viii. 43: "Nec tamen officio vatum per carmina facto, Principibus res est gratior ulla viris." Servavi autem hic lectionem Heinsianam, quippe librorum bonorum auctoritate suffultam, neque sensu commodo destitutam. Namque MSS Naugerii, Ursini et tres alii habent, *En tibi devoto munere*, et Ursini cod. etiam *Offi-*

Officiique levem non aversatus honorem,
  In tibi devoto munere dexter ades.
Sacra recognosces Annalibus eruta priscis;
  Et quo sit merito quæque notata dies.
Invenies illic et festa domestica vobis:
  Sæpe tibi pater est, sæpe legendus avus:
Quæque ferunt illi pictos signantia Fastos,
  Tu quoque cum Druso præmia fratre feres.

ciique; et *adesse in aliqua re* recte dicitur. Sed Mitscherl. revocavit vulgatam: *Officioque, levem non adversatus honorem, Huic tibi devoto numine dexter ades*, ut Germanicus vi sua et nutu officio poetæ ipsi devoto adesse rogetur.

7. *Annales*, dicti et ipsi Fasti, ad ordinem dierum in Fastis Kalendaribus stabilitum, res P. R. singulis annis gestas uberius enarrabant, atque nomina magistratuum habebant. Ovidius Fastos sibi Kalendares exornandos sumsit, sed adhibitis etiam *Annalibus*. Inde jura cognoscebantur Horat. I. Serm. iii. 3; gentium nobilitas Cic. Mur. 16; honores virorum illustrium Valer. Maxim. VI. ix. 14. et similia. De fide eorum vide Perizon. in Animadv. hist. p. 293. Verba *Annalibus eruta priscis* iv. 11. repetita leguntur. Bene *eruta*; in Annalibus enim ex magno rerum variarum acervo singula conquirenda erant. Itaque et Cicero dicto loco: "Ex Annalium vetustate eruenda est memoria nobilitatis tuæ." Quo loco confirmatur simul lectio *priscis*, pro qua duo MSS *primis*. Sed et Livius iv. 7. *priscos Annales* dixit. *Quo sit merito*, etc. quare dies quæque vel ut festa, vel ut profesta sit notata.

9. Gens quæque et familia Romana habebat, ut Penates Laresque suos, ita et *domestica sacra*, quæ quotannis pro familiæ salute fiebant, atque hereditate tradebantur. Diebus festis res memorabiles adscribebantur in Fastis. Summum honorem afferebat nomen sic additum; Cicero, ad Brut. epist. 15; Tacitus, i. An. 15. Vid. Wolfius ad Suetonium Tiber. 4. p. 319. In primis Augusti res gestæ, honores ei decreti, aræ positæ commemorabantur. Hinc Horatius, lib. iv. Od. 14. init. "Quæ cura Patrum, quæque Quiritium, Plenis honorum muneribus, tuas, Auguste, virtutes in ævum Per titulos memoresque fastos Æternet." Hinc intellige sqq. *pater avus*. Germanicus, Drusi et Antoniæ minoris filius, volente Augusto, adoptatus erat a Tiberio, cujus filius naturalis *Drusus*; Tacitus, An. i. 3. De *avo* vide v. c. i. 590 sqq; 709; ii. 119—144; iii. 419; iv. 673: de *patre* i. 617 sqq; 705 sqq; ii. 55. et alibi. *Signant fastos* quæ in iis scripta sunt. Ita et *signare saxum* et alia. Quamquam *signare* etiam est insignire, decorare. Vide Cort. ad Plinium V. Ep. i. 11. Passim de fastis hoc verbum legitur, ut ii. 7; Claudianus, 8. 154. de puero ad consulatum evecto, *signas posito modo nomine fastos*. Pro eo Plinius, paneg. 54. 2. *Honor æternus annalium te colit*. Fasti, ut alii libri, *pingi*, variis coloribus ornari, solebant. Fortasse tamen nunc iidem intelligendi qui a Martiali xi. 4. *purpurei Fasti* vocantur, et in Jani æde servabantur; Schwarzius, ad Plinium, paneg. 92. Mitscherl. habet *dictos*.

Cæsaris arma canant alii; nos Cæsaris aras;
Et quoscumque sacris addidit ille dies.
Annue conanti per laudes ire tuorum;
Deque meo pavidos excute corde metus.
Da mihi te placidum; dederis in carmina vires:
Ingenium vultu statque caditque tuo.
Pagina judicium docti subitura movetur
Principis, ut Clario missa legenda Deo.
Quæ sit enim culti facundia sensimus oris,
Civica pro trepidis quum tulit arma reis.
Scimus et, ad nostras quum se tulit impetus artes,
Ingenii currant flumina quanta tui.

13. *Cæsaris aræ* possent esse aræ Cæsari positæ; Horatius, II. Ep. i. 15. Sed melius intelliguntur aræ ab Augusto Diis dedicatæ, diesque, quos ille sacros esse jussit. A Livio Augustus dictus est *templorum omnium conditor, aut restitutor.* Vide Casaub. ad Suetonium, August. 30. Confer infra ii. 59. *Per laudes* aliorum *it*, qui eas tractat, recenset; ii. 16. *per titulos ingredimur tuos. Ingenium tuo;* ingenium meum valet aut frangitur, prout tu vultu vel sereno, vel iniquo me respicis. IV. ex Pont. viii. 68. ad eumdem Germanicum, "Judicio pretium res habet ista tuo."

19. *Pagina*, liber; iii. 791: in primis de Fastis dicebatur. Vid. Schwarzius ad Plinium, paneg. 92. In librum transit metus auctoris; itaque *movetur* reverentia, tamquam legendus mitteretur Apollini. De *Clario* vide ad Metam. i. 515. *Doctrinam* Germanici vere laudat, et commode in dedicatione carminis. Confer locum insignem II. ex Pont. v. 49 sqq; tum Suetonium Calig. 4. ubi ei tribuitur "ingenium in utroque eloquentiæ doctrinæque genere præcellens." Mox additur, "Oravit causas etiam triumphales, atque inter cætera studiorum monumenta reliquit comœdias græcas." De causis, quas in foro egit, conf. Dio Cass. lvi. 26. Eloquentiam commendat ab honestissimo ejus usu, ut Horatius, II. Od. i. 13. ubi Pollio "insigne mœstis præsidium reis."

23. *Impetus*, calor, spiritus, enthusiasmus poeticus, etiam vi. 6; IV. ex Ponto, ii. 26. "Impetus ille sacer, qui vatum pectora nutrit." De Germanici ingenio IV. ex Ponto, viii. 69. "Quod nisi te numen tantum ad majora vocasset, Gloria Pieridum summa futurus eras." Et poeticum ejus ingenium etiam hodie testatur versio Arati. *Desaintange* observat, eumdem a poetica virtute a Quintiliano summis efferri laudibus. Verum Quintilianus, X. i. 91. non hunc Germanicum, sed Domitianum Imperatorem intellexit, cui, necessitate coactus, passim adulatus est. *Si licet et fas est* formula solemnis, etiam sacra. Livius, i. 2. "Quemcumque eum dici jus fasque est" de Ænea inter Deos relato. Sed quo nunc illa refertur? Lenzius subintelligit, vel, ut vates vatem inspiret, vel ut tu exsuli faveas. Possis et subjicere cogitando, si licet tuum auxi-

Si licet, et fas est, vates rege vatis habenas:
Auspice te felix totus ut annus eat.
Tempora digereret quum conditor urbis, in anno
Constituit menses quinque bis esse suo.
Scilicet arma magis, quam sidera, Romule, noras:
Curaque finitimos vincere major erat.
Est tamen et ratio, Cæsar, quæ moverit illum:
Erroremque suum quo queatur, habet.

lium implorare. *Vates vatis;* IV. ex Ponto, viii. 67. ad eundem Germanicum, "Non potes officium vatis contemnere vates." *Felix totus*, etc. ut bona totius anni descriptio mihi contingat. Sed de lectione *auspice te* disputatur. Bentleius enim ad illud Horatii, i. Od. 7. "*auspice Teucro*" contendit, *auspicem* non nisi proprio sensu de homine dici, metaphorico semper de Deo occurrere, ut *auspice Musa*, *auspice Deo*. Itaque hoc loco præfert editionum vetustarum et codicum quorumdam lectionem *auspicio felix*. Nihil definit Burmannus. Mihi vero argutatus esse Bentleius videtur. Sed si vel maxime observationi ejus ratio constaret, non temere tamen *auspicem* Noster appellasset, quem, tamquam Deum, *pacatum* sibi esse et *annuere* voluisset. Regii codices nostri A et B habent *Auspicio felix;* et in codice C, prima scriptura erasa, legitur a secunda manu *Auspice te felix;* non ingratam judico emendationem. Lemaire.

27. Hic locus conferendus est cum Macrobio, Sat. i. 12. et inde illustrandus. Is tradit, apud solos Ægyptios certum semper fuisse anni modum, apud cæteras gentes disparem mensium numerum, Arcadas nonnisi tres computasse, Acarnanas sex. Sic et Plutarchus in Numa, cap. 18. In hac igitur varietate non mirum videri debet, Romanos quoque olim *suum*, sibi proprium, annum habuisse, eumque *quinque bis* tantum mensium, assumtum illum forte ab alio Italiæ populo, haud dubie Albano, de quo Censorinus, 20. Sed quia hæc digestio naturæ adversatur, propterea illi, monente Plutarcho, ἀλόγως ἐχρῶντο τοῖς μησὶ καὶ ἀτάκτως. Hinc et Noster, jucunda apostropha, *scilicet arma*, etc. et Macrobius, Sat. i. 15. ei "ingenium acre quidem, sed agreste" tribuit. Cæterum cum loco seq. confer iii. 99 sqq. ubi hæc eadem copiosius tractantur. De digestione autem anni Romani inde a Romulo docte disputat Ideler in libro *Historische Untersuchungen über die astron. Beobacht. der Alten*, p. 343 sqq.

32. Pro *habet* Heinsio unius Medicei lectio placet, *habe*, accipe a me, Cæsar. In utero matris infans *decem* menses manet, si lunares menses intelligas. Itaque ille numerus sæpe sic apud Veteres occurrit; Menander, Γυνὴ κυεῖ δεκάμηνος. Erant grammatici, qui ex Homero, Od. Λ. 247. περιπλομένου δ' ἐνιαυτοῦ τέξεις ἀγλαὰ τέκνα docere volebant, etiam Homeri ætate annum habuisse decem menses. Gellius Noct. Att. iii. 16. *Per totidem menses*, etc. confer iii. 133. et Cic. Cluent. 12. Id fuit haud dubie ex instituto Romuli, et inde, quod annus decem menses habebat, unde et luctus ille *annuus* vocatur a Seneca, Ep. 63. Numa luctui varia tempora constituit; decimo mense longissimum fuit terminatum;

Quod satis est, utero matris dum prodeat infans;
  Hoc anno statuit temporis esse satis.
Per totidem menses a funere conjugis uxor
  Sustinet in vidua tristia signa domo.
Hoc igitur vidit trabeati cura Quirini,
  Quum rudibus populis annua jura daret.
Martis erat primus mensis, Venerisque secundus:
  Hæc generis princeps, ipsius ille pater:
Tertius a senibus; juvenum de nomine quartus:
  Quæ sequitur numero turba notata fuit.
At Numa nec Janum, nec avitas præterit umbras,
  Mensibus antiquis apposuitque duos.

Plutarchus, Num. 12. *Tristia signa.* Non prodibant in publicum, abstinebant a conviviis, focum non instruebant; Kirchmann. de Fun. iv. 11. *Cura Quirini*, ipse Quirinus, ut I. Metam. 47. *cura Dei. Trabea* fuit in insignibus regum Romæ; Livius, i. 41. *Servius cum trabea et lictoribus prodit.* Quin apud Virg. Æn. vii. 188. jam Picus rex *succinctus trabea. Populi*, cives. Hi a Livio, i. 8. *genus hominum agreste* vocantur, cui Romulus *jura* dederit.

39. E Plutarcho et Macrobio apparet, jam antiquiores de ordine mensium prisco multum quæsivisse. *Venerisque secundus.* Etiam Horatius, IV. Od. xi. 15: "Mensis Veneris marinæ." Macrob. "Hanc Romuli asserunt fuisse rationem, ut primum quidem mensem a patre suo Marte, secundum ab Æneæ matre Venere nominaret, et hi potissimum anni principia servarent, in quibus esset Romani nominis origio." De nomine horum duorum mensium vide III. et IV. init. plura. *Tertius a senibus*, etc. Etiam Fulvius Nobilior in Fastis auctor fuerat, Romulum postquam populum in *majores* et *juniores* divisisset, in honorem utriusque partis alterum *Maium*, alterum *Junium* vocasse.

43. Erant olim, auctore Censorino, cap. 20. qui Numam dicerent ordinem tantum mensium retexuisse, et primum posuisse, qui fuerit sub Romulo undecimus, Januarium, vel quia Janus, Deus biceps, et transacti anni finem respiciat, futurique prospiciat principia, vel quia Numa artes civiles præferre voluerit bellicis, Janum enim civilium fuisse cultorem, vitamque feram mollivisse. Ipse Plutarchus in eam sententiam inclinat. Sed vid. Ideler d. l. p. 347. Secundum Nostrum, iii. 153. id fecit auctore Pythagora. *Avitas umbras*, nempe justa Diis Manibus solvebantur hoc mense; ii. 533 sqq. De nomine vide ii. 19 sqq. *Apposuitque.* Unus Moreti *postposuitque*, quum vulgo exhibeant *præposuitque.* Neutra lectio ferri potest; namque Numa Januarium præposuit, Februarium contra in anni finem rejecit, ut Noster ipse ii. 49. monet. Alios tamen auctores Macrobius secutus est; is enim, *secundum*, inquit, Numa *dicavit Februo Deo.* Prope ad nostram lectionem accedunt, qui *addidit ille* exhibent; quo verbo et alii

Ne tamen ignores variorum jura dierum:
Non habet officii Lucifer omnis idem.
Ille nefastus erit, per quem tria verba silentur:
Fastus erit, per quem lege licebit agi.
Neu toto perstare die sua jura putaris;
Qui jam fastus erit, mane nefastus erat.
Nam simul exta Deo data sunt, licet omnia fari,
Verbaque honoratus libera prætor habet.
Est quoque, quo populum jus est includere septis:
Est quoque, qui nono semper ab orbe redit.
Vindicat Ausonias Junonis cura Kalendas:
Idibus alba Jovi grandior agna cadit:

de hac re usi sunt, et quod prætulerunt Mitscherl. atque Lenzius et hic quidem eo, quod Ovidius pronomen *ille* sic soleat ponere, ut ii. 277. 285. Regii tres habent *præposuit;* at in codice C est glossa *addidit*, quæ pro lectione posset recipi. Lem.

45—62. *De discrimine dierum* confer Macrobii Sat. I. xv. 16. Discrimina bene vocat *jura* et *officium;* quæ vocc. ab hominibus translata. Verbis *ne ignores* non Germanicum rursus alloquitur; sed formula est generalis, tenenda sunt jura. Ex Numæ instituto omnes dies erant vel *festi*, vel *profesti*, vel *intercisi*. *Festis*, qui etiam *nefasti* dicebantur, inerant sacrificia, epulæ, ludi, feriæ. Conf. Varro L. L. v. 4. Nota sunt *tria* Prætoris *verba*, quibus hic omnis jurisdictio exprimitur. Scil. Do, dico, addico, Dabat enim *actionem*, dicebat *jus*, addicebat *damna*. *Lege* (ex) *agunt*, qui, permittente lege, accusant. *Dare exta*, ut *dare tus* aut *turis honores* formulæ solemnes. *Honoratus*, qui magistratum gerit. Burmann. observat, proprium prætoribus fuisse epitheton, quorum edicta *jus honorarium* dicta.

53. Macrobius, "Comitiales, quibus cum populo agi licet," id est, leges ferri, suaderi aut dissuaderi. Sed Noster, ut poeta, rem sensibus subjecit, *populum includere septis*, quod ex Antiq. Rom. notum. *Qui nono*, etc. Institutum erat vel a Romulo, vel, ut alii tradunt, a Servio Tullio, ut octo diebus in agris rustici opus facerent, nono autem quoque die ad mercaturam exercendam legesque accipiendas Romam venirent. Lege Hortensia effectum, ut fasti essent illi dies, quibus rustici lites componerent. Cautum tamen, ne in primum anni diem, aut in Nonas nundinæ caderent.

55. De *Kalendis*, *Idibus* et *Nonis* vid. Plutarchus Quæst. Rom. tom. vii. pag. 90. edit. Reisk. Mensem lunarem peperisse hanc divisionem, docet Ideler, p. 350. Ut *Idus* omnes Jovi, ita omnes *Kalendæ* Junoni tributæ; Macrobius, i. 15. Olim enim ab exortu lunæ initium erat mensium; Lunam autem et Junonem eamdem putabant. Kalendis igitur omnibus Pontifex minor, atque Regina sacrorum rem divinam Junoni faciebant. Kalendas, Romanis proprias, dixit *Ausonias*, ut ver. 1. annum *Latium*.

Nonarum tutela Deo caret: omnibus istis,
Ne fallare cave, proximus ater erit.
Omen ab eventu est: illis nam Roma diebus
Damna sub adverso tristia Marte tulit.
Hæc mihi dicta semel, totis hærentia Fastis,
Ne seriem rerum scindere cogar, erunt.
Ecce tibi faustum, Germanice, nuntiat annum;
Inque meo primus carmine Janus adest.
Jane biceps, anni tacite labentis origo;
Solus de Superis qui tua terga vides;
Dexter ades ducibus, quorum secura labore
Otia terra ferax, otia pontus agit.
Dexter ades patribusque tuis, populoque Quirini:
Et resera nutu candida templa tuo.

Festus: "Ausoniam appellavit Auson, Ulyssis et Calypsus filius, eam partem Italiæ, in qua urbes Beneventum et Cales: deinde paulatim tota Italia dicta Ausonia." Heynii excurs. iv. ad Æn. vii. *Omnibus istis,* etc. Omnes dies, qui postridie erant Kalendas, Nonas, Idus (dies postriduanos,) Pontifices *atros,* infaustos, habendos statuerunt, nempe *ab eventu.* Veterum enim superstitio ad dies attendebat, quibus iisdem, sed diversorum annorum, res mirabiles accidissent; Ælianus Var. Hist. ii. 25. Romanis autem post sacra die postriduo facta ad Alliam, ad Cremeram, multisque aliis locis pugna male cesserat; Gellius Noct. Att. v. 17, ex Verrio Flacco. Burmannus hic et aliis quibusdam locis *damna ferre* pro *d. facere* notari vult; bonam tamen esse locutionem, ut *fortunam ferre.* Excerpta Vossii, septem cod. et editio Gryphii *averso Marte* exhibent. Nempe *adversi* Dii sunt infesti, *aversi,* qui non exaudiunt preces, vota non rata esse jubent. Sæpe hæc duo confusa sunt a librariis. *Hærentia,* valentia, tenenda per totum hoc opus.

63. Hinc *Januarii memorabilia* incipiunt. Quoniam Kal. Jan. alteri quisque novum annum gratulabatur, inde jucunda hæc conversio fluxit, *Ecce tibi,* etc. eique additæ sunt bonæ precationes. Claudianus, xxviii. 640. Janus "novum fastis aperit felicibus annum, Ore coronatus gemino."

67. *Quorum—agit,* quorum labore pax terra marique parta. Forte universe locutus est de omnibus ducibus, qui, ut Augustus post pugnam Actiacam, pacem composuerunt. Sin quis putet, hæc ad solum Germanicum referenda, dicendum, incerta esse anno u. c. 770. sub Tiberio, quum Germanicus de Cheruscis, Cattis aliisque populis triumphasset; Tacitus, An. ii. 41. Tres nostri Regii codices dant *otia pontus habet:* sæpius quidem apud auctores reperitur verbum *agere* cum *otium, pacem, bellum,* etc. Aliquoties tamen cum hisce vocabulis jungitur verbum *habere:* judicet lector. Lem.

69. *Populo Quirini.*] Horatius, I.

Prospera lux oritur: linguisque animisque favete;
Nunc dicenda bono sunt bona verba die.
Lite vacent aures; insanaque protinus absint
Jurgia: differ opus, livida lingua, tuum.
Cernis, odoratis ut luceat ignibus æther;
Et sonet accensis spica Cilissa focis?

ii. 46. *Lætus intersis populo Quirini*; Noster xv. Metamorph. 572 et 756. *patriæ lætum populoque Quirini.* Sed cur *patres* dicuntur esse Jani, *populus* autem *Quirini*? Burmannus conjicit *tui*, id est, tui Martis, ut et patres et populus Martis, id est Romanus, sint in tutela Jani. Assentitur Taubner. Ipse Janus dictus est *Quirinus*, idque fuit nomen ejus religiosum, Macrobius, Sat. i. 9. "In sacris invocamus Janum Quirinum, quasi bellorum potentem, ab hasta, quam Sabini curim vocant." Atque ita et a scriptoribus vocari solet, ut ab Horatio, IV. Od. xv. 9. Suetonius Aug. 22. *Janum Quirinum ter clusit.* Itaque et nunc forte legi possit *Quirine*, quemadmodum xv. Metam. 862 ver. in hunc ipsum vocativ. desinit. Quamquam correctione vix opus esse videtur, modo hæc sic capiantur: et patribus tuis et populo tuo Romano. Sic et Krebsius accipi voluit. Kalendis Januariis templa adiri solebant; Jani templum eo tempore erat clausum; itaque Ovidius id introituris ab ipso Deo *reserari* cupit, non manu, sed, ut Deum decet, *nutu*. *Candida* possunt templa dici a marmore, aut omnino a materia candida. Ita III. Trist. i. 60. *candida templa* Apollinis. Sed nunc præstat intelligere, quæ plena sunt hominibus candida veste indutis. Candidi enim coloris usus novo anno; quo tempore Nero etiam stragulis albis utebatur. Sueton. 50.

71—86. *Solemnia novi anni* apud Romanos. Operam dabant, ut fausta loquerentur, et sacra faciebant; consules magistratum inibant. *Linguis favere*, εὐφημεῖν, et *bona verba dicere* non differunt; Tibullus, II. ii. 1. "Dicamus bona verba, venit Natalis, ad aras: Quisquis ades, lingua, vir mulierque, fave." Noster tamen latius dixit, atque etiam litibus, jurgiis, maligne dictis opposuit, *animisque.* Hoc idem est, quod Seneca, Ep. 87. commendat, "annum faustum et felicem reddamus bonis cogitationibus."

75. Kalendis Jan. tota Roma *religionibus* occupata. *Odoratis ignibus*, quia tus, croci flos, cinnamomum et casia injici solebant; Tibullus, II. ii. 3. "Urantur pia tura focis, urantur odores, Quos tener e terra divite mittit Arabs," ubi vid. Heynius. "Panchæis ignibus" dixit Virg. Georg. iv. 379. *Spica Cilissa*, crocus; etiam Propertius, IV. vi. 74. Optimum enim Corycus mittebat, mons Ciliciæ. *Spica*, capillamenta et fila croci: vide Salmasium ad Solin. p. 749. Etiam nardo *spicæ* et *aristæ* passim tribuuntur. Bodæus ad Theophrastem, p. 662. hoc loco odores ex croco et aliis rebus compositos intelligit; *sonitus* optimi croci indicium; Plinius, xxi. 6. Quamquam in eo et vis boni ominis. Tibullus, II. v. 81. "succensa sacris crepitet bene laurea flammis." *Cernis*, aut *vides*, *ut*, quemadmodum, solemne in vividioribus descriptionibus. *Aurum*, lacunar auro obductum. Id dum tremulo motu relucet ab igne, *verberari* splendore flammæ dicitur; Virgil. Georg. iv. 385. "Ter flamma ad summum tecti subjecta reluxit;" quod et ipsum erat fausti ominis.

Flamma nitore suo templorum verberat aurum,
Et tremulum summa spargit in æde jubar.
Vestibus intactis Tarpeias itur in arces:
Et populus festo concolor ipse suo est.
Jamque novi præeunt fasces; nova purpura fulget;
Et nova conspicuum pondera sentit ebur.
Colla rudes operum præbent ferienda juvenci,
Quos aluit campis herba Falisca suis.
Jupiter, arce sua totum quum spectet in orbem,
Nil nisi Romanum, quod tueatur, habet.
Salve, læta dies, meliorque revertere semper,
A populo rerum digna potente coli.
Quem tamen esse Deum te dicam, Jane biformis?
Nam tibi par nullum Græcia numen habet.

79. Inde ab anno U. C. 601. quo Q. Fulvius Nobilior, T. Annius Luscus designati consules, Kal. Jan. frequenti populo comitati, adscendebant in Capitolium, sacrisque faciendis Jovem conciliabant reipublicæ. Confer iii. 147; IV. ex Ponto iv. 23—32; et ix. init. ubi eadem fere, quæ hic, verba. *Arces* poetis et montes, et templa in montibus posita. *Intactis*, puris. *Concolor*, candidis vestibus, quæ candido, id est, læto diei conveniunt; V. Trist. v. 6. eadem vestis alba, quæ toto sumitur anno, *discolor fatis* poetæ vocatur. *Purpura*, etsi ea omnium magistratuum toga prætexta, consularis tamen potissimum dignitatis decus habebatur. Plinius, pan. lviii. 5. "summum purpuræ decus" consulatus, et lix. 2. "induere prætextam et ascendere curulem," sumere consulatum. *Pondera*, ipse consul sellam curulem premens.

83. *Rudes operum*, qui nondum jugum subiere. *Faliscus* ager, circa Falerios, Etruriæ oppidum, victimis pascendis dicatus. Candidi enim juvenci aut boves in sacris præferebantur; Clitumni autem amnis aqua potata candidos boves reddere credebatur; Plinius, ii. 103. *Ara*, domus Jovis in summo cœlo, Metam. i. 163. unde despicit terras; Virgilio, Æn. i. 223. Possis tamen Capitolium intelligere, in quod Jupiter illo die, ut sacris suis interesset, descenderit. Namque I. Trist. v. 69. etiam Roma "de septem totum circumspicit orbem Montibus." Mox imperium Romanum superbe circumloquitur, *Nil nisi*, etc. ii. 138. "Quodcunque est alto sub Jove, Cæsar habet." *Melior*, lætior. *Rerum potente*; Metam. ii. 259. "Cuique fuit rerum promissa potentia, Tibris," imperium orbis terrarum. *Rerum rectores* Rutil. Itin. i. 555. ubi vid. Wernsdorf.

89. Locus, qui sequitur paulo longior, *Jani mythologiam* complectitur. De ea, quum satis esset impedita, jam antiquiores Romani magna dissentione disputabant, quum alii eam ex historia explicarent, alii ex physicis, Vide Macrobium, Sat i. 9. et e recentioribus Heynium in Exc. V. ad Æn. vii. Ac hic quidem Jani religionem

Ede simul causam, cur de cœlestibus unus,
Sitque quod a tergo, sitque quod ante, vides.
Hæc ego quum sumtis agitarem mente tabellis,
Lucidior visa est, quam fuit ante, domus.
Tum sacer, ancipiti mirandus imagine, Janus
Bina repens oculis obtulit ora meis.
Obstupui; sensique metu riguisse capillos;
Et gelidum subito frigore pectus erat.
Ille tenens dextra baculum, clavemque sinistra,
Edidit hos nobis ore priore sonos:
Disce, metu posito, vates operose dierum,
Quod petis, et voces percipe mente meas.
Me Chaos antiqui, nam res sum prisca, vocabant.
Adspice, quam longi temporis acta canam.

putat ab initio fuisse symbolicam, ad declarandam rerum naturam, variasque ejus proprietates. Hoc certum est, fictum eum esse bifrontem cum clave et virga, appellatum Patrem, omnibus januis præfuisse, in omnibus sacris primum esse invocatum, arbitrum denique fuisse belli et pacis.

Quem tamen—habet.] Quum omnis fere Romanorum mythologia sumta esset a Græcis, non temere hæc quæruntur. Responsio tamen facilis est, si sumis *Janum* antiquissimum fuisse Italorum regem. *Lux* signum Dei præsentis. Virg. Æn. ii. 590. "pura per noctem in luce refulsit Venus;" confer eumdem iv. 358. Hac igitur Jani luce et *domus* collustrari potuit, et, quod Excerpta Vossi, Polit. et Erford. Cod. præferunt, nec Burmannus damnat *dies*.

99. Macrob. i. 9. Janus "et cum clave ac virga figuratur quasi omnium portarum custos et rector viarum." *Ore priore*, ore ad me converso. *Vates operosus dierum*, poeta serio occupatus diebus describendis. Ita et iii. 177. Mars poetam vocat. Janus principium habebatur omnium rerum; inde dictus est *chaos*. Quin erant, qui ipsum ejus nomen a voc. *chaos* deducerent, detracta adspiratione. Vid. Festus in h. v. Chaos ejusque formationem hic describit, ut v. 11 sqq; Metam. i. init. Confer et ea, quæ ex M. Messalæ libro de Jano Macrobius d. l. adfert. *Lite rerum suarum*, pugna, scil. fermentatione elementorum contrariorum, quam Metam. d. l. descripsit. *Flamma*, æther, cujus natura ignea. *Sederunt*, subsederunt, quod v. 13. legitur. Tibul. IV. i. 19. pro eo, *desidere*. *Solo* pro *loco* Heinsius ex plurimis et melioribus MSS. recepit, quia solum uniuscujusque rei fundamentum, et quia Metam. i. 73. "astra tenent cœleste solum." *Sine imagine*, informis, ut Metam. i. 87. *sine imagine tellus*. *In faciem redii*, formam distinctam accepi. *Nota* est ipsa forma biceps, cujus sic prior causa allata est. *Ante quod*, etc. pars capitis anterior et posterior. Lenzius præterita et futura intelligit.

Lucidus hic aer, et, quæ tria corpora restant,
Ignis, aquæ, tellus, unus acervus erant.
Ut semel hæc rerum secessit lite suarum,
Inque novas abiit massa soluta domos;
Flamma petît altum; propior locus aera cepit:
Sederunt medio terra fretumque solo.
Tunc ego, qui fueram globus, et sine imagine moles,
In faciem redii, dignaque membra deo.
Nunc quoque, confusæ quondam nota parva figuræ,
Ante quod est in me, postque videtur idem.
Accipe, quæsitæ quæ causa sit altera formæ; 115
Hanc simul ut noris, officiumque meum.
Quidquid ubique vides, cœlum, mare, nubila, terras;
Omnia sunt nostra clausa patentque manu.
Me penes est unum vasti custodia mundi:
Et jus vertendi cardinis omne meum est.
Quum libuit Pacem placidis emittere tectis;
Libera perpetuas ambulat illa vias.
Sanguine letifero totus miscebitur orbis,
Ni teneant rigidæ condita bella seræ.

115. Ab *officio* initium facit, et inde a ver. 34. *alteram causam* subjicit. Janus omnium januarum, tam per orbem terrarum, quam in cœlo, præses claviger et custos. Januæ opera janitoris vel patent, vel clausæ tenentur. Hinc omnis locus sequens pendet. A quibusdam Janus Sol habebatur, et ideo geminus, quasi utriusque januæ cœlestis potens, qui exoriens aperiat diem, occidens claudat. *Nubila*, aera. *Vertere cardinem*, aperire et claudere januam. A Jano, antiquissimo Italiæ rege, domorum valvæ, seræ et claves excogitatæ, januæque dictæ esse credebantur. Exempli causa e terrestribus Poeta memorat, quæ Romæ in primis memorabiles, januas *Pacis*, videlicet templi Jano dicati, quod Numa indicem belli et pacis esse voluerat. Id poetæ varie exornarunt. Hoc loco Janus templo suo Pacem et Bellum, tamquam personas, tenet clausa, et pro arbitrio nunc hoc *emittit*, nunc illam. Apud Horatium, II. Ep. i. 255. ipse clausis januis, ut pacis auctor et custos, cohibetur. Apud Virgilium, Æn. vii. 607 seq. Bellum et Mors vincta tenentur, custode in foribus Jano. *Perpetuas*. Vetustiores plerique *per tutas*, quod mihi placet. Sed Heinsius tuetur *perpetuas*, quia *ambulare* cum accusativo construitur. *Letiferum sanguinem* Noster dixit etiam Rem. Am. 26. quia profusio sanguinis mortem adfert. *Miscebitur*, ut apud historicos *ferro flammaque misceri omnia* dicuntur.

Præsideo foribus cœli cum mitibus Horis:
It, redit officio Jupiter ipse meo:
Inde vocor Janus: cui quum Cereale sacerdos
Imponit libum, mixtaque farra sali;
Nomina ridebis: modo namque Patulcius idem,
Et modo sacrifico Clusius ore vocor.
Scilicet alterno valuit rudis illa vetustas
Nomine diversas significare vices.
Vis mea narrata est: causam nunc disce figuræ.
Jam tamen hanc aliqua tu quoque parte vides.

125. De his *Horis* Homerus, Il. E. 749. ubi de portis cœli: ἃς ἔχον Ὧραι, τῇς ἐπιτέτραπται μέγας οὐρανὸς οὔλυμπόστε, Ἠμὲν ἀνακλῖναι πυκινὸν νέφος, ἠ δ' ἐπιθεῖναι, "quibus commissum est magnum cœlum, ut et aperiant densam nubem et claudant." Nempe, probante Heynio, effictæ sunt ex anni conversionibus, iisque suaviter ministerium ad fores cœli datum. Pro foribus ibi nubes obditur. Genus et nomina earum habent Hesiodus Theog. 901; Orpheus h. 42. *It, redit* Heinsius e MS. Vossiano et septem aliis assumsit, pro *Et redit*, quod scripti plerique præferunt. Olim vulgo *Et redit officio Jupiter, itque meo*, quod ὕστερον πρότερον non infrequens. Heinsius putat, Ovidium hic respexisse ad etymon nominis, quum Cicero Janum ab eundo *Eanum* dictum existimet. Vid. Sagittarius de Januis. Et sic putandum est, si *inde* refers ad verba *it, redit*. Sed potest etiam ad *præsideo foribus* referri et multo rectius, quia non Janus *ieus* inducitur, sed Jupiter. Noster eos potius secutus est, quibus *Janus* a *janua* dictus videbatur, quia januis præesset. *Cui*, cujus altari. *Libum;* Festus: "Janual, libi genus, quod Jano tantummodo libatur." *Patulcius*, etc. Etiam Macrob. "In sacris quoque invocamus Janum Patulcium et Clausium; quia bello valvæ ejus patent, pace clauduntur." *Alterno*, altero munus aperiendi, altero claudendi. Heins. malebat, *alternas diverso*, quod placebat Taubnero. Alterum est exquisitius. *Vices*, munera, quæ per vices aguntur.

133. *Vis*, officium: ex hoc tu jam quodammodo spoote causam figuræ meæ cognosces. *Populum spectat*, versa est ad plateas. *Janitores* in aditu ædium inter duas fores vel *sedebant*, vel stabant, vel cubabant; Sagittarius de Januis ep. 16. Burmannus putat, inferiorem domus partem, ubi janua, non recte *primum tectum* dici. Conjicit igitur hic quoque *privi*, ut domus privatæ custos comparetur Jano. Immo e sermone poetico prima pars rei recte *prima res* dicitur. Ita *primum ver, primus sol* et multa alia. Confer vi. 302. ubi *primæ ædes* occurrunt. *Prospicio*. Meliores, notante Heinsio, *perspicio;* sed *prospicio*, in longinquum specto, verum est. *Partes*, regio. Quum Dea *triceps* adeo, aut triformis haberetur Hecate in triviis culta, non male illa comparationis causa est adhibita. Præter has, et aliæ causæ commemorantur quare biceps Janus; in primis hæc, quod Janus rex et præterita sciverit, et futura providerit.

Omnis habet geminas, hinc atque hinc, janua frontes;
E quibus hæc populum spectat; at illa Larem.
Utque sedens vester primi prope limina tecti
Janitor, egressus introitusque videt;
Sic ego prospicio, cœlestis janitor aulæ,
Eoas partes, Hesperiasque simul.
Ora vides Hecates in tres vergentia partes,
Servet ut in ternas compita secta vias.
Et mihi, ne flexu cervicis tempora perdam,
Cernere non moto corpore bina licet.
Dixerat: et vultu, si plura requirere vellem,
Se mihi difficilem non fore fassus erat.

145—164. *Cur annus media hieme incipiat.*] Hic suavis verni temporis descriptio intexta, quacum conf. Anacreon, Od. 37; Lucretius, i. 5 sqq; Horatius, i. Od. 4; iv. Od. 7 et 12; Virgilius, Georg. ii. 324. et Noster infra iii. 236 sqq; iv. 87 sqq. *Fassus erat*, e vultu hilari apparebat, eum mihi non difficilem fore; Metam. vi. 35. " confessaque vultibus iram." Non territus quidem egit, verecundus tamen, *spectans humum. Per ver*, durante vere. *Nova temporis ætas.* omnia tunc quasi renascuntur. *Gemma* ad articulos sarmentorum existit, et inde oriens uva se ostendit. Cicero de Senect. 15. *Amicitur frondibus. Amicire*, ut *vestire*, de frondibus floribusque æque bene ac de vitibus dicitur: et in descriptione veris solemne est etiam folia redeuntia memorare. Etiam, ni fallor, *modo formatis*, recens natis, melius frondibus, quam vitibus convenit. *Desaintange* monet, *vitibus* positum esse pro *frondibus;* quod ferri non potest. *Seminis herba* præfero, id est, sata. *Tepor* de calore verno; *mulcere* de leni concussione aeris, quam efficit vel mitis Zephyrus, vel suavis concentus avium. *Luxuriare* lætos et petulantes motus indicat, ut Æn. xi. 497. Pro eo Metam. vii. 321. agnus *lascivit fuga.* Verum ea notio quum jam insit verbo *ludit* (Horat. III. Od. xi. 10; xviii. 9.) possis nunc ad membra vegeta referre, ut Metam. vii. 292. *membraque luxuriant;* Virg. Georg. iii. 81. *luxuriat toris pectus;* Plin. II. Ep. xvii. 1. pecora *tepore verno nitescunt. Ignota.* advena. De *hirundinis* reditu vide ii. 853. *Fingit* recepit Heins. ex MS. Petav. et multis aliis, quia *fingere* in primis de luteis operibus: quidam *nectit:* vulgo *figit*, quod et ipsum de nido hirundinis bene dicitur; Virgilius, Georg. iv. 307. *tignis nidum suspendit;* Horat. IV. Od. xii. 5. *Nidum ponit.* Adeo illud variari potest. *Tum patitur*, etc. Non agnoscit hic Heinsius numeros Ovidianos, itaque conjicit *Tunc cultum patietur ager, renovatus aratro.* Futurum quidem *patietur* nunc vix locum habet commodum: *patitur*, admittit cultum, tunc enim " Zephyro putris se gleba resolvit," Georg. i. 44. *A bruma*, sive solstitio hiemali Romani novum annum incipiebant; Censorinus, cap.

Sumsi animum, gratesque Deo non territus egi:
  Verbaque sum spectans pauca locutus humum.
Dic, age, frigoribus quare novus incipit annus,
  Qui melius per ver incipiendus erat?
Omnia tunc florent: tunc est nova temporis ætas;
  Et nova de gravido palmite gemma tumet;
Et modo formatis amicitur frondibus arbos;
  Prodit et in summum seminis herba solum;
Et tepidum volucres concentibus aera mulcent;
  Ludit et in pratis luxuriatque pecus.
Tum blandi soles; ignotaque prodit hirundo;
  Et luteum celsa sub trabe fingit opus.
Tum patitur cultus ager, et renovatur aratro:
  Hæc anni novitas jure vocanda fuit.
Quæsieram multis: non multis ille moratus,
  Contulit in versus sic sua verba duos:
Bruma novi prima est, veterisque novissima solis:
  Principium capiunt Phœbus et annus idem.
Post ea mirabar, cur non sine litibus esset
  Prima dies: Causam percipe, Janus ait.

21. Hinc *bruma* ponitur etiam pro ipso novo anno. Vid. omnino Scaliger de Emendat. Temp. v. 412; et Ideler, p. 354.

165—170. *Primus anni dies cur fastus.*] Veteres habebant dies *auspicales*, id est, quibus boni ominis causa negotia quædam leviter agerent. Sic Vulcanalibus multi auspicandi causa lucubrare solebant; scil. ante diluculum, lychnis adhibitis, aliquid tractare. In iis diebus in primis erant Kalendæ Januar. Columella, xi. 2: "Per hos dies abstinent terrenis operibus religiosiores agricolæ; ita tamen, ut ipsis Kal. Januariis auspicandi causa omne genus operis instaurarent." Conf. Lipsius ad Tacitum, Ann. iv. 36. Idem ergo fiebat in foro Romano. Non erat, cur Heinsius *mirabar* in *scitabar* mutari vellet; etenim *mirari* est mirabundum interrogare, ut *dubitare*, dubitanter quærere. *Iners*, qui ab inertibus transigitur. *Ab auspicio*, propter auspicium. *Delibare artes* eleganter dicitur, qui non serio iis instat, sed leviter eas, boni ominis causa, attingit. Pro *ob idem* Heinsius conjicit *obiter*; quod quum in Bullialdi codice exstaret, nec Burmanno displicebat: est enim leviter, non id agens, quamquam vis ejus jam inest in verbo *delibat*. Heinsius præterea e corruptis MSS. vocibus *obid*, *obide* etiam restituere volebat, *obit et delibat*. Burmannus vehementer dubitat, an *obire*

Tempora commisi nascentia rebus agendis,
  Totus ab auspicio ne foret annus iners.
Quisque suas artes ob idem delibat agendo:
  Nec plus quam solitum testificatur opus.
Mox ego: Cur, quamvis aliorum numina placem,
  Jane, tibi primo tura merumque fero?
Ut per me possis aditum, qui limina servo,
  Ad quoscumque velim prorsus habere Deos.
At cur læta tuis dicuntur verba Kalendis;
  Et damus alternas, accipimusque preces?
Tum Deus incumbens baculo, quem dextra gerebat:
  Omina principiis, inquit, inesse solent.
Ad primam vocem timidas advertitis aures:
  Et visam primum consulit auger avem.
Templa patent, auresque Deûm: nec lingua caducas
  Concipit illa preces; dictaque pondus habent.
Desierat paucis: nec longa silentia feci;
  Sed tetigi verbis ultima verba meis:

artes recte dicatur. Ipse suadet, *Quisque suas partes obiter delibat agendo;* etenim *agere partes* esse obvium et vulgare; et illos, quos Auctor intelligat, perfunctorie tantum opus suum, ut in scena histriones, delibare.

171—174. *Primus in sacris invocatur Janus.*] Inde et in Senec. Apocol. primus sententiam rogatur in cœlo. Causa ejus honoris non una redditur. Q. Fabius Pictor habet hanc, quia Janus primus far et vinum ad sacrificia docuerit; Cicero Nat. D. ii. 27. quia prima et extrema omnibus in rebus maximam vim habeant; Macrobius d. l. quia Janus in Italia primus Diis templa fecerit; Festus, quia Chaos omnium primum. Far ei oblatum esse, Fabius auctor fuit; Noster et Martialis *tura* memorant; nempe *tura ferre* aut *dare* formula solemnis pro, sacra facere. Itaque Metam. i. 369. jam de Deucalionis sacris legitur, *aditum ad Deos.* Etiam Arnob. adv. Gent. iii. p. 117. eum dicit *viam pandere Deorum ad audientiam.*

175—182. *De lætis precationibus. Quem;* Heinsius malit *quod*, quia *baculum* neutro genere Metam. ii. 789. legitur. Sed non est, cur invitis libris eam formam adoptemus. *Omina*, etc. Itaque et operam dabant Romani, ut orationes verbis bene ominatis auspicarentur. *Consulit*, auspicia capit. *Caducæ*, quæ cadunt ad irritum, non exaudiuntur. *Concipere preces* non modo de mente dicitur, quæ eas excogitat, sed et de lingua quæ eas profert; Metam. viii. 682. *Pondus habent*, quibus eventus constat; Metam. ix. 495. *somnia pondus habent.*

183—226. *Strenæ*, de quibus vid.

Quid vult palma sibi rugosaque carica, dixi,
Et data sub niveo candida mella cado?
Omen, ait, causa est, ut res sapor ille sequatur,
Et peragat cœptum dulcis ut annus iter.
Dulcia cur dentur, video: stipis adjice causam,
Pars mihi de festo ne labet ulla tuo.

Frankenstein in Disp. de novo anno, cap. 4. Earum originem ad Tatium regem refert Symmach. *Paucis*, pauca locutus, prætulit Heinsius ex uno Mazarin. nam reliqui habent *Janus*. In strenis erant caryotæ, *palmæ* fructus, auro oblitæ; Martialis, xiii. Epigr. 27; viii. 33. "Hoc linitur Sputo Jani caryota Kalendis, Quam fert cum parvo sordidus asse clieus." *Cadus*, vas, variis rebus recipiendis serviens, etiam melli. Martialis, i. 4. "Flavaque de rubro promere mella cado." Sed in strenis *niveus* cadus, *candida* mella, quæ optima. *Ut res*, etc. ut res, quæ per annum eveniunt, dulces sint, quemadmodum mella sunt dulcia.

189. De *stipe inter strenas data* nonnulla habet Neapol. Ipsi Cæsares talem stipem accipiebant; et exstant plures inscriptiones, quibus Augustus monumentum ex stipe, quam Pop. R. ei Kal. Jan. contulerit, posuisse narratur. Vid. Sueton. Aug. 91; Calig. 42. et quæ Ursin. ad priorem locum dedit. *Labant*, quæ incerta fluctuant. *Tua sæcula*, mores publici hominum tui ævi. Tacitus, Mor. Germ. 19. "Nec, corrumpere et corrumpi, sæculum vocatur." Ex moribus jam habendi cupidinem perstringit. *Fallunt*, latent. *Vix ego*, etc. Aliter Noster III. Amor. viii. 35. "At quum regna senex cœli Saturnus haberet, Omne lucrum tenebris alta premebat humus." Sed hoc loco Janus prope jocose rem urgere vult. De *casa* Romuli plura apud Veteres; Seneca de Consol. 9. p. m. 84. "Næ tu pusilli animi es, si id ideo fortiter pateris, quia Romuli casam nosti." Dionysii adhuc ætate casula sustentabatur, quam Romulus et Remus struxerant. Archæol. I. lxxvi. p. 205. edit. Reisk. Sed nunc intelligenda ea, quam Romulus, condita jam urbe, inhabitabat quæ et iii. 183. seq. memoratur; Valerius Max. iv. 4. "Per Romuli casam, perque veteris Capitolii humilia tecta." Leges tum non sinebant fortuitum spernere cespitem; Horatius d. l. *Capiebat*, satis ampla erat ad recipiendum Romulum. *Martigena*, ut *dracomigena*, *aurigena* et similia apud Nostrum. Ex *ulvis fluminum* facere toros olim pauperes solebant, Metam. viii. 655. ut Lacedæmones ἐκ στιβάδων. Serius in culcitis plumeis malebant mollius requiescere. Confer, iii. 184 sq. *Jupiter angusta*, etc. Putant intelligi Jovis Feretrii templum, cujus longitudo vix quindecim pedum erat, secundum Dionysium, ii. 34. Potius omnino hoc vult: admodum humilia et angusta olim erant templa. *Vix stabat*, si non sedens in templis, sed stans effictus esset, vix stare potuisset. Vide Burm. in Jove Fulg. cap. 14. *Fictile fulmen*. Quin statuæ tum totæ fuere fictiles; Plin. Hist. Nat. 35; Tibullus, I. x. 10. "Tunc melius tenuere fidem, quum paupere cultu Stabat in exigua ligneus æde Deus." Adde Propertium, IV. i. 5. *Gemmis*. Augustus una donatione in cellam Jovis Capitolini sedecim millia pondo auri, gemmasque ac margaritas quingenties HS. contulit; Suetonius, Aug. 30.

Risit, et, O quam te fallunt tua sæcula, dixit,
Qui stipe mel sumta dulcius esse putes!
Vix ego Saturno quemquam regnante videbam,
Cujus non animo dulcia lucra forent.
Tempore crevit amor, qui nunc est summus, habendi:
Vix ultra, quo jam progrediatur, habet.
Pluris opes nunc sunt, quam prisci temporis annis;
Dum populus pauper, dum nova Roma fuit;
Dum casa Martigenam capiebat parva Quirinum,
Et dabat exiguum fluminis ulva torum.
Jupiter angusta vix totus stabat in æde;
Inque Jovis dextra fictile fulmen erat.
Frondibus ornabant, quæ nunc Capitolia gemmis;
Pascebatque suas ipse senator oves.
Nec pudor in stipula placidam cepisse quietem,
Nec fœnum capiti supposuisse, fuit.
Jura dabat populis posito modo consul aratro,
Et levis argenti lamina crimen erat.
At postquam Fortuna loci caput extulit hujus,
Et tetigit summos vertice Roma Deos:

207. Confer iii. 779 sqq. Ab *aratro* consules ad fasces arcessebantur. L. Quinctius Cincinnatus dictator dictus vel fossam fodiens, vel aratro incumbens: Livius, iii. 26. *Argenti lamina;* Plin. xviii. 8: "Præcipiebant ista, qui triumphali denas argenti libras in suppellectile crimini dabant." Nempe Cornel. Rufinum, bis consulem et dictatura functum, Fabricius censor anno U. C. 478. senatu movit, quod decem pondo libras facti argenti haberet; Gellius Noct. Att. iv. 8; xvii. 21. *Laminam* fere scriptores ponunt, quando contemtim de argento aut auro loquuntur; Seneca Benef. vii. 10. "laminas utriusque materiæ." Horatius, II. Od. ii. 2. "inimice lamnæ."

209. Postquam Roma finibus opibusque crevit, *loco* cuique *Fortuna* quædam præesse, ejusque fata regere credebatur; Metam. iv. 565; x. 335. Ad *Fortunam Pop. R.* omnes imperii vicissitudines referebant scriptores. *Creverunt et opes*, etc. Juvenalis, xiv. 139. "Crescit amor nummi, quantum ipsa pecunia crescit." *Furorem* istius cupidinis describit Sallustius Cat. xi: Ea "semper infinita, insatiabilis, neque copia, neque inopia minuitur."

Creverunt et opes, et opum furiosa cupido;
Et, quum possideant plurima, plura volunt.
Quærere ut absumant, absumta requirere certant;
Atque ipsæ vitiis sunt alimenta vices.
Sic, quibus intumuit suffusa venter ab unda,
Quo plus sunt potæ, plus sitiuntur aquæ.
In pretio pretium nunc est: dat census honores;
Census amicitias: pauper ubique jacet.
Tu tamen, auspicium si sit stipis utile, quæris,
Curque juvent nostras æra vetusta manus:
Æra dabant olim; melius nunc omen in auro est:
Victaque concedit prisca moneta novæ.
Nos quoque templa juvant, quamvis antiqua pro-
Aurea; majestas convenit ista Deo. [bemus,
Laudamus veteres, sed nostris utimur annis:
Mos tamen est æque dignus uterque coli.
Finierat monitus: placidis ita rursus, ut ante,
Clavigerum verbis alloquor ipse Deum:

215. *Suffundi* et venter dici potest aquis, ut alibi *os suffusum pudore*, et aquæ sub cute collectæ. Eadem autem similitudine avaritiæ naturam illustrarunt Polybius, xiii. 1; Horatius, II. Od. ii. 13. ubi "Crescit indulgens sibi dirus hydrops," etc. *Pretium in pretio est*, pecunia æstimatur. *Dat census honores.* Confer III. Amor. viii. 55. Plinius, xiv. procem. "Posteris laxitas mundi, et rerum amplitudo damno fuit, postquam Senator *censu* legi cœptus, judex fieri *censu* magistratum ducemque nihil magis exornare, quam *census*." *Jacet*, contemnitur, nec honores consequitur, nec amicitias.

219. Cur *aheuei nummi* dentur. *Quæris*, fortasse quæris; Ovidius enim non quæsierat. *Si*, an. Lenzius verba sic conjungit, *Si tu tamen quæris sitne stipis*, etc. Heinsius vero malebat, *si cur stipis utile quæris.* Tunc apodosis foret omissa: causa est hæc: editiones antiquæ et multi MSS. *cur sit.* Sed commode duæ diversæ interrogationes locum habent. *Curjuvent*, cur gratum nobis sit æneos nummulos accipere. *Concedat*, cedat, et *victu* e copia poetica additum. *Antiqua* ita probabat illa ætas, ut et homines et res, quas extollere vellet, *antiquas* vocaret. Vide nos ad Plinium, pan. 95. *Anni*, mores temporis. *Colore morem*, observare morem.

227—254. *De adventu Saturni*, qui e cœlo Jovis arma fugiens ad Janum venit, ab eoque hospitio exceptus, Latio nomen dedit, et Aboriginibus, hominum generi agresti, meliorem cultum intulit; Virgil. Æn. viii. 315 sqq. Vide Heynii Excursus, ii. et v.

Multa quidem didici: sed cur navalis in ære
Altera signata est, altera forma biceps? 230
Noscere me duplici posses in imagine, dixit;
Ni vetus ipsa dies extenuaret opus.
Causa ratis superest: Tuscum rate venit in amnem
Ante pererrato falcifer orbe Deus.
Hac ego Saturnum memini tellure receptum: 235
Cœlitibus regnis ab Jove pulsus erat.
Inde diu genti mansit Saturnia nomen:
Dicta quoque est Latium terra, latente Deo.
At bona posteritas puppim servavit in ære,
Hospitis adventum testificata Dei. 240
Ipse solum colui, cujus placidissima lævum
Radit arenosi Tibridis unda latus.

ad Æn. vii. *Sed cur navalis*, etc. Macrobius, Sat. i. 7. "Quum primus quoque æra signaret, servavit et in hoc Saturni reverentiam, ut quoniam ille navi fuerat advectus, ex una quidem parte sui capitis effigies, ex altera vero navis exprimeretur, quo Saturni memoriam etiam in posteros propagaret." Confer Minucium Fel. 22; et Cyprianum de Idol. Vanit. i. 3; Lactantium Inst. I. xiii. 7. ubi nummi veteres, quales hic describuntur, commemorantur. Omnino vide Raschii Lexic. numar. voc. *Janus. Navalis forma*, forma navis, *signata:* Heinsius *signato* malebat. *Noscere me posses*, etc. nosceres, bicipitem illam formam esse mei capitis, me ipsum referre, nisi tempus, quod omnia extenuat, etiam in ære illo lineamenta oris mei obliterasset, *extenuaret*, minueret partes. Male librarii *extenuasset* substituerunt; Auctor enim universe loquitur.

233. *Fala* Saturni symbolum fuisse putatur agriculturæ ab ipso in Italia repertæ. Alii eam putant ei attributam, quod tempus omnia metat, exsecet, incidat; Macrob. i. 8. *Receptum* scil. a me. *Ab Jove pulsus;* Macrob. "Eumdem a filio pulsum, quid aliud est, quam tempora senescentia ab his, quæ post sunt nata, depelli?" *Saturnia.* In inscript. quam Dionysius Halic. Archæol. i. 14. commemorat Στείχετε μαιόμενοι Σικελῶν Σατορνίαν ἄιαν. Idem cap. 24. narrat, ante Herculis adventum totam oram, quæ post Italia dicta, Saturno Deo fuisse sacratam, et ab incolis Saturniam vocatam; esse etiam urbes quasdam, quæ ita appellentur. Janum ipsum terræ hoc nomen indidisse, auctor est Macrob. Sat. i. 7. *Latium, latente Deo.* Sic vulgo putabant, decepti inepta etymologia. Etiam Virg. Æn. viii. 320 sqq. *Bona*, grata. *Puppim servavit.* Nempe multi nummi, etiam post Servii Tullii tempora signati, servant vel Jani biformis vel navis figuram. Inde forte opinio nata, jam Janum signasse nummos. *Lævum latus.* Fabius Pictor: "Is Janus sub initium aurei sæculi lævum latus Tiberis Hetruriæ tenuit." *Radere* æque ac *rodere* et *mordere* de fluvio alluente.

Hic, ubi nunc Roma est, incædua sylva virebat;
Tantaque res paucis pascua bubus erat.
Arx mea collis erat, quem cultrix nomine nostro
Nuncupat hæc ætas, Janiculumque vocat.
Tunc ego regnabam, patiens quum terra Deorum
Esset, et humanis numina mixta locis.
Nondum Justitiam facinus mortale fugarat;
Ultima de superis illa reliquit humum:
Proque metu populum sine vi pudor ipse regebat:
Nullus erat justis reddere jura labor.
Nil mihi cum bello: pacem postesque tuebar:
Et clavem ostendens, Hæc, ait, arma gero.
Presserat ora Deus: tunc sic nostra ora resolvo,
Voce mea voces eliciente Dei:
Quum tot sint Jani, cur stas sacratus in uno,
Hic ubi juncta foris templa duobus habes?

243. Vastitatem illorum locorum plures poetæ descripsere, et cum magnificentia urbis Romanæ compararunt, ut Virgilius, Æn. viii. 314 sqq. *Incædua.* Plinius, V. Ep. vi. 8. *nemora antiquæ* distinguit a *cædibus*, in quibus solent arbores cædi. *Tanta res*, tam magnificum caput tantæ reipublicæ. *Arx mea*, etc. non *arcem*, palatium, habebam, sed nudum collem, in quo degebam. *Cultrix*, incolens montem.

247. *Patiens Deorum* et *humanis mixta numina locis* paulo audacius dictum, quum Dii habitarent in terris atque inter homines; id quod erat in bonis aurei seculi. *Nondum Justitiam*, etc. Sic et Metam. i. 150. ubi postquam *facinus mortale*, facinora mortalia, descripsit, pergit: "Virgo cæde madentes Ultima cœlestum terras Astræa reliquit." Etiam cum sqq. confer Metam. i. 90 sqq. et 129. quibus similia Fabius Pictor narraverat. *Pudor*, moderatio omnium cupiditatum causa justi et æqui.

257. *Jani* Romæ dicebantur ædificia fornicata et pervia, per quæ in alios vicos transire licebat. Tales Jani erant plures, ad forum tres. Livius, xli. 27. de Fulvio Flacco censore, "Curavit forum porticibus tabernisque claudendum, et Janos tres faciendos." Sed hoc loco Lenzius sacella Jani intelligit. *Stas sacratus*, habes statuam. *Templa* Janus habebat tria: primum conditum est a Romulo, pace inter ipsum et Tatium facta: quod ipsum Numa tempore pacis claudi instituit: alterum quatuor portarum fuit in foro Romano, ab Augusto dedicatum: in quo Janus quadrifrons colebatur: tertium junctum erat *foris duobus*, piscario et boario, a Duillio positum et a Tiberio instauratum; ii. 201.

Ille manu mulcens propexam ad pectora barbam,
  Protinus Œbalii rettulit arma Titi:
Utque levis custos, armillis capta Sabinis,
  Ad summæ Tatium duxerit arcis iter,
Inde, velut nunc est, per quem descenditis, inquit,
  Arduus in valles et fora clivus erat.
Et jam contigerat portam, Saturnia cujus
  Demserat appositas insidiosa seras.
Cum tanto veritus committere numine pugnam,
  Ipse meæ movi callidus artis opus,

260. Tatius, Sabinorum rex, quum passim a scriptoribus *Titi* prænomine insigniatur, atque etiam h. l. MS. Vossii idem præferat, tum mox *Tatium* occurrat, Heinsius illud merito prætulit. *Œbalus* antiquissimus Lacedæmoniorum rex. Sabini autem a Lacedæmoniis, quemadmodum Etrusci a Tyrrhenis descendere credebantur; Plutarch. Rom. 15; quamquam falso. Inde iii. 230. *Œbalides matres.*

261. Confer. cum his Noster, Metam. xiv. 751 sqq; Dionysius Halic. ii. 38—40; Livius, i. 11; Servius ad Æneid. i. 396. Sp. Tarpeius arci Romanæ præerat, filiaque ejus *custodiebat* portam, de qua mox. *Levis*, cui non tuto custodia credita, aut quæ facile corrumpi potuit muneribus. Virgo, quum Tatius id ageret, ut eam corrumperet, aureas *armillas*, quas magni ponderis lævo brachio *Sabini* gestabant, pepigit. Ita Tatius *summa arce* potitus est. Sic Fabius et Cincius tradiderant. Sabini autem, ut Etrusci, molli victu cultuque gaudebant. *Arduus in valles*, arduus imminens vallibus.

265. *Contigerat*, scil. Tatius. *Portam.* Macrob. Sat. i. 9: "Quum Romani portam, quæ sub radicibus collis Viminalis erat, quæ postea ex eventu Janualis vocata est, claudere festinarent, quia in ipsam hostes irruebant," etc. *Saturnia*, Juno; hinc sequitur *tanto numine*, et Voss. habet *Saturnia Juno.* Ea autem indignabatur, ut omnibus Trojanis, ita Æneæ ejusque posteris. Ad eam igitur Hor. II. Od. i. 25. multo seriora mala refert. Non male ergo nunc quoque interposita est. Confer Metam. xiv. 787. *Seræ* scil. ligna, quæ ex transverso januis objiciebantur, passim dicuntur *apponi.* Iis *appositis*, januæ *obserantur*; demtis, *reserantur.*

268. *Movi opus meæ artis*, edidi opus, patravi facinus mihi conveniens; Macrob. d. l. "Quumque Sabini per portam patentem irrupturi essent, fertur ex æde Jani per hanc portam magna vis torrentium, undis scatentibus, erupisse, multasque perduellium catervas, aut exustas ferventi aqua, aut devoratas rapida voragine deperiisse." *Ora fontana*, exitum fontis. Janus autem omni exitui præest; hinc, *qua potens sum ope.* De aqua prosiliente *ejaculari* etiam Metam. iv. 124. Alibi sic *egerere*, ut Plin. IV. Ep. xxx. 7. Varro de Ling. Lat. iv. "Lautolæ a lavando, quod ibi ad Janum geminum aquæ calidæ fuerint." Inde nata videtur fabula, Met. xiv. 785. Venus Romanorum causam agit, atque a Naidibus, loca Jano

Oraque, qua pollens ope sum, fontana reclusi;
  Sumque repentinas ejaculatus aquas.
Ante tamen gelidis subjeci sulphura venis,
  Clauderet ut Tatio fervidus humor iter.
Cujus ut utilitas pulsis percepta Sabinis;
  Quæque fuit, tuto reddita forma loco est.
Ara mihi posita est, parvo conjuncta sacello:
  Hæc adolet flammis cum strue farra suis.
At cur pace lates, motisque recluderis armis?
  Nec mora, quæsiti reddita causa mihi:
Ut populo reditus pateant ad bella profecto,
  Tota patet demta janua nostra sera.
Pace fores obdo, ne qua discedere possit:
  Cæsareoque diu nomine clausus ero.
Dixit: et attollens oculos diversa tuentes,
  Adspexit toto quidquid in orbe fuit.

juncta cum gelido fonte tenentibus, impetrat, ut fontis sui flumina eliciant: quæ quum nondum iter præcluderent hostibus, sulphura supponunt fonti, atque bitumine venas incendunt; unde aqua calida.

275. Vetus et primum Jani templum Romulus, pace cum Sabinis facta, ibi posuit, ubi Janus auxilium contra Tatium tulit; Terent. Maurus in Wernsdorfii Poet. Min. tom. ii. pag. 279. *Tibi vetus ara caluit Aborigineo sacello.* Recte vocat *parvum sacellum;* auctore Procopio, cujus tempore restabat, nil nisi Jani statuam quinquepedalem capiebat, forma quadrata et ære constructum, portas utrimque habens æneas a fronte et a tergo. *Hæc adolet,* in hac adolentur. *Strues,* libi genus. Festus: "Ferctum genus libi dictum, quod crebrius ad sacra ferebatur, nec sine strue, altero genere libi: quæ qui afferebant, strufectarii appellabantur."

277. *Latere* ipse dicitur quia tempore pacis ejus templum clausum. Horat. II. Ep. i. 255. "claustraque custodem pacis cohibentia Janum." Vide ad ver. 121. *Reditus pateant.* Secundum Macrob. i. 9. ad finem, tempore belli fores reserantur, velut ad urbis auxilium profecto, Deo. *Fores obdo,* foribus seram obdo. *Possit* nempe Pax. Hoc melius est, quam quod Marcil. ad Horatium, II. Ep. i. 255. præfert *possim.* *Nomine* Heinsius ex MSS. Ursin. Voss. Arund. recepit, ut Cæsarea domus intelligatur. Potest dictum esse, ut *nomine suo terrere gentes.* Cæsareum nomen ita terrebit gentes, ut ab armis abstineant, egoque clausus esse possim. Vulgo, *numine.*

283. *Diversa,* loca sibi opposita; in tales enim partes faciem Janus conversam habet. *Pax erat.* Anno U. C. 770. C. Cæcilio Rufo, L. Pomponio Flacco coss. ad VII. Kalend. Jun. *Cæsar Germanicus* de Cheruscis, Chat-

Pax erat; et vestri, Germanice, causa triumphi
Tradiderat famulas jam tibi Rhenus aquas.
Jane, face æternos Pacem Pacisque ministros:
Neve suum præsta deserat auctor opus.
Quod tamen ex ipsis licuit mihi discere Fastis,
Sacravere patres hac duo templa die.
Accepit Phœbo Nymphaque Coronide natum
Insula, dividua quam premit amnis aqua.
Jupiter in parte est: cepit locus unus utrumque:
Junctaque sunt magno templa nepotis avo.
Quid vetat et stellas, ut quæque oriturque cadit-
Dicere? promissi pars fuit ista mei. [que,

tis et Angivariis triumphum egit; Tacitus, Ann. ii. 41. Norisius de Cenotaph. Pis. p. 201. putat Ovidium Germanico triumphum tantum augurari: Massonus contra in vita Ovidii, ad annum 770. contendit, scripta hæc post actum triumphum, eoque tempore pacem fuisse per orbem terrarum compositam. Id sane Poetæ verba indicare videntur. Serviebant jam Germani Romanis; sed poetæ fluviis tribuunt, quod accolis convenit; et *famulus* fluvius passim occurrit, ut Heinsius docet. *Face æternos*, etc. da nobis semper moderatores pacis. Heinsius vocem *ministros* indignam censet majestate Cæsareæ domus; corrigit ergo *sequestros*, id est, mediatores. Verum etiam *minister* de moderatore dicitur: Virg. Æn. ii. 100: "Calchante ministro;" v. 640. "Deus animum ministrat." *Neve suum*. etc. effice, ne is, qui pacem nobis peperit, ad arma rursus convertatur.

289. Superiora didicerat ex Jano; progreditur ad ea, quæ *Fasti* suppeditabant. Dies dedicationis admodum solemnes Romæ; inde igitur et Kalend. Januar. aliquid celebritatis accessit: ex *Phœbo* et *Coronide Nympha* natus est Æsculapius, Metam. ii. 542—632. Ann. U. C. 462. Q. Fabio Gurgite, D. Junio Bruto Scæva coss. peste urbem agrosque vastante, Romani, libris Sibyllinis moniti, Æsculapium ab Epidauro arcessitum in insulam Tiberis deportarunt, eique templum ibi consecrarunt; Livius, x. 47: edit. Reisk. quam deportationem et consecrationem Noster Metam. xv. 622—744. copiose persecutus est. Insula, cujus originem Livius. ii. 5. refert, inde dicta *Æsculapii insula*; Sueton. Claud. 25. Hoc loco *premere* est cingere. *Jovis* templum *una die*, non autem ejusdem anni, sed multo serius post bellum punicum secundum, a C. Servilio duumviro dedicatum est. Liv. xxxiv. 53.

295. De *stellarum ortu* et *occasu* jam primum dicturus; præmittit præclare *laudes eorum, qui primi siderum naturam investigarunt*. Triplicem autem astrorum ortum et obitum astronomi memorant, heliacum, quum solis radiis vel emerguntur, vel occultantur; unde Plinius *emersionem* et *occultationem* vocat: cosmicum scil. matutinum, quum sidus circa solis ortum oritur aut occidit: acronychium deni-

Felices animos, quibus hæc cognoscere primis,
Inque domos superas scandere cura fuit!
Credibile est illos pariter vitiisque locisque
Altius humanis exseruisse caput.
Non Venus et vinum sublimia pectora fregit,
Officiumve fori, militiæve labor:
Nec levis ambitio, perfusaque gloria fuco,
Magnarumve fames sollicitavit opum.
Admovere oculis distantia sidera terris,
Ætheraque ingenio supposuere suo.
Sic petitur cœlum: non, ut ferat Ossan Olympus,
Summaque Peliacus sidera tangat apex.
Nos quoque sub ducibus cœlum metabimur illis,
Ponemusque suos ad stata signa dies.

que scil. vespertinum, quum idem fit circa solis occasum. Mox plurimi, Felices animæ. Sed nunc de cognoscendi studio sermo est; itaque rectius puto *animos*. Beatos autem eosdem prædicat et Plinius, ii. 12; "Macti ingenio este, cœli interpretes, rerumque naturæ capaces, argumenti repertores, quo homines Deosque vicistis." Eos paulo ante *viros ingentes* vocat, supraque mortalium naturam, qui numinum legem deprehenderint. *In domos superas scandere*, sidera cœli contemplari; Horat. I. Od. xxviii. 5. de Archyta, "Aerias tentasse domos, animoque rotundum Percurrisse polum." Confer. Lucretius, i. 74. *Locis humanis exserit caput*, qui non tantum intuetur, quod ante pedes est, sed suspicit et contemplatur cœlestia. Huic accommodavit, ut ingeniose loqueretur, et alterum, *vitiis exseruisse caput*.

302. *Officium fori*, omnis opera JCtorum, patronorum et advocatorum. *Perfusa fuco*, cujus splendor fallax. Heinsius *oculis* monet sexto casu esse capiendum, ut istis tamquam instrumentis adduxerint sidera distantia: id quod parum placet. Immo sidera quasi de cœlo deducta admoverunt oculis suis, atque *ingenio supposuere*, id est, tam diligenter contemplati sunt sidera, ac si illa mensæ essent imposita.

307. Horatius, I. Od. iii. 38. *Cœlum ipsum petimus stultitia*, alludens et ipse ad gigantas, qui, montibus congestis, cœlum petierant, regnum cœleste affectantes. Ordinem montium congestorum eumdem Noster servat et II. Amor. i. 13. atque e lectione nostra Metam. i. 154 s. *Peliacus apex*, quatenus Pelion, minimus mons, supremum occupat locum. *Metari* pro metiri. Sensus: Ex inventis eorum nonnulla repetam. *Stata sidera* opponuntur vagis sc. erraticis; ergo fixa; Censorinus de D. Nat. 7. "vitam nostram stellis, tam vagis quam statis, esse subjectam;" Plinius, xvii. 25. "stata sidera et cœlo affixa." Jam *ponere suos*, etc. dies notare, quibus sidera illa oriuntur et conduntur.

Ergo ubi nox aderit venturis tertia Nonis,
  Sparsaque cœlesti rore madebit humus:
Octipedis frustra quæruntur brachia Cancri;
  Præceps occiduas ille subivit aquas.
Institerint Nonæ: missi tibi nubibus atris
  Signa dabunt imbres, exoriente Lyra.
Quatuor adde dies ductis ex ordine Nonis;
  Janus Agonali luce piandus erit.

311. Occasus cosmicus scil. matutinus *Cancri*, sub finem noctis, quæ est inter secundum et tertium mensis diem, scil. tertia ante Nonas.

315. *Lyræ* ortus cosmicus. Columella, ix. 2. "Nonis Januariis Fidis exoritur mane: tempestas varia;" Plinius, xviii. 26. seu, 64. "Pridie Nonas Januar. Cæsari Delphinus matutino exoritur, et postero die Fidicula." *Institerint—Lyra*; Nonis et imbres cadunt, et Lyra exoritur. Sensus est facilis; modo teneas ante *institerint* subintelligendum esse *si*, de qua ellipsi vid. Cortius ad Sallust. Jug. lxiv. 5; tum, *signa dare* esse Græc. Astron. ἐπισημαίνειν, se ostendere, oriri, quod apud Gemin. sæpissime de tempestatis vicissitudinibus legitur. Locus nostro simillimus est iv. 904. *Signaque dant imbres, exoriturque Canis.* Sed Taubn. aliter videtur in Addendis: pro *missi* recipi volebat *mitti*, et sensum constitui hunc: Si institerint Nonæ, *signa*, sidera, *dabunt*, portendent, nunc *imbres mitti*. Durissime. Unus Vatic. isque optimus: *Obstiterint imbres: missi tibi nubibus atris, Nonæ signa dabunt, exoriente Lyra.* Quod si his interpunctionem alterius lectionis dare velis, sic quoque sensum tolerabilem habeas: si imbres obstiterint, quo minus ipse Lyræ exortum cernere possis, ex Nonis eum potes cognoscere. Multi cod. quibus Neap. usus, *Institerint imbres missi tibi nubibus atris, Nonæ signa dabunt.* Ita in Regiis A. et C; at codex B. *Signa dabunt Nonæ; nisi si tibi nubibus atris Institerint imbres.*

317. Dies Januarii nonus. *Agonia* sive *Agonalia* etiam ex Kalendario veteri in diem Januarii quintum incidebant, secundum alios in diem antecedentem. Agonalium originem Antias, scriptor vetustus, ad Numam Pompilium retulerat; Macrob. Sat. i. 4. Nominis causas Ovidius plures reddit. *Succinctus minister*, popa, victimarius. Duo popæ aderant, quorum alter feriebat victimam, alter, cultrarius, percussam jugulabat. Ambo erant *succincti*, id est limo tantum pudenda tecti, cætera nudi. Limum Plutarchus vocat *περίζωμα εὐπάρυφον*. Vide Torrent. et Casaub. ad Suetonium, Calig. 32. Cæterum *succinctus minister*, pro vocativo. Quod quum non observarent librarii, multi *potest, rogat* et *agit* dederunt: confer ad iv. 731. *Semper, Agone*, etc. Hanc Romanorum in sacris diligentiam, qua cavebant, ne victimarius nisi *jussus* victimam feriret, Græci inprimis scriptores notarunt, Dionysius Halic. Plutarchus et alii. Τὸ *semper* ad hoc potissimum sacrum referendum, monet Burmannus. Sed adhibita hæc formula etiam in aliis sacris; quemadmodum et in illis pecudes, non sponte *veniebant*, sed *agebantur*. Inanes sunt istæ etymologiæ, ut multæ veterum.

Nominis esse potes succinctus causa minister,
Hostia cœlitibus quo feriente cadit;
Qui calido strictos tincturus sanguine cultros,
Semper, Agone? rogas; nec, nisi jussus, agis.
Pars, quia non veniant pecudes, sed agantur, ab actu
Nomen Agonalem credit habere diem.
Pars putat hoc festum priscis Agnalia dictum;
Una sit ut proprio litera demta loco.
An, quia prævisos in aqua timet hostia cultros,
A pecoris lux est ista notata metu?
Pars etiam, fieri solitis ætate priorum
Nomina de ludis Graia tulisse diem.
Et pecus antiquus dicebat Agonia sermo;
Veraque judicio est ultima causa meo.
Utque ea nunc certa est, ita rex placare sacrorum
Numina lanigeræ conjuge debet ovis.
Victima, quæ dextra cecidit victrice, vocatur:
Hostibus amotis hostia nomen habet.
Ante, Deos homini quod conciliare valeret,
Far erat, et puri lucida mica salis.

325. *Agnalia* Neapol. monet; argutias magis inesse etymo, quam veritatem; non agnam, sed arietem tum cæsum. *In aqua* per pelves disposita juxta aram; confer xv. 124 s. *Timet*, *ἀγωνιάζει*. *Metu*, *ἀγωνίᾳ*. *Notata*, vocata, quod est in variis lectionibus. *Graia* pro *Græca* dedit Heinsius quum quidam *grata* haberent; Metam. iv. 16. *per Graias gentes*. Apud Græcos autem, quod constat, certamina athletarum gymnica *Agones* dici solebant. *Et pecus*, etc. Sic et Festus: "hostiam enim antiqui Agoniam vocabant." Et: "Agonias hostias putabant ab agendo dictas; unde agolum pastorale baculum, quo pecudes aguntur."

334. *Conjux ovis* ex antiquo sermone poetico, aries. Vide ad Metam. i. 660. *Dextra cecidit victrice*, ob victoriam partam Diis offertur. *Amotis* ubi nulli hostes sunt, tempore pacis. Taubner. hoc divisim scribi vult, *a motis*.

337—456. *Digressio*, quæ *historiam rerum Diis offerendarum* continet; confer iii. 727 sqq. *Ante* olim. Mola *salsa* tenuissimum sacrificium: nec apud Græcos antiquissimos odores adolebantur aut victimæ, tantum herbæ et fruges. Vid. Rhodiginus, xii. 1. *Purum*, quod sacris adhibetur, et propter vim purificandi lustrationibus. *Farris* autem oblationem a Jano institutam esse, Fabius Pictor, lib. i. nar-

Nondum pertulerat lacrymatas cortice myrrhas
Acta per æquoreas hospita navis aquas.
Tura nec Euphrates, nec miserat India costum,
Nec fuerant rubri cognita fila croci.
Ara dabat fumos, herbis contenta Sabinis,
Et non exiguo laurus adusta sono.
Si quis erat, factis prati de flore coronis
Qui posset violas addere, dives erat.
Hic, qui nunc aperit percussi viscera tauri,
In sacris nullum culter habebat opus.

raverat. Hinc sæpe ejus fit mentio. Horatius, III. Od. xxiii. 19. ubi urget hoc, Deos non muneris pretium, sed mentem piam respicere, " Mollivit aversos Penates Farre pio et saliente mica."

339. Plinius, Histor. Nat. xiii. 1. " Iliacis temporibus non erant unguenta ; nec ture supplicabatur." De Romuli et Numæ temporibus idem monet Arnobius contra Gent. vii. p. 232. Noster tamen iii. 713. a Baccho jam, India debellata, odores, cinnama, tura data esse tradit. *Myrrha*, frutex in multis Arabiæ locis nascens, ex cujus cortice inciso guttæ manant; Plinius, xii. 15; Dioscor. i. 64 et 69; Ovid. Metam. x. 500. de myrrha, " Flet tamen, et tepidæ manant ex arbore guttæ : Est honor et lacrymis, etc." *Hospita*, peregrina. *Tura* apud Sabæos sudabant ex arboribus incisis; Plinius, xii. 14; Virgil. Georg. ii. 117. Ex Arabia per *Euphratem*, qui in sinum Persicum se exonerat, subvecta sunt in alias terras. Quia igitur ad Euphratem maxima talium mercium copia, propterea ille eas *mittere* dicitur. Omnino orientales merces in Syriæ et Phœniciæ oppida maritima confluebant, unde Romani eas petebant. *Costi* et radix et folia Indis in maximo pretio propter eximium odorem. Plinius, xii. 12. *Crocum* mittebat Cilicia ex Corylo monte. Ei mox *fila*, mox capilli tribuuntur, unde ξανθόῤριχα κρόκον Græci dixerunt. Vid. Salmas. ad Solin. p. 749.

343. *Herbis Sabinis.*] Plin. xxiv. 61. " Herba Sabina, brathy appellata a Græcis, duorum generum est: altera tamaraci similis folio, altera cupresso. Quare quidam Creticam cupressum dixerunt. A multis in suffitus pro ture adsumitur;" vide iv. 741: lustrationi inservit. Etiam Virg. in Cul. 403. " Herbaque turis opes priscis imitata Sabina." Utebantur autem foliis ejus in eam rem; Dioscorid. i. pag. 104. Cum *lauro* conjungitur et iv. 741 s. *Crepitus* lauri *non exiguus* bonum signum; Tibull. II. v. 81 s.; confer et supra ver. 76. *Coronis* et *floribus* ornabantur Dii in templis. Lactant. Inst. ii. 1. Arnob. contra Gent. vii. 237.

347. De victimis sanguinolentis. *Viscera* hic *aperiri*, alibi *nudari* dicuntur ut Æn. i. 211. ubi Servius : " Viscera quidquid sub corio est." *Prima Ceres*, etc. Ita et Varro de Re Rust. ii. 4: " A suillo genere pecoris immolandi initium primum sumtum videtur. Cujus vestigia sunt, quod initiis Cereris porci immolantur, etc." Confer Ovid. Met. xv. 111—115. *Avidæ*, dum semina cruit rostro, spemque anni intercipit. *Opes suas*, frumenta. Pro

Prima Ceres avidæ gavisa est sanguine porcæ,
  Ulta suas merita cæde nocentis opes.
Nam sata, vere novo teneris lactentia succis,
  Eruta setigeræ comperit ore suis.
Sus dederat pœnas; exemplo territus hujus
  Palmite debueras abstinuisse, caper.
Quem spectans aliquis dentes in vite prementem,
  Talia non tacito dicta dolore dedit:
Rode, caper, vitem: tamen hinc quum stabis ad aram,
  In tua quod spargi cornua possit, erit.
Verba fides sequitur: noxæ tibi deditus hostis
  Spargitur affuso cornua, Bacche, mero.
Culpa sui nocuit: nocuit quoque culpa capellæ.
  Quid bos, quid placidæ commeruistis oves?
Flebat Aristæus, quod apes cum stirpe necatas
  Viderat incœptos destituisse favos.

succis Heinsius ex MSS. nonnullis *sulcis* adoptaverat. Sed Burmannus recte *succis* revocavit, quia nec *tener*, nec *lactens* sulcis convenit. Succi contra frugum sæpe *lactis* nomine insigniuntur. Mitscherl. tamen Heinsium sequi maluit. Regii tres nostri *sulcis;* bene: sulci enim pro scrobibus sumuntur, in quibus arbores plantantur.

353. *Exemplum*, pœna. Phædrus, III. fab. vi. 20. " Justoque vindicavit exemplo impetum," ubi vide Scheffer. Similiter *παράδειγμα*. Vid. omnino Gellius Noct. Attic. vi. 14. *Abstinuisse*. Sic Horatius *Poteras dixisse*. *Premere*, imprimere, ut *pressum aratrum*. Tibullo IV. i. 161. *Non tacito dolore*, non retinens dolorem. Verba *Rode—erit* notant ex Eveni Epigr. expressa esse: *Κῆν με φάγῃς ἐπὶ ῥίζαν, ὅμως ἔτι καρποφορήσω, Ὅσσον ἐπισπεῖσαι σοι τράγε ζυομένῳ*. *Hinc*. Heinsius legi volebat *huic*, scil. viti. Sed Burmannus jam monuit, eumdem sensum, et elegantiorem etiam exsurgere ex *hinc*. *Spargi*, fundi libatione. *Verba fides sequitur*, fit, quod ille prædixerat. *Noxæ deditus*, e formula solemni. Festus: " Quum lex jubet noxæ dedere, pro peccato dedi jubet." De *culpa* autem hac capri conf. Varro de Re Rust. I. ii. 18 s.; Virgilius, Georg. ii. 375 sqq.

363—384. Causam reddere vult, cur bos quoque et ovis mactari cœptæ sint. Sed quæ de *Aristæo* addidit, ea arcessita sunt et inducta; non enim monstrant, cur Diis offeratur bos. Latius autem illa Virgil. Georg. iv. 281—558. persecutus est. *Aristæus*, Apollinis filius et Cyrenes Nymphæ habitus, latissimas possessiones in Arcadia habuit, ibique apum et mellis, etiam lactis ad coagula usum hominibus tradidisse narratur. A Virgilio *Arcadius magister* vocatur. Post mortem in Cycladibus Jovis Aristæi et Apollinis Nomii nominibus cultus fuit.

Cærula quem genitrix ægre solata dolentem,
Addidit hæc dictis ultima verba suis:
Siste, puer, lacrymas: Proteus tua damna levabit;
Quoque modo repares, quæ periere, dabit.
Decipiat ne te versis tamen ille figuris;
Impediant geminas vincula firma manus.
Pervenit ad vatem juvenis: resolutaque somno
Alligat æquorei brachia capta senis.
Ille sua faciem transformis adulterat arte;
Mox domitus vinclis in sua membra redit:
Oraque cærulea tollens rorantia barba,
Qua, dixit, repares arte, requiris, apes?
Obrue mactati corpus tellure juvenci:
Quod petis a nobis, obrutus ille dabit.
Jussa facit pastor: fervent examina putri
De bove: mille animas una necata dedit.

Destituisse, non perfecisse. *Cærula genitrix.* Nempe Cyrene una erat ex Nymphis Penei, antra in fundo fluminis jam jam mari se committentis incolens.

367. *Levabit damna*, ostendet, unde resarciatur damnum, res amissa. *Proteus* autem vates omnia noverat. Non tamen sine vi adhibita monita dabat; sed difficulter cogi poterat, quum correptus manibus in varias se *verteret figuras*, et ita *deciperet* tenentem. *Dabit*, edocebit. *Æquoreus*, nempe in Carpathio in primis prope Ægyptum mari habitans. *Somno* jacentem aggredi et vincire ab ipsa matre jussus erat. Vide Virgil. d. l. *Transformis*, qui in alias formas transire potest. Eo sensu etiam Metam. viii. 87. *transformia corpora* filiæ Erisichthonis. *Adulterat faciem*, alienam sumit faciem; quum *adulterare* alias vitiandi notionem habeat. Sed et IV. Pont. x. 59. *adulterat undas*, aliam naturam tribuit, quam marina aqua habet. *Oraque—barba.* Sic et Tritonis os Metam. i. 339. describitur. Apud Virgil. Proteus morbi tantum apum causam memorat, et Aristæum consilii in opem relinquit; sed Cyrene mater inde a ver. 530. subjicit, quod deerat. Ibidem non *obruere* corpus juvenci jubetur, sed contusum includere angusto tecto, substratis fragmentis ramorum. Ibi Interpretes multa de hac opinione veterum collegerunt, e cadavere contuso et sepulto nova apum examina nasci: quod Ægyptiorum inventum vulgo jactabatur. *Anima* pro animantibus. *Fervere* de magna copia dicitur qua quid cum motu et sonitu impletur. Virgil. Georg. iv. ver. 556. "Stridere apes utero et ruptis effervere costis."

Poscit ovem fatum: verbenas improba carpsit,
  Quas pia Dîs ruris ferre solebat anus.
Quid tuti superest, animam quum ponat in aris
  Lanigerumque pecus, ruricolæque boves?
Placat equo Persis radiis Hyperiona cinctum,
  Ne detur celeri victima tarda Deo.
Quod semel est triplici pro virgine cæsa Dianæ,
  Nunc quoque pro nulla virgine cerva cadit.
Exta canum vidi Triviæ libare Sapæos,
  Et quicumque tuas accolit, Hæme, nives.
Cæditur et rigido Custodi ruris asellus.
  Causa pudenda quidem est, huic tamen apta Deo.

381. Casu fatali accidit, ut etiam *ovis* culpam contraheret, et mactaretur. *Poscere* verbum proprium de fati potestate. *Verbena*, herba e sacro loco petita; interdum illud herbæ genus, quod *hierobotane* dicitur; Livius, i. 24; Plin. xxii. 2. In epithetis *lanigerum* et *ruricolæ* causa latet, cur triste sit et ingratum, illas mactare.

385. Solem, qui Persis Mithres dicebatur, numen maximum et sanctissimum, e mythologia Græca *Hyperiona* appellavit. Strabo, xv. p. 732. Τιμῶσι δὲ καὶ Ἥλιον, ὃν καλοῦσι Μίθραν. Hesychius, Μίθρης· ὁ πρῶτος ἐν Πέρσαις θεός. Hunc *equis* esse placatum, docent Hutchins. ad Xenoph. Cyrop. Dissert. ii. 1. et Brisson. de R. Pers. i. 8. *Triplex* Diana etiam Heroid. xii; *triformis* Silius Ital. i. 120; Virgil. Æn. iv. 511. *tria virginis ora Dianæ*, ubi vid. Cerda: τριπρόσωπος et τρίμορφος. Huic pro *virgine* Iphigenia *semel* in Aulide occidit *cerva*, quæ supposita erat a Diana virgini Tauros translatæ. Sic Euripides in Iph. Aul. et Taur. Verum Ovidius, Metam. xii. 24 sqq. alteram traditionem sequitur, qua ipsa Iphigenia mactata est. *Pro nulla virgine*, quamquam non, ut olim, pro virgine.

389. *Sapæi*, quos imperiti librarii in notiores *Sabæos* mutaverant, populus erant Thraciæ. Herodot. vii. 110. Strabo, x. p. 463. et Stephan. de Urb. Hos Ovidius ipse *vidit*. Anno enim U. C. 763. Tomos migrans, appulit in Thraciæ litora; inde pedibus iter per Bistonios fecit. IV. ex. P. v. 5. Vid. omnino Masson. Vit. Ovid. ad illum annum. Hoc enim opus Romæ cœptum absolvit in exsilio. *Libare* omnino offerre. Ab hoc autem sacrificio Hecate a Lycophr. ver. 77. Κυνοσφαγὴς θεὰ vocatur: ibique Tzetzes observat, θύουσι δ' αὐτῇ κύνας, ὡς φησι Σώφρων ἐν μίμοις· ὁ γὰρ Κὼν λύει τὰ φάσματα. Vide ibi Potter. Idem etiam factum in Zerynthio Thraciæ antro. Vide Suidam in Ζηρύνθιον. Plura de canum immolatione habet Plutarchus Quæst. Rom. tom. vii. pag. 131, edit. Reisk. Etiam Romæ Robigini canis exta dabantur; iv. 908. *Nivibus* olim notus Hæmus, Thraciam a parte septemtrionali claudens.

391. Fabulis petulantioribus quum Ovidius delectaretur, non potuit a se

Festa corymbiferi celebrabas, Græcia, Bacchi,
Tertia quæ solito tempore bruma refert.
Dî quoque cultores in idem venere Lyæi,
Et quicumque joci non alienus erat:
Panes, et in Venerem Satyrorum prona juventus,
Quæque colunt amnes solaque rura, Deæ.
Venerat et senior pando Silenus asello,
Quique rubro pavidas inguine terret aves.
Dulcia qui dignum nemus in convivia nacti,
Gramine vestitis accubuere toris.
Vina dabat Liber: tulerat sibi quisque coronam:
Miscendas parce rivus agebat aquas.
Naides effusis aliæ sine pectinis usu,
Pars aderant positis arte manuque comis.

impetrare, quin hic quoque talem insereret de *Priapo*, custode ruris, quam Metam. ix. 346. verbo tantum attigit. *Rigidus*, severus, ut Horat. I. Ep. i. 17. *rigidus satelles virtutis*. *Huic* significanter, tam libidinoso et obscœno Deo. *Apta*, conveniens. *Festa* intelligendum trieterica, quæ tertio quoque anno celebrabantur. Vid. Barnes. ad Eurip. Bacch. ver. 133. *Corymbifer* Bacchus et κορυμβοφόρος dictus a *corymbis*, racemis hederæ in orbem circumactis, in quibus acini ac baccæ; Plinius, xvi. 34. Etiam Bacchæ *corymbis* coronatæ; Eurip. Bacch. lxxxi. 106. Cod. plures h. l. *racemiferi*. Hoc quoque recte vocatur; etenim Bacchus etiam racemis tam caput, quam thyrsum velare solebat. *Refert*, reducit. *In idem venire* est bona locutio, quæ etiam Heroid. xv. 121. legitur, "Non veniunt in idem pudor atque amor." *Cultores* autem *Lyæi* sunt ipsi Panes et Satyri cum Sileno, qui mox memorantur, atque ad Bacchi sacra convenire solebant; *jocus* dicitur nunc de saltatione lasciva, nunc de lusu Venereo.

397. *Panes.*] Ab initio *Pan* non nisi unus, Arcadiæ Deus. Post plures *Panes* et *Panisci* ficti, qui Bacchi sacris interessent. Vide Heynium d. l. Similiter olim unus *Silenus*, Bacchi educator: seriore tempore plures Sileni, quorum præsul Silenus prior. *Satyrorum* lascivia jam Hesiodo notata, e quo Strabo, x. pag. 471. γένος οὐτιδανῶν Σατύρων laudat. *Silenus*, etsi *senex*, tamen amabat et ipse jocos et saltationes. Anacreon. xxxvii. 11. Aut *asello* insidens, aut ferula nitens exhibebatur; Metam. iv. 26 s. *Priapus* ad mare etiam Indicum in Bacchi comitatu erat. Nonnullis adeo Bacchi habebatur filius. Schol. Apollon. ad i. 932. Ejus statuæ *rubro* colore, nempe minio pictæ, et *inguine* enormis magnitudinis instructæ erant. Eo, quamquam et *falce* (Tibul. I. i. 18,) terrebat aves; Horat. I. Sat. viii. 5. "Obscœnoque ruber porrectus ab inguine palus."

401. *Dignum*, aptum convivii hilaritati; Met. iv. 692. "dignos tempore fletus." Et sæpe absolute ponitur. Vid. Bentl. ad Horat. II. S. i. 85.

Illa super suras tunicam collecta ministrat:
  Altera dissuto pectus aperta sinu. [bas;
Exserit hæc humerum: vestem trahit illa per her-
  Impediunt teneros vincula nulla pedes:
Hinc aliæ Satyris incendia mitia præbent;
  Pars tibi, qui pinu tempora nexa geris:
Te quoque, inexstinctæ Silene libidinis, urunt;
  Nequitia est quæ te non sinit esse senem.
At ruber, hortorum decus et tutela, Priapus
  Omnibus ex illis Lotide captus erat.
Hanc cupit, hanc optat; sola suspirat in illa;
  Signaque dat nutu, sollicitatque notis. [mam:
Fastus inest pulchris, sequiturque superbia for-
  Irrisum vultu despicit illa suo.
Nox erat: et, vino somnum faciente, jacebant
  Corpora, diversis victa sopore locis.
Lotis in herbosa, sub acernis ultima ramis,
  Sicut erat lusu fessa, quievit humo.

Gramine—toris dignius quam gramine. *Parce* conjunge, non cum *agebat*, sed cum *miscendas*. Optimus putabatur potus e tribus aquæ partibus temperatus, ac duabus vini. Arist. Equit. pag. 355. Alii quartam aut quintam vini partem commendabant. Vide Spanhem. ad Callim. hymn. in Pallad. 47.

407. Ministræ mensas epulis instruentes succinctæ esse solebant. Metam. viii. 660. *Tunicæ* mulierum, quæ Nymphis et alibi dantur, ut ii. 171. longiores erant, ad talos usque demissæ. *Dissuto sinu*. Neapolis putat, fasciam pectoralem esse solutam. sed hoc non potuisset verbo *dissui* exprimi. Immo, de soluta sutura cogitandum. *Vincula*, calceamenta. *Impediunt*, cinguut.

412. Pan caput frondibus *pineis* cingere solebat, Metam. i. 699. *Inexstinctæ*, quia ad senectutem usque durabat; in Ibide, 428. *inexstincta fames*. *Urunt*, ut illud *Urit me Glyceræ nitor* Horat. I. Od. 19. *Nequitia*, libidinosa levitas, quæ in concubitus vetitos fertur. *Decus* debemus Heinsio. Sin *decus* verum est, jocose dictum videtur. *Notæ* de nutibus et signis amantium; Amor. III. xi. 23. "verba compositis dissimulata notis." Tibul. I. ii. 22. "Blandaque compositis obdere verba notis." *Sollicitare*, ut Græc. πειρᾶν, scil. ad concubitum.

419. *Pulchris.*] Heins. *pulchræ* malebat. Mihi alterum magis placet, ut sit generalis sententia, quæ ver. seq. pronomine *illa* deflectit ad Lotida. *Fastus* et *superbia* de iis, qui non redamant amatores suos; Metam. iii. 354.

Surgit amans; animamque tenens, vestigia furtim
Suspenso digitis fert taciturna gradu.
Ut tetigit niveæ secreta cubilia Nymphæ;
Ipsa sui flatus ne sonet aura, cavet.
Et jam finitima corpus librabat in herba:
Illa tamen multi plena soporis erat.
Gaudet; et, a pedibus tracto velamine, vota
Ad sua felici cœperat ire via.
Ecce rudens rauco Sileni vector asellus
Intempestivos edidit ore sonos.
Territa consurgens Nymphe manibusque Priapum
Rejicit, et fugiens concitat omne nemus.
At Deus, obscœna nimium quoque parte paratus,
Omnibus ad lunæ lumina risus erat.
Morte dedit pœnas auctor clamoris: et hinc est
Hellespontiaco victima grata Deo.
Intactæ fueratis aves, solatia ruris,
Adsuetum silvis, innocuumque genus;
Quæ facitis nidos, quæ plumis ova fovetis,
Et facili dulces editis ore modos.
Sed nihil ista juvant: quia linguæ crimen habetis,
Dîque putant mentes vos aperire suas.
Nec tamen id falsum: nam, Dîs ut proxima quæque,
Nunc penna veras, nunc datis ore notas.

425. Confer vi. 331 sqq. ubi Priapus similiter Vestam audet corrumpere, sed et ipse aselli voce impeditur. *Digiti* pedis intellig. et *suspenso digitis gradu* nil est nisi suspensis digitis pedum. *Secreta*, quia ultima jacebat. *Ipsa—cavet* id quod, animam tenebat. *Corpus librabat*, in æquilibrio tenere corpus tentabat, ut solent, qui suspenso gradu incedunt, tamquam funambulones. Eadem formula Metam. viii. 201. de Dædalo jam volare conante.

436. *Omne nemus*, omnes Deos in nemore cubantes.

442. *Adsuetum silvis*, adeoque remotum ab hominibus. *Solantur* rusticos, faciunt ut labores minus sentiant. Virgilius, Georg. i. 293. *solari cantu labores*. *Facile os*, quod facili negotio sonos edit, flexibile; dicitur et *sequax*. *Nihil juvant*, non defen-

Tuta diu volucrum proles, tum denique cæsa est:
  Juveruntque Deos indicis exta sui.
Ergo sæpe suo conjux abducta marito
  Uritur in calidis alba columba focis:
Nec defensa juvant Capitolia, quo minus anser
  Det jecur in lances, Inachi lauta, tuas.
Nocte Deæ Nocti cristatus cæditur ales,
  Quod tepidum vigili provocat ore diem.
Interea Delphin clarum super æquora sidus
  Tollitur, et patriis exserit ora vadis.
Postera lux hiemem medio discrimine signat,
  Æquaque præteritæ, quæ superabit, erit.

dunt vos a mactatione, ut et ver. 453. *Linguæ crimen*, loquacitas; Metam. ii. 540. *Dis proxima*, altissime volans. *Notas*, auguria, signa, *ore* dant oscines; *penna*, scilicet volatu, alites.

450. De singulis avium generibus. *Abducta*, erepta. Proprie *abduci* dicuntur pecudes. *Uritur*, adoletur. *Inachis*, Isis Inachi filia. Metam. i. fab. 8. Ei et Osiridi anser sacer, atque mactari solitus; Juven. Sat. vi. 538. *Lauta*, quia poscit jecur anserinum, quod erat in cibis lautiorum hominum. Plinius, Histor. Nat. x. 26, ibique Harduinus. Non igitur audiendi, qui *Inachi vacca* habent. *Lance* et tura offerebantur et exta; Æn. viii. 284. Ejusdem usus et in cœnis hominum. *Det in lances tuas*, sic scite variavit immolationis notionem.

455. *Deæ Nocti* ex MS. Ursini Heinsius dedit. Vulg. *Deæ noctis*, id est, Hecatæ, cui vero gallus non mactatus. *Ales*, ut Græc. Ὄρνις, per excellentiam gallus. Is *provocat diem*, quia cantum ejus dies sequitur; Virgil. Georg. i. 388. cornix *vocat pluviam*. *Tepidum diem* dixit; *tepor* enim tempori ut vespertino, ita matutino tribuitur; Heroid. iv. 160. *Delphinis* ortus cosmicus sive matutinus; Plinius, Histor. Natur. xviii. 64: "Pridie Nonas Januar. Cæsari Delphinus matutino exoritur." In die igitur dissentit; nam Nostro intelligitur v. Id. sive dies nonus mensis. *Patriis*. De delphino sidere loquitur, ut de sidere pisce, cui æquor *patria* est. Similiter Manilius, v. 389: "At quum se patrio produxit ab æquore piscis."

459. *Postera lux*, iv. Id. sive dies Januarii decimus. Hiemem mediam circumloquitur. *Discrimen*, limes dirimens rem in partes. *Discrimine medio signat hiemem*, in medio facit discrimen, dividit hiemem in duas partes æquales. In *media* autem *hieme* constituenda non consentiunt Veteres. Columella et Ptolemæus eam ad diem, qui Nonas proxime antecedit, referunt. Sed Plinius, xviii. 25. Eudoxum et Metonem secutus, ad diem viii. Kal. Jan. sive diem 25 Decemb. ubi Capricorni partem octavam sol emensus est, brumam esse statuit. De quo dissensu plura disputare, non hujus loci est. Taubnerus monet, cum Columel. et Ptolem. Ovidium conciliari posse, si post ver. 314. duos hos de media hieme ponas, et quæ de Delphini ortu dicuntur. *Superabit*, supererit.

Proxima prospiciet Tithono nupta relicto,
  Arcadiæ sacrum pontificale Deæ.
Te quoque lux eadem, Turni soror, æde recepit;
  Hic ubi Virginea campus obitur aqua.
Unde petam causas horum moremque sacrorum?
  Dirigat in medio quis mea vela freto?
Ipsa mone, quæ nomen habes a carmine ductum,
  Propositoque fave, ne tuus erret honos.
Orta prior Luna, de se si creditur ipsi,
  A magno tellus Arcade nomen habet.

461—586. III. *Id.* sive XI. *die Jan. Carmentalia:* de quibus ita refert, ut multa de *Evandri adventu*, de *Carmentæ* matris viticiniis, de *Herculis* et *Caci* pugna inserat. *Proxima Tithono*, etc. Auroram circumloquitur; ea enim oritur *Tithoni croceum linquens cubile;* Virgilius, Georg. i. 447. *Arcadia Dea*, Carmenta, cui sub porta Carmentali ad pedem Capitolii ara posita; Dionys. i. 32; Virg. Æn. viii. 327. *Sacrum* ejus jam sub Romulo institutum; Plutarch. Rom. 21. *Turni soror*, Juturna, Nympha fluvii et lacus Latii, haud procul ab Albano monte; Virg. Æneid. xii. 134 sqq. ibique Heynii Excurs. Ei Romani ad *aquam Virginem* in Campo templum dedicaverant. Hanc aquam tactu præstantem Agrippa deduxit Romam. Plinius, xxxi. 25. Passim a poetis cum *Marcia aqua* conjungitur.

465. Ut alii poetæ in rerum antiquarum memoria repetenda Musas invocant, sic Noster nunc commode ipsam Carmentam sibi adesse vult, tam propter nomen, quam propter ipsius sacra. *Mos sacrorum*, eorum ritus. Æneid. xii. 836: "Morem ritusque sacrorum adjiciam." H. l. explicatio rituum. Non dixit, *doce*, sed *mone*, quod proprie est vatum. *Ductum*, ut Horat. II. Serm. ii. 56. *ex vero ductum cognomen*, ubi vide Bentl. A *carmine* autem Carmentam habuisse nomen, tradunt et Dionys. i. 31; Plutarchus, in Rom. 21. et in Quæst. Rom. tom. vii. p. 124. ed. Reisk. *Erret*, incertus sit. Livius, i. 24: "In re tam clara nominis error (incertitudo) manet." Supra ver. 190. *Pars mihi ne labet ulla.* Potest tamen hic locus et sic capi, ne tuus honos falso a me proferatur.

469. Docte Arcadiam circumloquitur. *Tellus*, gens, ut sæpe apud poetas γαῖα et χώρα. Arcadas προσελήνους primus dixerat Hippys Rheginus, scriptor Xerxis tempore; Stephan. Byzant. in Ἀρκάς. Inde vulgaris traditio, quam Ovid. etiam ii. 289. v. 90. repetit, Arcadum originem antecessisse lunam. Vide Heynium in Opp. Acad. vol. ii. p. 332 sqq. ubi fabulæ sensum obscurum esse ostendit. Krebsius monet, sensum esse hunc: Selenen mulierem habitasse inter Arcadas et post mortem inter Deas esse relatam. *Arcas*, Lycaonis nepos, Calistus et Jovis filius, inter sidera relatus; Metam. ii. 401 sqq. Inde *magnus. Evander* e Pallantio, urbe Arcadica, in Italiam venit. Fuit autem Mercurii et Nymphæ Arcadicæ filius. Matrem, quippe vatem, Græci *Themin*, Latini *Carmentam* dixerunt;

Hic fuit Evander ; qui, quamquam clarus utroque,
Nobilior sacræ sanguine matris erat.
Quæ simul ætherios animo conceperat ignes,
Ore dabat vero carmina plena Dei.
Dixerat hæc, nato motus instare sibique,
Multaque præterea, tempore nacta fidem.
Nam juvenis, vera nimium cum matre fugatus,
Deserit Arcadiam, Parrhasiumque larem.
Cui genitrix flenti, Fortuna viriliter, inquit,
Siste, puer, lacrymas, ista ferenda tibi est.
Sic erat in fatis : nec te tua culpa fugavit,
Sed Deus ; offenso pulsus es urbe Deo.
Non meriti pœnam pateris, sed numinis iram :
Est aliquid magnis crimen abesse malis.
Conscia mens ut cuique sua est, ita concipit intra
Pectora pro facto spemque metumque suo.

Dionys. Halicarn. i. 31. *Nobilior sacræ matris*, quia omnes matrem memorabant, non itidem patrem. Livius, i. 7 : " Venerabilior divinitate credita Carmentæ matris." Lenzius putat Ovidium, cum Servio ad Virgilium, Evandro tribuisse patrem Echemum. Verum ita ille vix *clarus* dici potuisset etiam paterno sanguine. Evandro describendo non immoratur, sed festinat ad matrem fatidicam. *Sacra.* Sic *sacer Orpheus.* Horat. Art. Poet. 391. *Ætherii furores* de inspiratione etiam v. 446. *Carmina*, vaticinia versibus composita. Loquebatur δι' ᾠδῆς. Dionys. Halicarn. dicto loco : Τὴν δὲ γυναῖκα ταύτην ὁμολογοῦσι δαιμονίῳ πνεύματι κατάσχετον γινομένην τὰ μέλλοντα συμβαίνειν τῷ πλήθει δι' ᾠδῆς προλέγειν. A Plutarcho Rom. 21. vocatur, μαντικὴ καὶ φοιβαστικὴ ἐμμέτρων χρησμῶν. *Plena Dei* potest et ad carmina, et ad vatem ἐνθεον referri.

475. *Motus*, turbæ civiles. Seditione coorta, expulsum esse Evandrum narrat Dionys. Sed Servius ad Æn. viii. 51. aliam fugæ causam affert. *Multa*, quale Livius, i. 7. memorat, et Noster in sqq. *Tempore*, temporis decursu. *Nacta fidem :* vide ad versum 359. *Vera*, verax. *Fugatus.* Inde Livius, dicto loco, *profugus ex Peloponneso* vocatur. Noster *Arcadiam* nominat, et licentia poetica addit *Parrhasiumque larem*, quamquam Evander, ut jam ante monitum, Palantio venit. Sed et in sqq. Carmenta mox *Tegeæa*, mox *Mænalis* vocatur. De *Parrhasiis*, Arcadum parte, vide Pausan. Arcad. p. 657.

480. *Siste, puer.*] *Puer*, fili. *Non—iram.* Hæc ταυτολόγως repetita. Pro *spemque metumque* Burmannus malit *spemve metumve.* Idem putat, Ovid. verbis *offenso*, etc. allusisse ad suum exsilium.

Nec tamen ut primus mœre mala talia passus,
Obruit ingentes ista procella viros.
Passus idem, Tyriis qui quondam pulsus ab oris,
Cadmus, in Aonia constitit exsul humo;
Passus idem Tydeus, et idem Pagasæus Iason,
Et quos præterea longa referre mora est.
Omne solum forti patria est; ut piscibus æquor;
Ut volucri, vacuo quidquid in orbe patet.
Nec fera tempestas toto tamen horret in anno:
Et tibi, crede mihi, tempora veris erunt.
Vocibus Evander firmata mente parentis,
Nave secat fluctus, Hesperiamque tenet.

488. *Procella*, mox ver. 495. *tempestas*, quod utrumque voc. etiam Cic. de calamitatibus adhibet. Procella navigantes *prehendit*, prehensosque *obruit*, immergit fluctibus. Cadmus *pulsus* erat a patre, ut sororem raptam quæreret; Met. iii. init.; ubi vid. not. de *Aonia*, id est Bœotia. *Consistere* de profugo, qui sedem certam capit. *Tydeus*, pulsus ab Œneo patre, quod Menalippum fratrem in venatione occiderat, *Argos* migravit ad Adrastum. Hygin. fab. 69. *Et quos præterea*, Peleus, Telephus, Telamon, alii. Exsulum catalogum habes et I. ex Ponto, iii. 37 sqq.

493. Veteribus commoratio extra patriam magnum malum. Quidam tamen aliter senserunt. Hæc nostra sententia sumta ex Euripid. Fragm. incert. n. 37: "Απας μὲν ἀὴρ αἰετῷ περάσιμος, "Απασα δὲ χθὼν ἀνδρὶ γενναίῳ πατρίς. *Nec fera*, etc. Cum hoc solatio confer Horat. II. Od. ix. init. et x. 13. *Ver* lætæ sortis imago.

497. *Firmare mentem*, animum addere, bona est locutio, quam Bentl. ad Horat. III. Od. xxiv. 54. comprobat. *Hesperiam tenet*, tenet viam, quæ ducat in Italiam, cursum advertit in Italiam. *Docta*, quia et fatidica erat, et carmina pangebat. Ita Metam. iii. 322. *doctus Tiresias*. *Obvius ibat aquis*, adverso flumine vehebatur, Metam. viii. 164. Evander, Fauno regnante, LX. circiter annis ante bellum Trojanum in Italiam venit; Dion. i. 31. Arcades benigne excepti, quum tantum iis agri permissum esset, quantum vellent, ὡς ἡ Θέμις (Carmenta) αὐτοῖς ἐπιθυσιάζουσα ἔφραζεν, αἱροῦνται λόφον ὀλίγον ἀπέχοντα τοῦ Τιβέριος, etc. Noster *vada juncta Terenti* memorat. *Terentus*, locus in campo Martio, in quo ludis secularibus Diti Proserpinæ sacra fiebant. Vid. Heins. qui e melioribus paucis *Terenti* revocavit, quum reliqui *Tarenti* præferrent. *Vada Terenti* Lenzius Tiberim fluvium intel. qui hic forsan Terenti nomen assumserit. Id si cui durum videatur, verba sic ordinari vult, *latus Terenti, cui sunt vada fluminis juncta*. Hoc quoque durum. Malim dicere, prope Terentum fuisse vadum. *Sola*, solitaria, deserta.

Jamque ratem doctæ monitu Carmentis in amnem
Egerat, et Tuscis obvius ibat aquis.
Fluminis illa latus, cui sunt vada juncta Terenti,
Adspicit: et sparsas per loca sola casas.
Utque erat, immissis puppim stetit ante capillis;
Continuitque manum torva regentis iter.
Et procul in dextram tendens sua brachia ripam,
Pinea non sano ter pede texta ferit.
Neve daret saltum properans insistere terræ,
Vix est Evandri vixque retenta manu.
Dîque petitorum, dixit, salvete locorum;
Tuque novos cœlo terra datura Deos;
Fluminaque et fontes, quibus utitur hospita tellus,
Et nemorum Nymphæ, Naïadumque chori;

503. *Immissis* in faciem *capillis*, more vaticinantium; Tibul. II. v. 66. Etiam Metam. ii. 635. Ocyrhoe, fatidica et ipsa, "venit rutilis humeros protecta capillis." *Utque erat.* Vid. ad Metam. ii. 272. In *puppi* ad clavum sedet *regens iter*, gubernator. Ante hunc stetit *torva*, quippe furore divino concita. Virg. Georg. iv. 450. Proteus vaticinaturus, "vi multa ardentes oculos intorsit, et graviter frendens dixit." De nave *pinea texta* etiam Metam. xiv. 530. Vide ad Metam. xi. 524. *Non sano*, insano. *Ne daret saltum*, ne exsiliret e nave in terram. Metam. iii. 599. Accetes, *doque leves saltus.*

509. More advenarum novam terram cum Diis ejus salvere jubet. *Novos Deos*, Faunum, Romulum, Cæsares. Inde Roma *genetrix Deorum*, Rutil. Itiner. i. 49. *Hospita*, vel peregrina, ut ver. 340. vel quæ excipit hospites; Metam. iii. 637. "vobis erit hospita tellus." *Nemorum Nymphæ.* Heins. e melioribus suis notabat, *nemorum silvæ*, quod Krebsio placebat; ipse tamen aut cum tribus malebat *nemorum divæ*, id est, Dryades, aut *et nemora et silvæ*, quod Burmannus ex uno Petavii amplexus est. Improbat hoc Taubn. quia Carmenta Deos salvere jubeat, quos inter Flumina quidem sint et Fontes, non item nemora. Sed hoc nihili est. Cadmus, Metam. iii. 25. in Bœotia "ignotos montes agrosque salutat." *Nemora* autem et *silvæ* sæpe sic junctæ leguntur. Placet tamen vulg. *nemorum Nymphæ* propter alterum, *Naiadumque chori. Ripaque*, etc. MS. Putean. secundus, *Istaque felici ripa sit icta pede;* quam lect. Burm. elegantiorem judicat, quam quæ provenire a librario potuerit. Regii tres servant vulgatam. In nostro codice C. librarius hanc paginam continuavit hisce versiculis: *Uxor onus magnum, si non sit pulchra, marito; Si sit pulchra, virum despicit illa suum.* Quos si non Ovidianos, et rei accommodatos, saltem satis facetos lector mihi condonare velit. Lem.

Este bonis avibus visi natoque mihique :
  Ripaque felici tacta sit ista pede.
Fallor? an hi fient ingentia mœnia colles?
  Juraque ab hac terra cætera terra petet?
Montibus his olim totus promittitur orbis.
  Quis tantum fati credat habere locum?
Et jam Dardaniæ tangent hæc litora pinus.
  Hic quoque causa novi femina Martis erit.
Care nepos, Palla, funesta quid induis arma?
  Indue : non humili vindice cæsus eris.
Victa tamen vinces, eversaque Troja resurges :
  Obruet hostiles ista ruina domos.
Urite victrices Neptunia Pergama flammæ :
  Num minus hic toto est altior orbe cinis?

515. Novum vaticinium de imperii R. magnitudine, Æneæ adventu, et Juliæ gentis splendore, qualia et Virgilius habet. Apud Dionys. Halic. i. 20. Evander vicum parvum condit, *ἦν ἔμελλε τὸ πεπρωμένον σὺν χρόνῳ θήσειν ὅσην οὔθ' Ἑλλάδα πόλιν, οὔτε βάρβαρον, κατά γε οἰκήσεως μέγεθος, καὶ κατὰ δυναστείας ἀξίωσιν, καὶ τὴν ἄλλην ἅπασαν εὐτυχίαν, χρόνον τὲ ὁπόσον ἂν ὁ θνητὸς ἀντέχῃ, πόλεων μάλιστα πασῶν μνημονευθησομένην.* Etiam h. l. imperium totius orbis terrarum his *montibus*, ut Metam. ii. 259. Tiberi, id est, huic urbi promittitur. *Petere jura* est subjecti populi, ut *dare jura* imperantis. *Locum habere tantum fati;* loco destinatam esse a fato tantam dignitatem; confer ii. 403.

520. Vaticinatur adventum Æneæ et bellum cum Turno. "Turnus, rex Rutulorum, cui pacta Lavinia ante adventum Æneæ fuerat, prælatum sibi advenam ægre patiens, simul Æneæ Latinoque bellum intulerat;" Liv. i. 2. *Nepos.* Pallas, de quo Virgil. Æn. viii. 104 sqq. Evandri filius, secundum alios Herculis ex Evandri filia filius; Dionys. i. 32. *Funesta quid induis arma.* Prædicit et cædem Pallantis : sed Turnus occisor cadet, inquit, Æneæ dextra. Lem. Priscianus notat vocativ. *Palla* factum esse ad Homeric. *Πουλυδάμα. Non humili*, nobilissimo. Horat. I. Od. xxxvii. 32. Cleopatra *non humilis mulier*, ubi ad animum generosum refertur. *Victa Troja vicit*, quatenus Trojani novum in Italia regnum condiderunt. *Obruet hostiles ruina domos.* Ruina Trojæ efficiet, ut in Italia imperium condatur, quod aliquando Græcorum hostium terram sibi subjiciet.

525. *Neptunia Pergama*, ut Æn. ii. 625. *Neptunia Troja*, quia in Neptuni et Apollinis tutela, et quia muri ab istis Dius ædificati; Metam. xi. 203; Æn. ii. 201. *Num minus*, etc. nihilo tamen minus ex illo cinere imperium orietur, totum terrarum orbem occupans. *Jam pius Æneas*, etc. Sic de eodem et iv. 37. et Metam. xiii. 624. Hectoris umbra Æneæ *sacra*

Jam pius Æneas sacra, et sacra altera patrem,
  Afferet: Iliacos excipe, Vesta, Deos.
Tempus erit, quum vos orbemque tuebitur idem,
  Et fient ipso sacra colente Deo;
Et penes Augustos patriæ tutela manebit.
  Hanc fas imperii frena tenere domum.
Inde nepos, natusque Dei, licet ipse recuset,
  Pondera cœlesti mente paterna feret.
Utque ego perpetuis olim sacrabor in aris,
  Sic Augusta novum Julia numen erit.
Talibus ut nostros dictis descendit in annos;
  Substitit in medios præscia lingua sonos.

Trojæ, simulacra Deorum patriorum lignea, commendaverat; Æneid. ii. 293. Itaque ille patrem humeris impositum et sacra manu tenentem secum extulit; Æn. ii. 707 sqq; Dionys. i. 46. et 47: nam pater *pio* filio vim sacrorum habere videbatur. Patrem in ora Drepanitana amisit, (Æn. iii. 710.) ubi monumentum ejus etiamnum ostenditur. Vid. Dorvill. Sic. p. 49. Sed sacra secum *attulit* in Italiam, atque sacra translata signum habebantur sedis translatæ. Vid. Heynii Exc. IX. ad Æn. ii. At quia patrem non attulit secum in Italiam, propterea Heinsius monet, posse cum uno Vatic. *auferet* legi. Burmanno non displiceret, *efferet*. Fuere tamen, qui Anchisen in Italiam usque adductum traderent, in quibus Cato, Strabo, Dio Cassius. Vid. Muretus, Var. Lect. xiii. 3. Hos forte secutus est Ovid. Fatale etiam erat, Penates Æneæ Italiæ inferri; Æn. iii. 167 sqq. Collocati ab initio Lavinii, inde Romam translati. In *Vestæ* æde eos esse servatos quidam putabant; Tacitus, Annal. xv. 41. Immo, ædes eorum fuit sub Velia, non longe a Vestæ æde; Dionys. i. 67. *Quum vos*, etc. Julius Cæsar Pontifex Max. atque adeo præses Vestalium, tuebitur Iliacos Deos, et imperator orbem. Qui post mortem *Deus* erit, homo *colet sacra*, sacra faciet. Alii hæc de Augusto intelligunt; et possunt etiam de hoc intelligi.

533. Hæc inseruit Ovidius, mortuo Augusto; intel. enim Tiberius, Julii Cæsaris Divi *nepos*, Augusti per adoptionem *natus*, qui per simulationem *recusavit* imperium, nec nisi precibus Senatus impulsus accepit; Tacit. An. i. init. Sueton. Tib. 24. Conf. Noster iv. ex Ponto, xiii. *Pondus*, ut *moles*, de imperio. *Cœlestia*, eximia quæque. In primis Dei nepoti et filio convenit. Mulier fatidica desinit in mulieris consecratione. *Augusta Julia* est Livia, quæ Augusti testamento in familiam *Juliam* nomenque *Augustæ* assumta; Tacit. Ann. i. 8. ibique Lipsius. Ejus consecrationem Ovidius non vidit, prædixit tantum; et facta est per Claudium. Sueton. v. 11. Qui in memoriam antiquorum temporum redit, *adscendere* ad ea dicitur; qui de venturis loquitur, *descendere*.

Puppibus egressus Latia stetit exsul in herba.
Felix, exsilium cui locus ille fuit!
Nec mora longa fuit: stabant nova tecta; nec alter
Montibus Ausoniis Arcade major erat.
Ecce boves illuc Erytheïdas applicat heros
Emensus longi claviger orbis iter.
Dumque huic hospitium domus est Tegeæa, vagan-
Incustoditæ lata per arva boves. [tur
Mane erat: excussus somno Tirynthius hospes
De numero tauros sentit abesse duos.
Nulla videt taciti quærens vestigia furti:
Traxerat aversos Cacus in antra feros;

540. Gemitum hunc, ut alios in hoc opere, Ovidio expressit haud dubie ipsius exsilium. De *novis* illis *tectis*, vide ad ver. 515. Ei oppidulo sive vico Evander nomen dedit Pallantii in memoriam veteris patriæ. *Alter*, alius. Nec alius in montibus Ausoniis major erat Evandro Arcade. Alii male Arcada montem explicant, in quo jam fuerit Arcas. *Ausonia* sæpe pars Italiæ ea, cui postea Latii nomen hæsit. Vide ad ver. 55.

543. De *Herculis adventu* conf. v. 643; Dionys. Halic. I. xxxiv. 39; Liv. i. 7. Cum classe Græcorum in Italiam venisse credebatur. Leviter autem hic adventus cum poetæ proposito cohæret, ut e ver. 583. apparet. *Erythea*, Gades insula, ubi Geryon, cum cujus interemti bubus Hercules in Italiam venit, et prope Tiberim, ut quiete et pabulo læto boves reficeret, procubuit. Sic Liv. et Dionys. Sed h. l. eum excipit *domus Tegeæa* Carmentæ Arcadis, a *Tegea*, oppido Arcadiæ sic dicta. *Tegeea* Burman. Mox disputatur, utrum *lata*, an *læta* legendum sit. Posterius verum judicat Heins. recepit Mitscherl. et possit verum videri, quia et Liv. *lætum pabulum*, et Dionys. Hal. πόαν πολλὴν καὶ καλὴν memorat. Alterum *lata*, ut et Burm. vidit, melius convenit verbis *incustoditæ* et *vagantur*: atque latis in arvis facilius nonnullæ poterant averti. Præfertur igitur et a Bentleio ad Horat. III. Od. ii. 9. ubi et de *lætis* et de *latis campis* multa loca collegit. Conf. Noster ii. 210.

547. *Caci* furtum omnes similiter narrant, rerum scriptores nude, ut erat traditum, sed poetæ exornarunt. In his fons est Virg. Æn. viii. 185 sqq. quem Noster expressit. Conf. et Propert. iv. 9. init. Martial. v. 60. *Excussus somno* nil nisi expergefactus. Livius *somno excitus*. *Duos*. Dionys. ὀλίγας τινὰς memorat; Liv. "eximium quemque pulchritudine," Virg. ver. 207. "quatuor tauros totidemque juvencas." *Cacus* λῃστής τις ἐγχώριος Dionys. *Feros* ex uno Farnes. Heins. recepit, neque male; *ferus* enim sæpe pro bove, cervo, equo ponitur. *Aversos*, quia cauda eos traxit in speluncam.

Cacus, Aventinæ timor atque infamia silvæ,
Non leve finitimis hospitibusque malum.
Dira viro facies; vires pro corpore; corpus
Grande: pater monstri Mulciber hujus erat.
Proque domo, longis spelunca recessibus ingens,
Abdita, vix ipsis invenienda feris.
Ora super postes affixaque brachia pendent,
Squalidaque humanis ossibus albet humus.
Servata male parte boum Jove natus abibat:
Mugitum rauco furta dedere sono.
Accipio revocamen, ait; vocemque secutus,
Impia per silvas ultor ad antra venit.
Ille aditum fracti præstruxerat objice montis:
Vix juga movissent quinque bis illud opus.
Nititur hic humeris, cœlum quoque sederat illis,
Et vastum motu collabefactat onus.

551. Caci indoles, forma, genus, domus. *Timor silvæ*, ut Cicero in Verr. v. 45; Sestius *terror morsque sociorum et civium*. Apud Martial. d. l. ubi Nostrum ita expressit: "Silvarumque tremor, tacita qui fraude solebat Ducere, nec rectos Cacus in antra boves." *Malum*. Notant, poetam respexisse *Caci* nomen, quia Κακὸς Græcis malus.

559. *Servata male*, amissa. *Furta*, boves raptæ, ut Metam. iii. 7. *Furta Jovis*, puellæ a Jove raptæ. *Raucus sonus* mugientibus tribuitur. *Accipio revocamen* dictum ad formulam solemnem, *accipio* (agnosco) *omen*. *Objice fracti montis*, fragmine montis objecto. Apud Virg. d. l. 227. primum fugit, tum *fultos emuniit objice postes*. Et tales objices sæpe speluncarum ostia muniebant. Virgilius, Georg. iv. 422. Proteus se tegit in antro *vasti objice sari*. *Opus τῷ onus* prætulit Burmannus ex MSS. Pembrock. Thuan. Mazarin. quia seq. *onus*, et quia hæc pars montis quasi *opus*, vallum et munimentum antri, erat. Bene. Liv. xxxi. 40. *Vix juga*, etc. Inde vires Caci intelliguntur. Confer Metam. iii. 61. et quæ ibi notavimus. Magnitudo operis etiam ver. 567 sq. graviter declaratur; ita enim vis Herculea illucescit.

565. Certamen ipsum, quod pluribus descripsit Virg. inde a ver. 230. Non facilis ibi Herculi labor: "Ter saxea tentat Limina nequidquam: ter fessus valle resedit." Noster dignius Herculem descripsit. *Humeris cœlum* portabat, quum Atlantem ad mala Hesperidum apportanda misisset. Vide ad Metam. ix. 198. *Sedere*, simul firmitatis notionem inesse putes. Plinius, Pan. x. 6; "quam bene humeris tuis sederet imperium." *Evulsum*. Neapol. *avulsum* malit, quia Virg. 237: "Dexter in adversum nitens concussit, et imis Avulsam solvit radicibus."

Quod simul evulsum est, fragor æthera terruit ip-
  Ictaque subsedit pondere molis humus. [sum;
Prima movet Cacus collata prælia dextra;
  Remque ferox saxis stipitibusque gerit.
Quîs ubi nil agitur; patrias male fortis ad artes
  Confugit, et flammas ore sonante vomit;
Quas quoties proflat, spirare Typhoëa credas,
  Et rapidum Ætnæo fulgur ab igne jaci.
Occupat Alcides, adductaque clava trinodis
  Ter quater adversi sedit in ore viri.
Ille cadit, mixtosque vomit cum sanguine fumos,
  Et lato moriens pectore plangit humum.
Immolat ex illis taurum tibi, Jupiter, unum
  Victor, et Evandrum ruricolasque vocat:

Burm. addit *simul* construi cum ablativo. *Æthera terruit.* Virg. "impulsu, quo maximus insonat æther." Sed *terruit* gravius etiam. Equidem viri docti judicio minus leniato haud assentior.

569. *Movet prælia.*] Dionys. Τρέπεται πρὸς ἀλκήν. *Male fortis,* non fortis, Metam. iv. 285. *Patrias ad artes* habet ad Virg. "illius *Vulcani patris* atros Ore vomens ignes, magna se mole ferebat." De *Typhoeo* vide Metam. iii. 303; v. 346; unde apparet, hac comparatione satis terribilem notari Cacum. *Adducta clava*, ut IV. Trist. ii. 5. *adducta securis.* Vide Drakenb. ad Sil. i. 334. De tormentis, quæ intenduntur, legatur Cic. Tusc. ii. 24. A Virg. 220. clava illa *nodis gravatum robur* vocatur. *Sedit in ore,* inflicta est ori. De telis corpus penetrantibus sæpe legitur. *Adversa,* quæ quis sibi opposita petit. Cacus varia arma tentat; Hercules una clava utitur, sed repetitis ictibus opus erat ad monstrum debellandum.

577. *Mixtosque.*] Ita Rhœtus *cum sanguine mista Vina refert moriens,* Æn. ix. 349.

579. Cæde expiata, Hercules Jovi Inventori aram statuit, quæ Romæ erat ad portam Trigeminam, eique taurum unum immolavit: idque sacrificium Romani Græco ritu Dionysii Halic. adhuc ætate repetebant. Evander, qui ex matre audierat, in fatis esse, ut Hercules inter Deos referatur, primus ei sacra fecit, ara exstructa. Tum Hercules a regionis illius incolis petiit, ut illa sacra perpetuo servarent, Græco quidem ritu, elegitque Potitios et Pinarios, duas familias nobiles, quos ritum illum doceret. Ipse, *ara* erecta, decimas ex præda obtulit; quæ ara *maxima* vocabatur et sanctissime colebatur a Romanis, eratque prope forum boarium; Dionys. d. l. et Liv. Hæc igitur sacra antiqua Romulus accepit. *Quo tellus sit satis usa,* quo hinc abiturus sit ad Deos. Sed hoc ita elocutus est, ut utilitates significaret, quas tellus ex Herculis laboribus perceperit. Desinit locus in Carmentæ apotheosi.

Constituitque sibi, quæ Maxima dicitur, aram,
Hic ubi pars Urbis de bove nomen habet.
Nec tacet Evandri mater, prope tempus adesse
Hercule quo tellus sit satis usa suo.
At felix vates, ut Dîs gratissima vixit,
Possidet hunc Jani sic Dea mense diem.
Idibus in magni castus Jovis æde sacerdos
Semimaris flammis viscera libat ovis:
Redditaque est omnis populo provincia nostro;
Et tuus Augusto nomine dictus avus.
Perlege dispositas generosa per atria ceras;
Contigerunt nulli nomina tanta viro.

587. *Idus* omnes Jovi sacræ. Iis ovis eidem, inde *idulis* dicta, mactabatur, sed Idibus Januar. vervex. Sqq. *redditaque—avus* paulo negligentius scripta et addita, quamquam ad Augustum pertinent. An. U. C. 727. quum Octavianus simularet, omne se depositurum esse imperium, Senatus, auctore Munatio Planco, ei *Augusti* nomen dedit; Sueton. Aug. 7. De die autem, quo id nomen ei oblatum, dissentiunt scriptores. Vid. Lipsius ad Tacit. Ann. i. 9. Sed paulo ante onerosas *provincias* ipse suscepit administrandas, pacatas *populo* restituit. Vide Ernesti Exc. 6. ad Suet. Aug.

591—616. De vi nominis *Augusti* per comparationem. Atque ita catalogum struxit virorum Romanorum cognominibus insignium. *Ceræ*, imagines cereæ virorum illustrium, quæ *per atria dispositæ* habebant titulos sive inscriptiones rerum gestarum, honorumque attributorum. Inde igitur et cognomina cujusque cognoscebantur. *Generosa*, familiarum nobilium. De cognominibus nobilium Romanorum, etiam eorum, qui jam memorantur, vide Perizon. in Anim. hist. p. 41. et 272. P. Servilius, devictis piratis, *Isauroque*, ipsa Ciliciæ arce, eversa, *Isaurici* cognomen adamavit; Florus, III. vi. 5. Q. Cæcilius Metellus *Cretum*, qui Mithridati favisse videbantur, *opes domuit*, totam insulam igni ferroque populatus est, inde *Creticus* dictus; Florus, iii. 6; Dio, lib. xxxvi. init. A Jugurtha devicto *Numidici* cognomen Q. Cæcilio Metello, L. Calvi filio tributum; Vellei. II. xi. 2. *Messanici* cognomen nemini datum; sed Claudius Caudex, Mamertinis auxilio missus, urbem obsidione liberavit. Polyb. i. 1. Neque Noster de cognomine loquitur; tantum dicit *superbum*, quod crebro apud poetas de victoribus legitur. *Nota*, id, quo quis ita insignitur, ut discerni ab aliis possit. Nunc cognomen, quod Scipioni Æmiliano impositum. De formula *trahere notam* vid. Bentl. ad Horat. IV. Od. ii. 59. *Drusus*, Liviæ ex priore marito Tiberio Nerone filius, Tiberii frater, rebus in Germania præclare gestis, ad Rhenum in æstivis castris, ex fractura, equo super crus ejus collapso, an. U. C. 745. mortuus est: de qua morte sub Ovidii nomine consolatio exstat ad Liviam Augus-

Africa victorem de se vocat: alter Isauras,
  Aut Cretum domitas testificatur opes.
Hunc Numidæ faciunt, illum Messana superbum:
  Ille Numantina traxit ab urbe notam.
Et mortem et nomen Druso Germania fecit.
  Me miserum! virtus quam brevis illa fuit!
Si petat a victis; tot sumat nomina Cæsar,
  Quot numero gentes maximus orbis habet.
Ex uno quidam celebres, aut torquis ademtæ,
  Aut corvi titulos auxiliaris habent.
Magne, tuum nomen rerum mensura tuarum est:
  Sed qui te vicit, nomine major erat.
Nec gradus est ultra Fabios cognominis ullus.
  Illa domus meritis Maxima dicta suis.

tam. Senatus ipsi posterisque ejus *Germanici* cognomen decrevit; Suetonius, Claud. 1; Dio, lib. xv. *Virtus illa.* Velleius, ii. 97. de eo: "Adolescens tot tantarumque virtutum, quot et quantas natura mortalis recipit, vel industria perficit." Vid. ejus laudes etiam Horat. IV. Od. 4. Julius Cæsar cognomine nullo insignitus erat; nihilo tamen minus hic ejus mentio fit, et in maximam ejus laudem. Vicerat enim ille gentes numero infinitas. Cic. pro Marc. 2.

601. T. Manlius Torquatus, qui an. U. C. 392. ad Anienem Galli, quem ab eo provocatus occiderat, *torque* detracto, cognomen invenit; Cic. Off. iii. 31; Liv. viii. 10. M. Valerius Corvinus, Trib. militum, an. U. C. 406. Gallum magnitudine et armis insignem in certamine singulari occidit, adjutus a *corvo*, qui, in galea ejus sedens, quotiescumque certamen initum est, os oculosque hostis rostro et unguibus appetiit; Liv. vii. 26. Cn. Pompeio *Magni* cognomen ab assentatione familiari tributum. Liv. xxx. 45. *Nomine major*, superans omne nomen ac titulos. Taubner. monet, Ovidium per gradus ire voluisse: Pompeius fuit *magnus*, Cæsar *major* rerum gestarum gloria, Fabius *maximus*. Non probo.

605. An. U. C. 499, quum Fabius omnem forensem turbam in quatuor tribus conjecisset, urbanasque eas appellasset, "adeo eam rem acceptam gratis animis ferunt, ut Maximi cognomen, quod tot victoriis non peperera t, hac ordinum temperatione pareret;" Liv. ix. 46. extr. *Illa domus*, mansit enim ei genti hoc nomen. Et omnis illa familia de civitate bene meruit; ii. 195 seqq. *Sancta*, etc. Glossæ Philoxeni, *Augustus*, ἱερὸς, *sanctus*. Quibusdam censentibus Octavianum Romulum appellari oportere, prævaluit, ut Augustus vocaretur, non tantum novo, sed et ampliore cognomine, "quod loca quoque religiosa, et in quibus augurato quid consecratur, augusta dicantur, ab auctu, vel ab avium gestu gustuve, sicut etiam Ennius docet, scribens; Augus-

Sed tamen humanis celebrantur honoribus omnes :
Hic socium summo cum Jove nomen habet.
Sancta vocant augusta patres : augusta vocantur
Templa, sacerdotum rite dicata manu.
Hujus et augurium dependet origine verbi,
Et quodcumque sua Jupiter auget ope.
Augeat imperium nostri Ducis, augeat annos :
Protegat et vestras querna corona fores ;
Auspicibusque Deis tanti cognominis heres
Omine suscipiat, quo pater, orbis onus.
Respiciet Titan actas ubi tertius Idus,
Fient Parrhasiæ sacra relata Deæ.
Nam prius Ausonias matres carpenta vehebant :
Hæc quoque ab Evandri dicta parente reor.

to augurio postquam inclyta condita Roma est." Sueton. Aug. 7 ; Florus, IV. xii. 66 ; Dio, lib. liii. *πάντα τὰ ἐντιμώτατα καὶ τὰ ἱερώτατα αὐγουστὰ καλεῖται.* Inde et Augusti palatium peculiari ratione *sanctum* dicebatur. Vide Bentl. ad Horatium, IV. Od. iv. 26. *Sacerdotum manu.* Templa ita dedicabantur, ut Pontifex postem *manu* teneret. *Hujus et augurium*, etc. ab hoc nomine fluxit et voc. augurium. *Querna corona.* Supra fores Palatii civica e *quercu* corona suspensa erat, et ad utrumque latus *laurus* stabat, triumphalis arbor. Corona *ob cives servatos inscripta erat. Heres* est Tiberius, cui Augusti nomen hereditarium. Sueton. Tib. 26.

617—636. Die decimo quinto, scil. xviii. Kalend. Februar. rursus *Carmentalia.* Confer Plutarch. Quæst. Rom. tom. vii. p. 124. edit. Reisk. *Actas*, transactas, exactas. *Relata*, iterata, repetita. De *Parrhasia* Dea vide ad ver. 478. *Matres*, matronæ, mulieres. *Carpenta*, currus cum tecto arcuato rotisque duabus, qui sæpe in nummis cernuntur. Beckmann. in *Beytruegen zur Geschichte der Erfindungen*, P. ii. p. 391. serius hæc inventa putat. An. U. C. 360. Romæ id honoris decretum matronis, " ut pilento (vehiculo pensili et commodiore aliis) ad sacra ludosque, carpentis festo profestoque uterentur ;" Livius, v. 25. *Ab Evandri parente*, quod vix verum esse potest, *honor eripitur.* A Senatu prohibitæ sunt *Ὀχήμασι χρῆσθαι ζευκτοῖς* ; Plutarch. d. l. *Destinare*, sibi proponere, constituere. Vide ad Plin. I. Epist. viii. 1 : Plutarchus, *συνέθεντο. Ingratos viros*, sive quia viris omnibus Senatorum interdictum imputabant, sive quia et virorum culpa aliqua in hac re. Etiam Plutarchus, *ἀμυνόμεναι τοὺς ἄνδρας. Cæco*, clandestino. II. Amor. xiv. 4. ubi de puellis onus ventris sic excutientibus, " cæcas armant in sua fata manus." *Jus restituisse.* Hinc mulieres *εὐτεκνοῦσαι καὶ πολυτεκνοῦσαι* templum Carmentæ posuerunt. *Exemtum*, ademtum. Vide Burm.

Mox honor eripitur: matronaque destinat omnis
  Ingratos nulla prole novare viros.
Neve daret partus, ictu temeraria cæco
  Visceribus crescens excutiebat onus.
Corripuisse patres ausas immitia nuptas,
  Jus tamen exemtum restituisse, ferunt.
Binaque nunc pariter Tegeææ sacra parenti
  Pro pueris fieri virginibusque jubent.
Scortea non illi fas est inferre sacello,
  Ne violent puros exanimata focos.
Si quis amas ritus veteres, assiste precanti:
  Nomina percipies non tibi nota prius.
Porrima placantur Postvertaque, sive sorores,
  Sive fugæ comites, Mænali Nympha, tuæ.
Altera, quod porro fuerat, cecinisse putatur:
  Altera, versurum postmodo quidquid erat.
Candida te niveo posuit lux proxima templo,
  Qua fert sublimes alta Moneta gradus.

629. *Scortea*, quæ ex corio et pellibus sunt facta; Varro de Ling. Lat. lib. vi. ubi addit: "Inde in aliquot sacris ac sacellis scriptum habemus: Ne quid scorteum adhibeatur, ideo, ne morticinum quid adsit." *Nympha* etiam a Virgilio, Æneid. viii. 336. Carmenta vocatur. Heinsius malit *Postvorta*, ut apud Macrobium, Sat. i. 7. "sicut Antevorta et Postvorta, divinitatis scilicet aptissimæ comites, apud Romanos coluntur." Denique notanda et sunt Gellii Noct. Att. xvi. 6. verba, ubi de mulieribus ægre enitentibus sermo: "hujus periculi deprecandi causa aræ statutæ sunt Romæ duabus Carmentibus: quarum altera Postverta nominata est, Prosa (alii Prorsa) altera; a recti perversique partus et potestate et nomine." *Porro* sæpe significat, in futurum; sed ex h. l. apparet, dictum etiam esse de tempore præterito, cujus significationis exemplum sibi occurrisse negat Burmannus. In Regiis tribus reperimus *venturum*, quod quadrare non potest, nisi cum *Postventa*; hoc quidam dederunt sine auctoritate.

637. Proximo die, nempe die xvii. Kalend. Februar. tuum templum, *Concordiæ*, dedicatum. Ea Dea quinque Romæ templa habebat; nunc antiquissimum intel. In area, ubi Manlii domus steterat, populus ædem Deæ, quam *Monetam* vocabant, ædificavit; Plutarch. Camil. 36; adscendebatur centum *gradibus*. *M. Furius Camillus* Dictator, orto motu civili, ad Capitolium respiciens, Deos precatus est, ut seditionem bene vertere juberent, ædemque *Concordiæ*, si motus esset sedatus, vovit. Motu composito, de-

Nunc bene prospicies Latiam, Concordia, turbam:
  Nunc te sacratæ restituere manus.
Furius antiquum populi superator Hetrusci
  Voverat, et voti solverat ante fidem.
Causa, quod a patribus sumtis secesserat armis
  Vulgus; et ipsa suas Roma timebat opes.
Causa recens melior: passos Germania crines
  Porrigit auspiciis, Dux venerande, tuis.
Inde triumphatæ libasti munera gentis;
  Templaque fecisti, quam colis ipse, Deæ.
Hæc tua constituit genitrix et rebus et ara,
  Sola toro magni digna reperta Jovis.
Hæc ubi transierint, Capricorno, Phœbe, relicto,
  Per juvenis curres signa gerentis aquam.

cretum, ut ædes vota prope forum exstrueretur. Plutarch. Camil. 42. Templum foro imminens recte *prospicere* turbam aut populum in foro dicitur. Id Tiberius, consulatum cum Cn. Pisone iniens reficiendum suscepit, ut suo et Drusi nomine inscriberet, atque an. U. C. 762. quo pax in Pannonia et Dalmatia composita, Druso jam mortuo, de manubiis dedicavit; Suetonius Tib. 20. *Sacratum* et *sanctum*, quidquid ad Imperatorem pertinebat. Vide Rittersh. et Cortium ad Plin. x. Epist. 1. Infra ii. 60. *sacratus Dux populi Hetrusci*. Veientinorum in Hetruscis opulentissimorum, atque Faliscorum. *Ante*, olim. *Quod a patribus*, etc. Omnis multitudo per Tribunos plebis in principes, in primis in Camillum, incitata postulabat, ut alter consul e plebe crearetur; Livius, v. 25. *Suas timebat opes*, opes plebis metuebant senatores. Noster ingeniose loqui voluit.

645. Sensus: Germania tuis auspiciis victa. Victi victori *porrigebant* ea, quibus essent insignes; Germani *crines* suos promissos ad tonsuram; Amorr. i. 14: "Jam tibi captivos mittet Germania crines: Culta triumphatæ munere gentis eris;" Interpreti Gallico *Dux venerandus* Germanicus esse videtur. At bella tum omnia gerebantur *auspiciis* Imperatoris. *Libasti munera gentis*. Neapolis ad prandium civibus exhibitum et congiarium ex manubiis datum refert; Burmannus ad detonsos crines, quos Augustus (immo Tiberius) libaverit. Obscure sane poeta locutus est: puto tamen sensum esse: tu manubias in usum sacrum adhibuisti et templa inde fecisti. *Quam colis*, vita tua et moribus. *Genitrix*, Livia. Ea concordiam *rebus* ipsis Augusto, et *ara*, quam forte, ut Const. Fanensis et Burmannus suspicantur, in Concordiæ æde *constituit*, exhibuit, quemadmodum et Bonæ Deæ templum restituit, v. 157. *Magnus Jupiter*, Augustus.

651—656. Solis transitus e Capricorno in Aquarium. Lyræ et medii Leonis occasus. Plinius, xviii. 26. "Et quum sol in aquarium sentitur

Septimus hinc oriens quum se demiserit undis,
Fulgebit toto jam Lyra nulla polo.
Sidere ab hoc, ignis, venienti nocte, Leonis
Qui micat in medio pectore, mersus erit.
Ter quater evolvi signantes tempora Fastos;
Nec sementiva est ulla reperta dies:
Quum mihi, sensit enim, lux hæc indicitur, inquit
Musa: quid a Fastis non stata sacra petis?
Utque dies incerta sacro, sic tempora certa;
Seminibus jactis est ubi fœtus ager.
State coronati plenum ad præsepe juvenci,
Quum tepido vestrum vere redibit opus.
Rusticus emeritum palo suspendat aratrum:
Omne reformidat frigida vulnus humus.
Villice, da requiem terræ, semente peracta:
Da requiem, terram qui coluere, viris.
Pagus agat festum: pagum lustrate, coloni;
Et date paganis annua liba focis.

transire, quod fere xvi. Kalend. Februar. evenit." *Juvenis*, quem Ganymedem nonnulli dixerunt. Hygin. P. A. ii. 29. *Aquam* urnam unde aquam effundit; Horatius, Sat. I. i. 36. Inde *urniger* vocatus. *Septimus hinc Oriens*, dies tertius et vigesimus Januar. Stella *in medio pectore Leonis* insignis Regulus dicitur. Intelligendus autem occasus Leonis matutinus. Sed lapsus est Ovidius.

657—704. *Sementiva*, aut, ut et hoc loco in MSS. quibusdam et apud alios auctores scribitur, *Sementina*, feriæ sationis finitæ causa susceptæ, et a semente appellatæ, auctoribus Varrone et Festo. Erant in feriis conceptivis, quæ quotannis a magistratibus aut sacerdotibus concipiebantur; Macrobius, Sat. i. 16. Itaque in *Fastis signatæ* reperiri non poterant. Sed Ovidius se frustra in illis quæsivisse finxit, ut Sementivæ descriptionem commode inserere posset. In ea Tibull. ii. init. ante oculos habuisse videtur; ubi Ambarvalia describuntur.

663. *Requies et festa ruricolarum* describuntur, additis precibus pro frugum copia et pace. *State—humus. Coronari* animalia solebant feriantia, officio functa et diebus festis; v. 52.

669. De illo *festo* conf. Varro de Re Rust. i. 2. Sed Virg. i. 339 sqq. duo alia rusticorum festa descripsit. In *pagos* Servius Tullius agrum Romanum divisit, instituitque, ut Diis tutelaribus cujusque agri aræ excitarentur, in iisque quotannis sacra communia fierent; quæ *paganalia* dicta. In iis *liba*, πέλανοι, conferebantur a singulis familiis; Dionys. Halic. iv. 15. *Pagus lustrabatur* hostiis circumactis;

Placentur matres frugum, Tellusque Ceresque,
  Farre suo, gravidæ visceribusque suis.
Officium commune Ceres et Terra tuentur;
  Hæc præbet causam frugibus, illa locum.
Consortes operum, per quas correcta vetustas,
  Quernaque glans victa est utiliore cibo;
Frugibus immensis avidos satiate colonos,
  Ut capiant cultus præmia digna sui.
Vos date perpetuos teneris sementibus auctus:
  Nec nova per gelidas herba sit usta nives.
Quum serimus, cœlum ventis aperite serenis:
  Quum latet, ætheria spargite semen aqua.
Neve graves cultis Cerealia dona cavete
  Agmine læsuro depopulentur aves.

Tibullus, d. l. " Di patrii, purgamus (lustramus) agros, purgamus agrestes." Deæ *matres* dicuntur earum rerum, quas tuentur, ut Dii *patres*. *Viscera*, fruges, quas illæ e visceribus suis protulerunt. Confer iv. 633 sqq. *Causa* sunt semina. De *officio* Telluris in frugibus ferendis confer Metam. ii. 285 sqq.

675. Confer cum his precibus iv. 911 sqq. ubi earum utilitatem attigimus. *Consortes operum*, Ceres et Tellus, quæ adjuvant rusticos in opere. *Correcta vetustas*, victui deteriori veterum substituta meliora alimenta. Nam Cereris " munere Tellus Chaoniam pingui glandem mutavit arista," Virg. Georg. I. viii. 147; confer infra iv. 401 sqq. *Avidos* bono sensu dixit, id cupientes. *Immensis*, ut Virg. Georg. i. 49; " Illius immensæ ruperunt horrea messes." Ibi præcedunt vota *avari* coloni; quod forsan respiciens, Ovidius *avidos* induxit colonos. *Urere* de gelu; confer iv. 918. ubi similes preces.

680. Virg. Georg. i. 112: " Luxuriem segetum tenera depascit in herba;" versu 134. " sulcis frumenti quæreret herbam." Etenim *herba* omnino virens germen cujuscumque plantæ. Vide et supra ad ver. 154. *Sereni* et *clari* venti, qui cœlum reddunt serenum. Pulsis nubibus, nimbisque remotis, cœlum *aperitur*. Tempus autem est humo tegere semina, " Dum sicca tellure licet, dum nubila pendent." *Spargite*, conspergite madefacite. *Ætheria* aqua, ut alias *cœlestis*, pluvia.

683. *Aves*, ut " improbus anser Strymoniæque grues," Vir. Georg. i. 119. *Graves*, noxiæ. *Vos quoque*, etc. Jucunde quidem formicas differt ad messem, sed minus bene eas in precibus ad Deas alloquitur. *Subjectis*, nempe glebæ, terræ. MS. Gottorph. *suppositis*. Ita Metam. iii. 102. *supponere dentes terræ* de Cadmo dentes serente. De *robigine*, vitio segetum, quam Robigo Dea, cui Aprili extr. sacra fiebant, avertere credebatur, vide iv. 905 sqq. *Robigo*, etiam quæ proprie dicitur, et metalla adedit, res

Vos quoque subjectis, formicæ, parcite granis:
Post messem prædæ copia major erit.
Interea crescat scabræ robiginis expers,
Nec vitio cœli palleat ægra seges;
Et neque deficiat macie, neque pinguior æquo
Divitiis pereat luxuriosa suis:
Et careant loliis oculos vitiantibus agri;
Nec sterilis culto surgat avena solo.
Triticeos fœtus, passuraque farra bis ignem,
Hordeaque ingenti fœnore reddat ager.
Hoc ego pro vobis, hoc vos optate, coloni:
Efficiantque ratas utraque Diva preces.
Bella diu tenuere viros: erat aptior ensis
Vomere: cedebat taurus arator equo.

scabras efficit. *Palleat*, areat, succis æstu ademtis. *Ægram segetem* illustrat Heinsius. Idem ex uno MS. suo, cui Francofurt. a manu prima adstipulatur, *usta* prætulisset, nisi idem verbum jam præcessisset. *Macies ægra* a Statio Theb. iv. 702. solo tribuitur. *Luxuria* segetum est, quum oneratæ fertilitate procumbunt; Plin. XVIII. xliv. 2; Virgil. Georg. i. 112. *Lolium*, Linn. lolium temulentum, Nostris *Trespe*, *Luelch*, credebatur *oculos vitiare* comedentium, eos luscitiosos reddere; quod et Fulgentius in lib. de Prisco sermone observat. Vide Harduinum ad Plin. xxii. 77. A Virgilio, Georg. i. 154. *infelix* vocatur, quo ipso loco *avena* cum eo conjungitur. Linn. avena fatua, *wilder, tauber Haber*, in quam triticum et hordeum degenerare credebantur. *Bis passura ignem*, dum torrentur ante, quam moluntur, et dum coquuntur in furno. *Efficiant ratas*. iv. 775. precibus finitis additur: *Quæ precor eveniant*.

697. *Tenuere*, occupatos tenuere. *Erat aptior*, malebant illi ensem tractare, quam aratrum. *Taurus arator*. Etiam apud Tibullum, I. x. 46. pro *araturos boves* MSS. quidam boni, approbante Brouckhus. *aratores boves*. Ibi Heynius in Obs. monet, id epico potius carmini convenire. Immo occurrit, ut vel hic locus docet, et alibi. Similiter, ii. 12. *bellator equus*. *Pondere*. Etiam Virgilius, Georg. i. 164. *rastri iniquo pondere*; et Met. xi. 36. *graves rastri*, quo loco et ipso cum *sarculis* et longis *ligonibus* conjunguntur; iis enim instrumentis glebæ inertes frangebantur. Confer iv. 927. *Gratia Dis*, etc. Neapolis putat, hæc post prælium Actiacum scripta, sed fallitur; pertinent ad Tiberii tempora; et alloquitur Germanicum. Bellum passim a poetis *religatis* post tergum manibus describitur. Confer Æneid. i. 291 sqq. ibique Heynii Exc. *Pax Cererem*, etc. Confer iv. 407. De utilitate, quam Pax rei rusticæ adfert, elegans locus est Tibulli, I. x. 45 sqq.

Sarcula cessabant; versique in pila ligones,
  Factaque de rastri pondere cassis erat.
Gratia Dîs, domuique tuæ: religata catenis
  Jam pridem nostro sub pede bella jacent.
Sub juga bos veniat; sub terras semen aratas:
  Pax Cererem nutrit: Pacis alumna Ceres.
At, quæ venturas præcedet sexta Kalendas,
  Hac sunt Ledæis templa dicata Diis.
Fratribus illa Deis fratres de gente Deorum
  Circa Juturnæ composuere lacus.
Ipsum nos carmen deducit Pacis ad aram;
  Hæc erit a mensis fine secunda dies.

705—708. *Pollucis et Castoris templum.*] VI. Kal. Febr. an. U. C. 769. Tiberius Castoris et Pollucis ædem dedicavit, inscripto et suo et Drusi fratris nomine; Dio, lib. lv. p. 567. Confer Consolat. ad Liviam, ver. 283 sqq. Fuit illud templum ad lacum *Juturnum* (ver. 463.) in foro Romano prope Julii Cæsaris templum: II. ex Pont. ii. 85 sq; Suetonius Cæs. 10. *Ledæis.* Unus MS. *Ledacis*, unde Heins. *Ledaicis* conjiciebat: sed forma *Ledæus* satis usitata; Consol. ad Liviam, 283; Martialis, iv. 58. *Ledæas Lacedæmonis palæstras. De gente Deorum*, de gente Cæsarea. *Compesuere*, conjuncti posuere. Nove sic dictum.

709. *Ara Pacis.*] *Aras* veteres statuebant rei, quam cuperent laudatam. Vid. Lipsius ad Tacit. An. i. 13. *Paci* Deæ jam Athenienses aras consecrarunt; sed Romæ ante Augusti tempora nullis fuit monumentis honestata. Eo tandem imperante, senatus populique jussu *ara Pacis* posita est anno U. C. 741. die vi. Non Jul. in ipsa curia. Eo enim anno Augustus, rebus in Gallia, Hispania, Germaniaque prospere confectis, Romam redierat. Aram et Noster lib. iii. 882. et Juvenalis Sat. i. 115. memorant, tum nummi exhibent. Vid. Goltzius in Aug. p. lvii. n. 12. Ad eam bis quotannis, Januarii et Martii tricesimo die sacrificatum. Vide omnino Fischer. de Ara Pacis. *Hæc*, nempe qua sacra fiunt ad aram illam. In verbis *Ipsum nos carmen*, etc. commodus et gratus transitus. Victoria *Actiaca* quum tandem orbi Romano, bellis continuis per plura sæcula profligato, pacem reddidisset, præclare nunc Pax *frondibus* vel oleæ vel lauri (nam utraque pacalis) quibus post illam victoriam ornata erat, adesse jubetur. Heinsius vero intelligit frondem lauream Apollini *Actio* sacram. Sic et Lenzius. Bochartus malebat, *frondibus Actæis*, id est, olea. *Comtos* jam Ciofanus ex optimis cod. invexit. Burmannus notat, *canos*, quod reliqui præferunt, diuturnam et quasi perpetuam pacem indicare. Mihi vero cana Pax parum placet; neque sic bene perpetuitatis rationem poeta expresserit. *Comti* contra capilli venerandam reddunt faciem (Tibul. IV. ii. 10.) et conveniunt his solemnibus. Possunt etiam verba *comtos redimita* e copia poetica dicta esse pro uno *comta*. Ita Æneid.

Frondibus Actiacis comtos redimita capillos,
Pax ades, et toto mitis in orbe mane.
Dum desunt hostes, desit quoque causa triumphi:
Tu ducibus bello gloria major eris.
Sola gerat miles, quibus arma coerceat, arma;
Canteturque fera nil, nisi pompa, tuba.
Horreat Æneadas et primus et ultimus orbis:
Si qua parum Romam terra timebit, amet.
Tura, sacerdotes, pacalibus addite flammis;
Albaque percussa victima fronte cadat.
Utque domus, quæ præstat eam, cum Pace peren-
Ad pia propensos vota rogate Deos. [net,
Sed jam prima mei pars est exacta laboris,
Cumque suo finem mense libellus habet.

vii. 751. " sacerdos Fronde super galeam et felici comtus oliva;" Æn. lib. VIII. v. 128. vitta comtos prætendere ramos."

716. *Tubæ* usus et in bello et in sacris spectaculisque; Calpurn. Ecl. i. 67. " Inter sacra tubas, non inter bella sonare." Quæ ad bella pertinent, ea *fera* vocantur. *Ultimus orbis*, terræ remotissimæ; Bentl. ad Horatium, I. Od. xxxv. 29. *Primus* ergo sunt propinquæ. *Pacalis* vox forsan ab Ovidio facta; Metam. vi. 111. *oleæ pacales*. *Percussa*. Alii *perfusa*, quod Taubner. ad morem refert, quo merum ex patera inter cornua hostiæ effundebatur. Alteri lectioni similis est, sed plenior, locus IV. Trist. ii. 5: " Candidaque adducta collum percussa securi Victima purpureo sanguine tinguat humum." Confer supra 83. 320. Pro *præstat* Francofurt. et undecim alii *præstet*, ut simul votum includat. Hamburg. *pacem quæ præstat, pace perennet*, qualem lusum Ovidius sane amat, ut vers. 25. 72; ii. 52. et sæpe. Passim autem in hoc opere pacem commendat, detestaturque bella.

LIBRI SECUNDI

ARGUMENTUM.

Præfatio et dedicatio, 1—18. De Februis, unde mensis dictus, 19—34. De vi purgaminum vulgo credita, 35—46. De ordine Februarii antiquo et facta mutatione, 47—54. Kalendarum Februar. memorabilia; Junonis Sospitæ templum dedicatum; laudes Cæsaris; celebritas in luco asyli; sacra Jovis; tempestatis ratio, 55—72. Lyræ et medii Leonis occasus, 73—78. Delphinis occasus et inde Arionis fabula, cujus delphin inter sidera fulget, 79—118. Augustus pater patriæ dictus. Hinc laudes ejus et comparatio cum Romulo, 119—144. Aquarii ortus et mollior aura, 145—148. Initium veris, 149—152. Arctophylax oritur, cujus fabula narratur, 153—192. Fauni sacra, et Fabiorum in bello Veientino interitus, 193—242. Corvus, Anguis et Crater oriuntur, quorum origo refertur, 243—266. Lupercalium origo et ritus, quibus Herculis et Omphales fabula inserta; tum Romuli et Remi expositio atque conservatio, 267—452. Tempestatis inconstantia; 453—456. Ingressus Solis in Pisces, atque horum origo, 457—474. Quirinalia et Romuli apotheosis; festum item Stultorum et Deæ Fornacis, 475—532. Feralia ad placandos Manes, 533—570. Sacra Mutæ aut Tacitæ magica, 571—616. Caristia, 617—638. Terminalia, 639—684. Regis fuga, et plures Tarquinii res, 685—852. Hirundinis reditus, 853—856. Equiria, 857—864.

PUBLII OVIDII NASONIS

FASTORUM

LIBER SECUNDUS.

JANUS habet finem : cum carmine crescit et annus :
Alter ut hinc mensis, sic liber alter eat.
Nunc primum velis, Elegi, majoribus itis :
Exiguum, memini, nuper eratis opus.
Certe ego vos habui faciles in amore ministros,
Quum lusit numeris prima juventa suis.
Idem sacra cano, signataque tempora Fastis :
Ecquis ad hæc illinc crederet esse viam ?

1—18. *Præfatio*, qua argumenti sui et operæ gravitatem commendat, et Germanicum propitium sibi reddit. Ut alii poetæ lyram, sic Noster *elegos* suos alloquitur. Initium autem hujus libri, si cum fine superioris conjungitur, *ταυτολογεῖ*. Mox Neapoli placebat, quod nonnulli præferunt, *ut it mensis*. Sed *ut it* ingratum efficit sonum, atque *it* facile potest intelligi. *It* mensis, dum decurrit ; *it* liber, dum componitur. *Velis majoribus ire*, ad majus graviusque opus componendum adhiberi. De tropo hoc vide ad i. 4 ; IV. Pont. v. 1. " Ite leves elegi doctas ad consulis aures." Etiam hoc loco quidam *ite ;* sed alterum melius est, quod observare elegos jubet, quid ipsis fiat. *Exiguum opus*, quo leve argumentum, res ludicra, tractatur ; vi. 22. *modi exigui*. Etiam Horatius, Art. Poet. 77. *exiguos elegos* vocat.

5. *Faciles*, obsequentes, se accommodantes mihi in amoribus cantandis. *Ludere* de carminibus non seriis ; Plinius, VIII. Ep. xxi. 2. " Graviora opera lusibus jocisque distinguo." *Numeris suis*, nam amantium in primis curæ et querelæ includebantur elegis. *Signata*. Vide i. 11. Quum quilibet civis operam suam civitati debeat, inde effloruit sententia, *Hæc mea militia est*, etc. Et *militia* latius etiam de omni *munere*, id est, de eo, quod quis præstare debet, dicitur, ut de oratoris forensis labore ; Cic. Mur. 9. " urbana militia respondendi, scribendi, cavendi."

Hæc mea militia est: ferimus, quæ possumus, arma,
Dextraque non omni munere nostra vacat.
Si mihi non valido torquentur pila lacerto,
Nec bellatoris terga premuntur equi,
Nec galea tegimur, nec acuto cingimur ense;
His habilis telis quilibet esse potest;
At tua prosequimur studioso pectore, Cæsar,
Nomina, per titulos ingredimurque tuos.
Ergo ades, et placido paulum mea munera vultu
Respice, pacando si quid ab hoste vacas.
Februa Romani dixere piamina patres:
Nunc quoque dant verbo plurima signa fidem.
Pontifices ab Rege petunt, et Flamine lanas,
Quîs veteri lingua Februa nomen erat:

11. *Pila* et hastæ *torquebantur* lacerto adducto, ad quod et viribus et arte opus erat; Met. viii. 28 sqq. *Habilis*, idoneus. *At*, tamen, certe. *Prosequimur*. Douza pater volebat, *persequimur:* sine causa; namque et *prasequi* et *persequi* dicitur qui singulas rei partes ordine explicat. Plinius, I. Ep. viii. 8. "munificentiæ rationem stilo prosequi." Vide et ad iv. 724. *Nomina*, laudes. *Per titulos ingredimur*. Vide ad i. 15. *Pacando*. Alii *pacato*. Taubnerus utrumque ferendum censet. At, si hostes jam *pacati*, otium erat Germanico.

19—30. *Vis vocabuli Februa*. Res tenuis et jejuna. *Patres*, priores, antiqui: ver. 30. *avi*, et 36. *senes* vocantur. *Februa dixerunt piamina*. Varro de Ling. Lat. v. p. 46: "Rex quum ferias menstruas Nonis Februar. edicit, hunc diem februatum appellat. Februum Sabinis purgamentum et in sacris nostris verbum." Festus: "quæcumque purgamenti causa in quibusque sacrificiis adhibentur, februa appellantur." *Piamina*, Καταρμοὶ, sancti quidam ritus, quibus Deorum ultio ac pœna avertitur, quibus ἄγος, scil. scelus summovetur. *Fidem dat* aut *facit verbis*, qui ea confirmat et vera esse ostendit; Cortius ad Sallust. Jug. xxiv. 9. Sed nunc est: confirmare significationem verbi memoratam. *Signa*, argumenta.

21. Ritus non aliunde notus attingitur. *Rex* nempe sacrorum. *Lanas* illas rufi fuisse coloris, Neapol. ex Clem. Alex. Strom. vii. conjicit, ubi ἔρια πυῤῥὰ in ritibus sacris memorantur. Interpres Francogallus male apicem in pileo sacerdotis intelligit. *Lictor*, nempe Flaminis Dialis. *Torrida*, tosta, ut sæpe. Vide Heinsium. De *mica* salis vide ad i. 338. *Puram arborem* esse pinum, e versu 28. et aliis locis monet Neapolis. Vocatur *pura* propter vim purificandi. *Flaminica*, Flaminis Dialis uxor. Burman. non damnat, quod in Hamb. exstat, *laurea;* namque et lauro veteres usos esse in lustrationibus, iv. 741 sqq. et *tæda* et *laurea* commemorantur. *Intonsus*, omnino priscus; vi. 264. *in-*

Quæque capit lictor domibus purgamina certis,
  Torrida cum mica farra vocantur idem;
Nomen idem ramo, qui cæsus ab arbore pura,
  Casta sacerdotum tempora fronde tegit.
Ipse ego Flaminicam poscentem februa vidi:
  Februa poscenti pinea virga data est.
Denique quodcumque est, quo pectora nostra pia-[mur,
  Hoc apud intonsos nomen habebat avos.
Mensis ab his dictus, secta quia pelle Luperci
  Omne solum lustrant, idque piamen habent;
Aut quia placatis sunt tempora pura sepulcris.
  Tunc quum ferales præteriere dies.
Omne nefas, omnemque mali purgamina causam
  Credebant nostri tollere posse senes.

tonsus Numa; Horat. II. Od. xv. 11. *intonsi Catonis*. *Tonderi* Romani cœperunt urb. cond. 454. quum antea essent intonsi et barbati; Plin. vii. 59.

31—34. Februarii nomen. Festus: "Februarius mensis dictus, quod tum, id est extremo anni mense populus februaretur, id est lustraretur ac purgaretur: vel a Junone februata, quam alii februalem, Romani februalim vocant: quod ipsi eo mense sacra fiebant, ejusque feriæ erant Lupercalia, etc." Confer Macrob. i. 13. *Lupercalia* describuntur inde a ver. 267. *Tempora pura*, civitas eo tempore pura, *placatis sepulcris*. Conf. ver. 52. et i. 43. De *Feralibus* vide infra 433—470. *Sepulcris*, nam ad tumulos Manes placabantur.

35. *Lustratio*, ἱλασμὸς, ἁγνισμὸς, καθαρισμὸς, sane apud *Græcos* mos antiquissimus, et apud Homerum passum obvius. Lustrabantur autem varias ob causas, propter sacra facienda, ut sordes peccatorum abstergerentur, post reditum e bello, post facinus admissum. *Ponere facta*, liberari a culpa scelerum. Ipse Apollo, Pythone occiso, expiandus erat. Menœtius, *Actoris* filius, fuit inter Argonautas; Opunte in ludo interfecit Clysonymum, Amphidamantis filium; exsul exceptus est a *Peleo;* Apollod. III. xiii. 8. *Phocus*, Æaci et Psammathes filius, a Telamone et *Peleo*, quos pater ex Endeide susceperat, interfectus est; Diodorus Sic. iv. 72; Pausanias ii. 29. Et tractata ea res in tragœdiis veter. Hinc Telamon Salamina fugit, *Peleus* contra in Phthiam, ubi purgatur ab Eurytione, Actoris filio; Apoll. III. xii. 13. Ab ipso Actore qui tamen diversus a superiore, purgatum narrat Diod. Sic. d. l. Inde ad venationem apri Calydonii profectus Eurytiona socerum occidit, tum ab *Acasto*, Iolci rege, purgatus est; Apoll. III. xiii. 2. Ovidius igitur miscuit diversa. Iolcus pars *Hæmoniæ*, scil. Thessaliæ. Etiam *aquæ* usus in lustrationibus, in primis marinæ, quamquam et fluminalis. Secundum Euripidem enim θάλασσα κλύζει πάντα τ' ἀνθρώπων κακά.

Græcia principium moris fuit: illa nocentes
Impia lustratos ponere facta putat.
Actoriden Peleus, ipsum quoque Pelea Phoci
Cæde per Hæmonias solvit Acastus aquas.
Vectam frenatis per inane draconibus Ægeus
Credulus immerita Phasida juvit ope.
Amphiaraïdes Naupactoo Acheloo,
Solve nefas, dixit: solvit et ille nefas.
Ah! nimium faciles, qui tristia crimina cædis
Fluminea tolli posse putetis aqua!
Sed tamen, antiqui ne nescius ordinis erres,
Primus, ut est, Jani mensis et ante fuit:
Qui sequitur Janum, veteris fuit ultimus anni:
Tu quoque sacrorum, Termine, finis eras.
Primus enim Jani mensis, quia janua prima est;
Qui sacer est imis Manibus, imus erat.

41. Medea, interfectis Corinthi liberis suis, fugit Athenas, ubi ab *Ægeo* excipitur; Metam. vii. 398 sqq. Ibi "Titaniacis ablata draconibus intrat Palladias arces." *Credulus*, credebat enim Medeæ pollicenti, orbitate eum liberaturam; Plutarchus, Thes. 12. Alcmæon, *Amphiarai* filius, ob Eriphylen matrem interfectam lustratus est primum a Phegeo, Psophide, quæ fuit urbs Arcadiæ. Sic nondum insania liberatus, jubente oraculo, in terram recentem se contulit, quam *Acheloi* limus congestus fecerat; ibique ab *Acheloo* purgatus est; Thucyd. ii. 102. ubi fluvius ille satis describitur; Pausanias, VIII. xxiv. p. 646; et Apollodor. III. vii. 5. *Naupactus*, urbs Ætoliæ, nunc *Lepanto*. *Faciles*, creduli, superstitiosi. Gravis sententia.

47—54. De ordine hujus mensis temporibus antiquis. Ultimum eum locum tenuisse, non secundum, ut Plutarch. putabat, docet etiam Ideler. p. 349. *Et ante*, nempe a Numæ temporibus. *Ultimus;* Macrob. i. 13: "Omni intercalationi mensis Februarius deputatus est, quoniam is ultimus anni erat. Quod ipsum Græcorum more faciebant. Nam et illi ultimo anni sui mensi superfluos interserebant dies." Romani autem intercalabant post vicesimum tertium diem, *Terminalibus* jam peractis. *Imi*, inferi. Noster ludere verbo voluit. Vide ad i. 721. De hac Decemvirorum mutatione sileut alii scriptores; ipse Noster dubie loquitur, *creduntur*. Videntur autem, ut alia, ita et meliorem anni digestionem ab Atheniensibus sumsisse: vid. Ideler. pag. 356. *Continuasse tempora*, effecisse, ut hi duo menses, nullo interposito, se exciperent, quum antea *distarent longo spatio*, decem ipsis mensibus interjectis: vide Petavium de Doct. Temp. lib. ii. cap. 74.

Postmodo creduntur spatio distantia longo
Tempora bis quini continuasse Viri.
Principio mensis, Phrygiæ contermina Matri,
Sospita delubris dicitur aucta novis.
Nunc ubi sint illis, quæris, sacrata Kalendis
Templa Deæ? longo procubuere die.
Cætera ne simili caderent labefacta ruina,
Cavit sacrati provida cura Ducis:
Sub quo delubris sentitur nulla senectus,
Nec satis est homines, obligat ille Deos.
Templorum positor, templorum sancte repostor,
Sit Superis, opto, mutua cura tui:
Dent tibi cœlestes, quot tu cœlestibus annos,
Proque tua maneant in statione domo.
Tum quoque vicini lucus celebratur Asyli,
Qua petit æquoreas advena Tibris aquas.

55—72. *Kalend. Februar. memorabilia nonnulla.* Eo die Junonis *Sospitæ* templum erat dedicatum. Id conterminum erat ædi *Phrygiæ Matris*, sive Cybeles, ab Augusto in monte Palatino positæ, quum antea ejusdem Deæ simulacrum ibi esset. Vid. Monum. Ancyr. et Dio, lib. lxvi; sed quo tempore Ovidius hæc scribebat; templum illud funditus perierat. Ab eo diversum ejusdem Deæ templum in foro Olitorio, quod Cn. Cornelius Cethegus cos. sub initium belli Insubrici voverat, quadriennio post dedicatum; Livius, xxxii. 30; xxxiv. 53. *Longo die*, vetustate. *Caderent labefacta ruina* plenius et elegantius, quam corruerent. Tum *sentitur senectus* suaviter ab hominibus ad delubra translatum. *Sacratus dux*, Imperator. Vide ad i. 640: Masson. Vit. Ovid. ad an. 59. et 60. p. 118. Tiberium intelligit de quo Tacit. An. ii. 49: "Deûm ædes vetustate aut igni abolitas, cœptasque ab Augusto, dedicavit." Tum plures tales ædes memorat. Sed et Augustum Liv. iv. 20. "templorum omnium conditorem aut restitutorem" nominat; et de eo Sueton. 30: "Ædes sacras vetustate collapsas aut incendio absumtas, refecit." Difficile est definire, uter nunc intelligendus sit, quoniam Ovid. hoc opus sub Augusto inchoavit, sub Tiberio autem absolvit, et parti jam absolutæ postmodo nonnulla inseruit. *Obligat ille Deos* convenienter Romanorum de Diis suis opinioni dictum. *Mutua cura tui;* Metam. viii. 724. "Cura pii Dîs sunt, et, qui coluere, coluntur." Diis *annos dabat*, quatenus aras eorum, statuas, templaque perennabat. *Maneant in statione*, pergant tuam domum tueri.

67. *Tum*, iisdem Kalend. Romulus sane inter duos *lucos Asylum* aperuit, qui locus dictus est *inter duos lucos*, *μεθόριον δυοῖν δρυμῶν*. Sed seriore tempore non exstabant *luci*, et *Asylum*

Ad penetrale Numæ, Capitolinumque Tonantem,
Inque Jovis summa cæditur arce bidens.
Sæpe graves pluvias adopertus nubibus Auster
Concitat, aut posita sub nive terra latet.
Proximus Hesperias Titan abiturus in undas
Gemmea purpureis quum juga demit equis:
Illa nocte aliquis, tollens ad sidera vultum,
Dicet: Ubi est hodie, quæ Lyra fulsit heri?
Dumque Lyram quæret, medii quoque terga Leonis
In liquidas subito mersa notabit aquas.
Quem modo cælatum stellis Delphina videbas,
Is fugiet visus nocte sequente tuos.

ita septum erat, ut nemo introire posset; Livius, i. 8; Dionys. ii. 15; Dio, 47. *Advena* omnis fluvius aliunde veniens dici potest. *Penetrale Numæ* ædes Vestæ, in cujus atrio, cui Regiæ nomen, Numa habitabat; vi. 264 sq; Trist. III. i. 29; Solinus, cap. 2. Sic *Ædes* illa, exstructa et ipsa a Numa, hujus *penetrale* non male dici poterat. *Arx*, pars altera montis, in quo Capitolium erat. Itaque *arx* et *Capitolium* sæpe distinguuntur. Livius, iii. 18. *arx capta Capitoliumque occupatum*; v. 47. *arx Romæ Capitoliumque*. Nunc vero templum Jovis Capitolini. Sic et iv. 635. *Sæpe graves*, etc. vid. Columella, xi. 11: "Kalend. Februar. ventus Eurinus, et interdum Auster cum grandine est."

73—78. *Proximus Titan* die secundo Febr. *Juga*, lignum transversum in temone, quod equorum collis imponebatur, in curru Solis *gemmis* ordine positis distinctum erat; Met. ii. 109. Male igitur unus Regius pro varia lectione *ignea*. *Purpureus* omnino lucidum et splendidum colorem apud poetas indicat; itaque et quæ solis sunt, *purpurea* vocantur. Etiam Heroid. xxi. ver. 86. Sol *purpureis equis* juga demit. Jam observa conversionem, qua siderum quorumdam occasum indicat. *Lyræ* occasus cosmicus, *Leonis* acronychius intelligitur. *Medii*, usque ad medium, media terga.

79—118. *Delphinis occasus* heliacus. Quoniam in *cælatis* operibus figuræ ita expressæ sunt, ut emineant, propterea et sidus stellis distinctum *cælatum* dici potuit. *Delphinis* originem triplicem Hyginus Poet. Astr. ii. 17. refert. Una, quam Ovid. paucis attingit, est hæc: Delphin quidam nomine a Neptuno ad Amphitriten, quæ fugerat, investigandam dimissus est, eamque quum reperisset, impulit, ut Neptuno nuberet. Sed Noster *Arionis* fabulam merito amplexus est, eamque et ordine et jucunde narravit. De ea vid. Herodotus, i. 23. multique alii. Male Neapolis ad ver. 111. monet, Herodotum ad unguem a Nostro expressum esse; immo in multis ab eo discrepat. *Dominus lyræ*, qui eam habet. Arion Methymna *Lesbius*. Citharœdum excellentissimum, *οὐδενὸς δεύτερον*, coloribus iis notat, quibus vis carminum in Orpheo, et Alcæo alibi descripta; Metam. x. 86.

Seu fuit occultis felix in amoribus index,
  Lesbida cum domino seu tulit ille lyram.
Quod mare non novit, quæ nescit Ariona tellus?
  Carmine currentes ille tenebat aquas.
Sæpe sequens agnam lupus est hac voce retentus;
  Sæpe avidum fugiens restitit agna lupum;
Sæpe canes leporesque umbra cubuere sub una;
  Et stetit in saxo proxima cerva leæ;
Et sine lite loquax cum Palladis alite cornix
  Sedit; et accipitri juncta columba fuit.
Cynthia sæpe tuis fertur, vocalis Arion,
  Tamquam fraternis obstupuisse modis.
Nomen Arionium Siculas impleverat urbes,
  Captaque erat lyricis Ausonis ora sonis;
Inde domum repetens puppim conscendit Arion,
  Atque ita quæsitas arte ferebat opes.
Forsitan, infelix, ventos undamque timebas;
  At tibi nave tua tutius æquor erat:

83. *Quod mare.*] Nempe circa insulas ille quæstus causa vagabatur. *Resistere* pro consistere, subsistere. Vide Schwartz. ad Plinium, pan. x. 4. *Sub umbra* solemne, nam et *sub* pro *in*, et *umbra* pro arbore ponitur. *In saxo* offendit Heinsium, pro quo malebat e Puteano *infestæ*. Sed in *saxis* et *rupibus* commoratio cervorum atque leonum. Præterea, quod e Burman. observatum, *stare in saxo* bene convenit præcedenti *cubare sub umbra*. *Cornicem* et noctuam inimicitia intercedit; Ælianus Hist. An. iii. 9; confer Metam. ii. 590 sqq. ubi res ex fabulis refertur. Cæterum his similia etiam in SS literis leguntur; Isai. xi. 6. "Habitabit lupus cum agno, pardus cum hœdo cubabit: vitulus et leo et ovis simul morabuntur."

91. Etiam Dii et homines capti illa voce, *obtupuisse* dicuntur. Sic Cerberus ap. Horatium, et intima Leti tartara apud Virgilium *stupent* cantu Alcæi et Orphei; at de Dea minus hoc verb. placet. Melius Horat. III. Od. xi. 8. "Dic modos, Lyde quibus obstinatas Applicet aures." *Vocalis*, cantus, ut *vocalis Orpheus* Horatio.

93. Etiam Herodotus Siciliam et Italiam nominat, ubi opes collegerit. Illuc, venia ab Periandro impetrata, abierat. Tarento profectus, domum redire voluit. *Quæsitas opes.* Herodotus, *ἐργασάμενος χρήματα μεγάλα*; Hyginus, fab. 194. "Magnum patrimonium acquisiverat." Idem de Simonide traditur.

97. Nempe hoc illud est, quod Horatius, II. Od. xiii. 13—20 monet, non quod quisque maxime timeat, sed improvisam leti vim nobis instare.

Namque gubernator destricto constitit ense,
Cæteraque armata conscia turba manu.
Quid tibi cum gladio? dubiam rege, navita, pinum;
Non sunt hæc digitis arma tenenda tuis.
Ille metu vacuus, mortem non deprecor, inquit;
Sed liceat sumta pauca referre lyra.
Dant veniam, ridentque moram: capit ille coronam,
Quæ possit crines, Phœbe, decere tuos:
Induerat Tyrio bis tinctam murice pallam:
Reddidit icta suos pollice chorda sonos;
Flebilibus veluti numeris canentia dura
Trajectus penna tempora cantat olor.

Arion tamen et nautas timuisse videtur. Herodotus, *πιστεύοντα δὲ οὐδαμοῖσι μᾶλλον, ἢ Κορινθίοισι. Gubernator.* Hoc de suo Ovidius exornavit. Apud Herodotum omnino nautæ commemorantur. Servulis ipsius Arionis hoc consilium Hyginus tribuit. *Constitit* pro, adstitit. *Destricto* Heins. recte *τῷ districto* prætulit; etenim *destringere* est nudare, *distringere* in varias partes distrahere. Vide Drakemb. ad Sil. xvii. 164. Cæterum nota hoc versu tot voc. in *a* desinentia, ut ver. 256.

101. *Ensis* gubernatoris locum dedit huic consilio, quo suavitas quædam conciliatur narrationi. *Dubia navis*, nesciens quo eat, quum neminem habeat, a quo regatur. *Mortem non deprecor.* Apud Herodot. tamen *ψυχὴν παραιτεῖται Χρήματα προιεὶς σφι.* Tandem minis ad incitas redactus, rogat, ut sibi liceat *ἐν τῇ σκευῇ πάσῃ στάντι ἐν τοῖσι εἰδωλιοισι ἀεῖσαι.* Illud *ἀεῖσαι* Noster expressit *referre lyra.* Horat. Art. Poet. 57. "Musa dedit fidibus libera vina referre." *Rident moram.* Apud Herodot. se sperant pulcherrimum audituros cantum. Jam describitur *σκευὴ*, ornatus citharœdi, de quo confer ad Heren. iv. 47; Metam. xi. 165. et quæ ibi notavimus. Hygin. P. A. d. l. petiit, ut sibi liceret "se ornare, qua sæpe vicerat, veste." In eo ornatu primum est *corona*, nempe aurea, quam Hyginus fab. d. l. diserte memorat; *Phœbus* vero cantaturus, Metam. d. l. *lauro* tantum *Parnaside vinctus. Crines tuos*, quia Phœbus crinibus decorus, quia tempora ejus longo crine decentia: Met. i. 450. *Palla* vestis citharœdorum longior cum syrmate. Tzetzes Chil. i. *τὴν μουσικὴν στολὴν* vocat. Vide ad Metam. xi. 166. ubi "Tyrio saturata murice palla." Pro *saturata*, satis imbuta colore, nunc est *bis tincta*, dibaphe, quæ et *iterata*, aut *lauta murice* dici solet. *Pollice* vel nudo, vel pectine armato pulsabantur lyræ fides. *Suos*, quos solet reddere et debet. Non semper "chorda sonum reddit, quem vult manus et mens," Horat. Art. Poet. 348.

109—110. Non erat, cur Heinsius hoc de *olore* distichon spurium judicaret. Etenim tam musici, quam poetæ cum cycno sæpe comparantur, quia veteres suavissimum ei cantum tribuebant. Inde Alcæus *κύκνος Λέσβιος*,

Protinus in medias ornatus desilit undas,
Spargitur impulsa cærula puppis aqua.
Inde, fide majus, tergo delphina recurvo
Se memorant oneri supposuisse novo.
Ille sedens citharamque tenet, pretiumque vehendi
Cantat, et æquoreas carmine mulcet aquas.
Dî pia facta vident: astris delphina recepit
Jupiter, et stellas jussit habere novem.
Nunc mihi mille sonos, quoque est memoratus Achilles,
Vellem, Mæonide, pectus inesse tuum;
Dum canimus sacras alterno carmine Nonas,
Maximus hinc Fastis accumulatur honos.
Deficit ingenium, majoraque viribus urgent:
Hæc mihi præcipuo est ore canenda dies.

et Pindarus *Dircæus cycnus* Hor. IV. Od. ii. 25. Inde proverb. *κύκνου ἀοιδότερον*. Hinc et Cycnus, rex Ligurum, musica excellens, in eamdem avem mutatus esse tradebatur; Metam. ii. 252. 367. In primis morti vicinus *flebiles* cantus exercere credebatur. Heroid. vii. 1; Cic. Tusc. i. 30; Plinius, x. 32. Atque etiam Arion nunc, quod Hygin. P. A. diserte monet, mortem suam deflebat. Non male igitur h. l. adhibita illa comparatio. *Pennam* Burmannus intelligit sagittam, qua trajectus olor, vicinus morti flebiliter canit, quum alii de penna quadam dura loquantur, quam olor in senectute habeat. *Canentia* Heins. interpretatur, senilia. Sed cycni corpus semper *canens*, id est candidum, candens. Metam. ii. 373. ubi Cycnus rex in hanc avem transit, "canæ capillos dissimulant plumæ." Et h. l. tres cod. *candentia* præferunt. Secundum Herodotum, Arion tum cantabat *νόμον τὸν ὀρθιον*, carmen summa fidium ac vocis contentione.

114. *Novo* inusitato. *Pretium vehendi*, carmen, quo delphino cantus amanti remuneretur operam vehendi. Plinius, I. Ep. xii. 4. *pretia vivendi*, ubi vide not. nostr. *Vident facta*, iis delectantur, præmiis ea afficiunt. *Recepit Jupiter*. Hygin. P. A. astrologis hoc tribuit.

119—144. *Mille sonos.*] Alii poetæ centum ora centumque linguas sibi dari in re simili cupiunt. *Memoratus*, memoria ejus celebrata. *Mæonides* aut *Mæonius* Homerus dictus a Smyrna, Mæoniæ, id est Lydiæ urbe. Plin. Hist. Nat. v. 30; Horat. I. Od. vi. 2. *Mæonii carminis ales*. *Præcipuo ore*; Virg. iii. 294. "Nunc, veneranda Pales, magno nunc ore sonandum." Hæc rei magnitudine abreptus dixerat. Jam sentit, tale argumentum non convenire elegis; itaque corrigit se: mox tamen rursus assurgit oratio. *Herous pes* etiam alibi, ut IV. Trist. x. 47. Hoc loco quidam *heroici*.

Quid volui demens Elegis imponere tantum
Ponderis? heroï res erat ista pedis.
Sancte Pater patriæ, tibi plebs, tibi Curia nomen
Hoc dedit; hoc dedimus nos tibi nomen eques.
Res tamen ante dedit: sero quoque vera tulisti
Nomina: jampridem tu pater orbis eras.
Hoc tu per terras, quod in æthere Jupiter alto,
Nomen habes: hominum tu pater, ille Deûm.
Romule, concedas: facit hic tua magna tuendo
Mœnia: tu dederas transilienda Remo.

127. Nonis Febr. sive die quinto Febr. An. U. C. 752. Valerius Messala nomen *Patris Patriæ* ad Augustum in curia detulit his verbis: "Senatus te consentiens cum. Pop. Rom. consalutat Patriæ Patrem." Sueton. Aug. 58. De tempore quo id factum, vide Masson. V. H. p. 246. *Nos eques*, scil. Equites, quia Ovidius e gente equestri. Gratiam Augusti meriturus, se quoque memorat. *Res ante dedit*: itaque et Horat. I. Od. ii. 50; xii. 57. eum ante sic vocavit. Similiter de Trajano, Plin. paneg. 21. disputat, ubi falso additur, "soli omnium contigit tibi, ut pater patriæ esses ante, quam fieres." *Res* autem nisi ante dedit honorificum nomen, mera in eo est adulatio. *Jupiter*, auctore Horatio, curru quatiebat Olympum, Cæsar latum orbem regebat. Sed Noster id accommodavit nomini *Pater*.

133. *Concedere*, cedere, priorem locum relinquere. *Mœnia* in dilogia; nam et urbem, et muros significat. *Dederas transilienda* eleganter, ita exstruxerat, ut ille transilire posset. *Sensit*, damno suo expertus est ejus fortitudinem. Vide nos ad Plin. paneg. xvi. 5. Romulum sensit *Tatius*, quum inter Palatinum et Capitolinum Collem Sabini, quorum metropolis *Cures*, prœlio funderentur. *Cæninenses* levi certamine docuit, vanam sine viribus esse iram. *Utrumque latus*, terra meridionalis et septemtrionalis. Apud Horat. I. Od. xxii. 19. *latus mundi* de plaga boreali. Claudianus, xx. 242. *australe latus*. Lenzius partem orientalem et occidentalem intelligit. Equidem putem, ortum et occasum solis non bene ejus *latera* dici. *Breve*, exiguum, ut *brevis sensus*, *breve pondus* apud Horat. *Quodcumque est—habet*. Cf. i. 85 sqq. *Duce se. Ducem* nunc varie interpretantur. Dan. Heins. Imperatorem, Cæsarem intelligit. Burman. capit eo sensu, quo omnes Principes duces. Potest esse et is, qui exemplo suo præit. Augustus autem Italiam moribus ornavit, legibus emendavit: antea nullus legibus locus. Horat. II. Epist. i. 2. Tacit. An. i. 9. Hoc nomine in primis laudabatur ejus sæculum. In *luco* asyli etiam *nefarii* homines recipiebantur. Verbis *submovet nefas* Lenzius putat respici forte legem quamdam, qua Augustus vim asylorum coercuerit. Sed hoc potius fecit Tiberius; Sueton. 37. Neque antitheta h. l. nimis urgenda sunt. *Domini* nomen poeta forte dedit oppositioni; id enim adeo invisum erat priscis Romanis, ut ne patrem quidem familiæ servorum dominum appellarent; neque se Romulus ut dominum

Te Tatius, parvique Cures, Cæninaque sensit:
Hoc duce Romanum est solis utrumque latus.
Tu breve nescio quid victæ telluris habebas:
Quodcumque est alto sub Jove, Cæsar habet.
Tu rapis; hic castas duce se jubet esse maritas.
Tu recipis luco; submovet ille nefas:
Vis tibi grata fuit; florent sub Cæsare leges.
Tu domini nomen; principis ille tenet:
Te Remus incusat; veniam dedit hostibus ille:
Cœlestem fecit te pater; ille patrem.
Jam puer Idæus media tenus eminet alvo,
Et liquidas mixto nectare fundit aquas.
En etiam, si quis borean horrere solebat,
Gaudeat: a zephyris mollior aura venit.
Quintus ab æquoreis nitidum jubar extulit undis
Lucifer, et primi tempora veris eunt.
Ne fallare tamen; restant tibi frigora, restant;
Magnaque discedens signa relinquit hiems.
Tertia nox veniat: custodem protinus Ursæ
Adspicies geminos exseruisse pedes.

gessit. *Principis* nomine cuncta Augustus sub imperium accepit, quin et imperium ejus dictum *Principium* et *Principatus* Vid. Lipsius ad Tacit. An. i. 1. et qui ibi laudantur ab Ernest. Hinc Horatius, I. Od. ii. 5. *Hic ames dici Princeps.* Delatum id nomen ad eum An. U. C. 727. Dio liii. pag. 503. *Te Remus*, etc. Tu crudelis fuisti in fratrem; ille clemens est ipsis hostibus. *Cælestem*, etc. Conf. ver. 475 sqq. Majus autem est, beneficia dare, quam accipere.

145. *Aquarii ortus cosmicus.*] Eum plures Ganymedem, *puerum Idæum*, Erichthonii aut Trois, regis Trojani, filium esse dicebant. Is quoniam Diis *nectar* infundit, nunc jocoso figmento urna, quam ei astronomi tribuunt, *mixto nectare aquas* fundere dicitur. Exoritur et cadit capite prius, quam reliquis membris. Hygin. P. A. iii. 28.

149. *Favonii flatus verni temporis initium;* Plinius, xviii. 59. Oritur autem, eodem ii. 47. auctore, "sole Aquarii xxv. obtinente partem; is dies sextus est ante Febr. Idus." Columel. xi. 2. septimum Id. Febr. nominat. *Quintus Lucifer*, V. Idus, dies nonus Februar. *Restant*, etc. confer ver. 854 sq; iii. 235.

153—192. *Arctophylacis* ortus. Hic mythus de *Callisto* inseritur, qui Metam. ii. 401—530. latius tractatus est. *Tertia nox* ante Idus, ergo nox diei undecimi. Ad polum arcticum duo

Inter Hamadryadas, jaculatricemque Dianam,
  Callisto sacri pars fuit una chori.
Illa Deæ tangens arcus: Quos tangimus, arcus,
  Este meæ testes virginitatis, ait.
Cynthia laudavit: Promissaque fœdera serva,
  Et comitum princeps tu mihi, dixit, eris.
Fœdera servasset, si non formosa fuisset.
  Cavit mortales: de Jove crimen habet.
Mille feras Phœbe silvis venata redibat,
  Aut plus, aut medium sole tenente diem.
Ut tetigit lucum, densa niger ilice lucus,
  In medio gelidæ fons erat altus aquæ;
Hac, ait, in silva, virgo Tegeæa, lavemur.
  Erubuit falso virginis illa sono.
Dixerat et Nymphis; Nymphæ velamina ponunt.
  Hanc pudet, et tardæ dat mala signa moræ.
Exuerat tunicas: uteri manifesta tumore,
  Proditur indicio ponderis ipsa sui.

sidera vicina, *Arctos* sive *Ursa major*, et *Arctophylax* sive *Custos Ursæ*, aut *Bootes*, quia Ursa major et *Plaustrum* dicta. Illud sidus xxv. stellis constat, hoc xiv. Custos in utroque *pede* stellas habet singulas. *Callisto*, Lycaonis filia, nympha venatrix. *Chorus*, cœtus, quod nomen ver. 173. legitur. *Pars una chori*, una ex choro. Metam. ii. 426. *Comitum pars una mearum*. Veteres *tangere* rem solebant, per quam jurabant. Ita Hannibal puer, *tactis sacris*, jurejurando adactus est. Liv. xxi. 1. *Promissa fœdera*, promissa, quæ et absolute *fœdera* appellantur, Metam. ii. 757. Tibullus, l. ix. 2. *fœdera dabas*, ubi vid. Heynium. *Comitum princeps*, Metam. 415. *Si non formosa*. Etiam Coronis Metam. ii. 572: *forma mihi nocuit*. *Crimen* passim de stupro et adulterio. *De Jove*, qui faciem cultumque Dianæ indutus, Nympham humi jacentem vi compressit, Metam. ii. 422 sqq. Nonnulli *a Jove*, quia ille causa agens. Heinsius suadet *ab Jove;* etiam hoc ferri potest.

164. *Aut plus*, etc. quo diei tempore fere venatio finiebatur. Confer Metam. iii. 143—145. Taubnero placet *tenente polum*, quod unus cod. præfert. A venatione redeuntes amabant lotiones. *Ilex nigra* dicitur a nigricante virore; Virg. Ecl. vi. 55. Inde *densa niger ilice lucus* pro, densus nigris ilicibus. *Tegeæa* omnino Arcas; nam. ver. 192. *Mœnalia*, Metam, d. l. *Parrhasis* et *Nonacrina* vocatur. *Sonus*, nomen. *Tarda* non addit novam notionem; tantum moræ naturam exprimit. Sic sæpe poetæ. Et *tarda mora* etiam ver. 256. legitur.

Cui Dea, Virgineos, perjura Lycaoni, cœtus
Desere, nec castas pollue, dixit, aquas.
Luna novum decies implerat cornibus orbem:
Quæ fuerat virgo credita, mater erat.
Læsa furit Juno, formam mutatque puellæ.
Quid facis? invicto pectore passa Jovem est.
Utque feræ vidit turpes in pellice vultus;
Hujus in amplexus Jupiter, inquit, eat.
Ursa per incultos errabat squalida montes,
Quæ fuerat summo nuper amanda Jovi.
Jam tria lustra puer furto conceptus agebat,
Quum mater nato est obvia facta suo.
Illa quidem, tamquam cognosceret, adstitit amens,
Et gemuit; gemitus verba parentis erant.
Hanc puer ignarus jaculo fixisset acuto,
Ni foret in superas raptus uterque domos.
Signa propinqua micant: prior est, quam dicimus Arcton:
Arctophylax formam terga sequentis habet.

177. *Lædi* varie in amoribus dicitur; h. l. de ignominia Junoni adulterio mariti illata. Burmann. offendit *que*, ut inelegantер et ad vers. fulciendum τῷ *mutat* subjectum. Conjicit *mutare*, ut *furit mutare* sit, vehementer irata et furore quasi percita festinat mutare. Sic sane Horat. I. Od. xv. 27. "furit te reperire atrox Tydides." Nihil tamen mutandum, quum particula *que* centies apud Poetas remotiori nomini addatur, ut supra ver. 16. *per titulos ingredimurque tuos. Pati* de concubitu. Metam. ix. 739. *Feræ*, ursæ. De formula *in* aut *sub amplexus ire* vide ad Met. vii. 616.

183. *Puer*, Arcas dictus. *Furto*, clandestino concubitu. *Gemitus verba parentis erant.* Interpr. Gallicus in his verbis felicem ingenii Ovid. facilitatem admiratur, quod una sententia animum maternum in ursa declaraverit, atque amorem ejus acerrimum nobis inspiret; quod non est. Ovidius hoc unum vult, matrem doluisse quidem, sed dolorem in corpore ferino verbis exprimere non potuisse. Conf. Metam. ii. 486. Similiter Inachus, filia visa, "nec mutua nostris Dicta refers; alto tantum suspiria ducis Pectore: quodque unum potes, ad mea verba remugis." Metam. i. 655. *Sævit adhuc*, quod pellex, quam in feram mutaverat, Dea facta, inter sidera fulgebat; Met. ii. 520. *Canam Tethyn.* Vide ad Metam. d. l. *Ne lavet*, ne sinat pellicem occidere in Oceanum, nempe "ne puro tinguatur in æquore pellex."

Sævit adhuc, canamque rogat Saturnia Tethyn,
Mænaliam tactis ne lavet Arcton aquis.
Idibus agrestis fumant altaria Fauni,
Hic ubi discretas insula rumpit aquas.
Hæc fuit illa dies, in qua Veientibus arvis
Ter centum Fabii ter cecidere duo.
Una domus vires et onus susceperat urbis:
Sumunt gentiles arma professa manus.
Egreditur castris miles generosus ab îsdem;
E quîs dux fieri quilibet aptus erat.

193—242. *Fauni sacra et Fabianæ cladis memoria. Faunus*, Latio et Etruriæ proprium numen. Fuit Pici filius, quartus Italiæ rex, ob merita in rem rusticam inter Deos *agrestes* relatus, etiam vates insignis habitus; Dionys. Halic. i. 24; Heynii Excurs. v. ad Æneid. vii. Confer infra iii. 291 sqq. Etiam ex Publio Victore constat, in *Insula* templa fuisse Jovis, Æsculapii et Fauni. Fauni ædem Ædiles e pecunia multatitia fecerunt, eaque ann. U. C. 509. dedicata est. Liv. xxxiii. 42; xxxiv. 58. *Insulam* illam Ovid. Metam. xv. 739 sqq. describit. *Rumpit discretas*, rumpit sic, ut discernantur; uno verbo, discernit. Altera Faunalia Nonis Decembr. agebantur, eaque Horat. III. Od. 18. celebravit.

195. De hoc *Fabiorum* cum *Veientibus* bello confer Dionys. Halicarn. ix. 15—22; Liv. ii. 48—50. Et alios. Namque an. U. C. 275. quum Veiens bellum adsiduo magis, quam magno præsidio egeret, *Fabia* gens id sola suscepit. *Sex* et *trecentos* milites, omnes patricios, omnes unius gentis, Roma esse profectos, omnesque ad Cremeram cæsos a Veientibus constanter veteres tradunt. Dionys. addit, hos secum eduxisse quatuor hominum millia, quorum plurimi clientes et sodales fuerint. Sed in primis de hac re legendus Perizon. in Animad. Hist. cap. 5. ubi ostendit, illo tempore vix omnium gentium patriciarum tot viros fuisse militaris ætatis, nedum unius gentis; consulares Fabios, Marcum et Cæsonem, sibi sumsisse hoc bellum, et vere trecentos sex ad illud eduxisse, non plures, neque tamen hos omnes gentiles suos, sed maximam partem clientes: illos tamen omnes vulgo dictos esse Fabios, quia Fabii bellum in se recepissent. Secundum Liv. vi. 1. id non *Idibus* Februar. factum, sed ante diem xv. Kalend. Sextiles, quo die etiam ad Alliam fœde pugnatum sit, eumque insignem rei nulli agendæ fecisse veteres. *Veiens* pro Veientinus, ut *Laurens*, Laurentinus.

198. *Professa*, quæ se promiserant sumturas.

199. *Castra* Lenzius intel. Romam ipsam, aut locum ante ædes consulis. Immo eadem domus, familia eadem intel. *Una domus, gentiles manus, eadem castra*, eamdem rem urgent. Etiam Liv. "quorum neminem ducem sperneret egregius quibuslibet temporibus senatus." Sic et Silius. De *Janis*, scil. transitionibus perviis, et templis Jani, i. 257. Etiam *Carmentalis* porta duos habebat transitus,

Carmentis portæ dextro via proxima Jano est.
Ire per hanc noli, quisquis es: omen habet.
Illa fama refert Fabios exisse trecentos;
Porta vacat culpa; sed tamen omen habet.
Ut celeri passu Cremeram tetigere rapacem,
Turbidus hibernis ille fluebat aquis;
Castra loco ponunt: destrictis ensibus ipsi
Tyrrhenum valido Marte per agmen eunt;
Non aliter, quam quum Libyca de rupe leones
Invadunt sparsos lata per arva greges;
Diffugiunt hostes, inhonestaque vulnera tergo
Accipiunt; Tusco sanguine terra rubet:
Sic iterum, sic sæpe cadunt; ubi vincere aperte
Non datur, insidias armaque cæca parant.
Campus erat: campi claudebant ultima colles,
Silvaque montanas occulere apta feras.
In medio paucos armentaque rara relinquunt:
Cætera virgultis abdita turba latet.

dextrum et sinistrum. Leuzius vero templum Jani ante portam fuisse putat. Sic et Krebs. qui improbat Strothii ad Liv. ii. 49. explicationem, quam vero nos veriorem putamus. *Via* illa propter cladem Fabiorum *scelerata* dicta est et *infelix*. Florus: *scelerato signata nomine*. Sic memoriam rei ad posteros propagabat. Apud Silium *omen* dat stridore, atque Maxima Herculis ara mugit illis exeuntibus. *Illa fama—habet*. Hoc distichon a MSS. quibusdam abest. *Cremera*, Etruriæ flumen haud longe a Veiis, hac ipsa clade nobilitatum. *Tangere* locum pro pervenire eo, frequentat noster. *Turbidus*. Nonnulli, *turgidus*. *Hibernis aquis*, solutis nivibus. Susceptum hoc bellum hieme. Rebus enim nonnullis gestis, ὁ χειμὼν ἐκεῖνος ἐτελεύτα. Dionys. 13. extr. Jam fortitudinem Fabiorum in honore ponit. *Castra loco ponunt*; in loco prærupto castellum muniunt, cui a fluvio nomen inditum. *Eunt per agmen*, perrumpunt agmen.

209. *Lybica de rupe*.] Metam. iv. 114; *quicumque sub hac habitatis rupe leones*. Et Claudian. iii. 80; leo æstuat *rupe relicta Gætulo comes ire patri*. Atque etiam Fabii de loco prærupto decurrebant. *Cæca* ex altero Puteano Heins. recte vulgari *tecta* prætulit. *Cæca* enim eleganter clandestina, tecta dicitur, ut *cæca vulnera, cæci ignes*; atque *arma cæca* sunt insidiæ. De *campo* consentiunt historici. *Occulere feras*, hinc et apta insidiis.

Ecce, velut torrens undis pluvialibus auctus,
Aut nive, quæ zephyro victa repente fluit,
Per sata, perque vias fertur; nec, ut ante solebat,
Riparum clausas margine finit aquas:
Sic Fabii latis vallem discursibus implent;
Quosque vident, sternunt: nec metus alter inest.
Quo ruitis, generosa domus? male creditur hosti!
Simplex nobilitas perfida tela cave.
Fraude perit virtus; in apertos undique campos
Prosiliunt hostes, et latus omne tenent.
Quid faciant pauci contra tot millia fortes?
Quidve, quod in misero tempore restet, habent?
Sicut aper, silvis longe Laurentibus actus,
Fulmineo celeres dissipat ore canes;
Mox tamen ipse perit: sic non moriuntur inulti;
Vulneraque alterna dantque feruntque manu.
Una dies Fabios ad bellum miserat omnes,
Ad bellum missos perdidit una dies.

219. Eadem similitudo, sed ornatior, Æn. ii. 304—308; ubi Heynius plura Virgil. et aliorum loca comparavit. Plerumque *torrens* impetum exprimit, quo fertur aliquis; nunc tantum discursus. *Fluit*, diffluit, resolvitur. *Clausas finit*, coercet, continet. *Metus alter*, non metuunt alios, quos, quippe in insidiis collocatos, non vident. Livius: "Jamque Fabii adeo contemserant hostem, ut sua invicta arma neque loco, neque tempore ullo crederent sustineri posse." Paulo ante *implent* copiæ notionem habet; Metam. viii. 166: "Implet innumeras errore vias." Pro eo Tibul. I. iv. 69. *explere*. *Nobilitas*; a Floro et Silio *patricius exercitus* vocatur. *Simplex*, non cauta, credens hosti.

231. *Laurentes apri* passim memorantur. Vide Heins. ad h. l. et Bentl. ad Horatium, Epod. v. 28.

235. In interitu rerum magnarum scriptores talia notare solent. Liv. i. 29. de Albæ excidio: "Una hora quadringentorum annorum opus excidio ac ruinis dedit." Sed nunc lusus in duplici *una dies* parum placet. Quid enim mirum, una die illos esse missos ad bellum? De *uno* Fabio servato veter. consentiunt. Dubium movet Dionys. sed frustra. Si enim, ut supra ostensum est, pauci tantum Fabii id bellum susceperunt, fieri facile potuit, ut illi vel non nisi unum filium impuberem habuerint, vel plures, quorum unus tantum ad virilem ætatem pervenerit. Vid. Perizon. Animad.

Ut tamen Herculeæ superessent semina gentis,
  Credibile est ipsos consuluisse Deos.
Nam puer impubes, et adhuc non utilis armis,
  Unus de Fabia gente relictus erat:
Scilicet ut posses olim tu, Maxime, nasci;
  Cui res cunctando restituenda foret.
Continuata loco tria sidera, Corvus et Anguis,
  Et medius Crater inter utrumque jacet.
Idibus illa latent: oriuntur nocte sequenti:
  Quæ sibi cur tria sint consociata, canam.
Forte Jovi festum Phœbus solemne parabat:
  Non faciet longas fabula nostra moras,
I, mea, dixit, avis, ne quid pia sacra moretur;
  Et tenuem vivis fontibus affer aquam.
Corvus inauratum pedibus cratera recurvis
  Tollit, et aerium pervolat altus iter.
Stabat adhuc duris ficus densissima pomis;
  Tentat eam rostro: non erat apta legi.

hist. cap. 5. Fabii autem jam ante urbem conditam inter Romuli et Remi comites fuisse, atque ab *Hercule* ex Evandri filia prognati esse tradebantur. Vid. Pighius Ann. ad a. 473. A Silio, *Penates Herculei implevisse privata castra* dicuntur. *Non utilis armis;* Horatius, I. Od. xii. 42. Curius *utilis bello.* Idonei armis ferendis *pubes* dicuntur. Livius, viii. 8. *pubescentes ad militiam.*

243—266. *Ortus trium siderum* acronychius: quorum origo narratur. *Anguis,* scilicet hydra, cauda Centauri caput pæne tegens, sustinet in dorso *corvum,* rostro corpus ejus tundentem et *cratera.* Sic illa *continuata loco,* cohærentia nullo intervallo. Vid. Hygin. P. A. iii. 39; fabulam autem idem. ii. 40. narrat. *Medius inter utrumque,* inter corvum caudam hydræ tundentem et caput hydræ elatum. Pro *jacet* unus Vatic. *micat,* quod sane recte de sidere dicitur. Sed credibile est, poetam, quum hoc verbum ver. 266. legatur, variare orationem voluisse. Accedit, quod ea, quæ inter partes eminentes locum habent, eleganter *jacere* dicuntur: v. Drakenbor. ad Silium, xii. 132.

247. Inferiores Dii superioribus sacra faciebant; iv. 423. *Tenuem* tantum ornat, quia aqua tenuior terra. A sacra facturis ministri mittebantur aquam, in primis *vivam,* petitum libationis causa; Met. iii. 26 sq. *Aerium iter,* aer.

253. *Densissima pomis,* abundans ficubus. *Adhuc* conjunge cum *duris.* Ad arborem retulit, quod erat ad ficus

Immemor imperii sedisse sub arbore fertur,
  Dum fierent tarda dulcia poma mora.
Inde satur nigris longum rapit unguibus hydrum,
  Ad dominumque redit, fictaque verba refert:
Hic mihi causa moræ, vivarum obsessor aquarum:
  Hic tenuit fontes officiumque meum.
Addis, ait, culpæ mendacia, Phœbus; et audes
  Fatidicum verbis fallere velle Deum!
At tibi, dum lactens hærebit in arbore ficus,
  De nullo gelidæ fonte bibantur aquæ.
Dixit; et antiqui monumenta perennia facti,
  Anguis, Avis, Crater, sidera juncta micant.
Tertia post Idus nudos Aurora Lupercos
  Adspicit, et Fauni sacra bicornis eunt.

referendum. *Tentat eam—apta legi.* Leguntur, colliguntur, fructus proprie ab hominibus, h. l. a corvo, qui decerpit. *Sedisse sub arbore*, etc. non inepte hoc fictum; celerrime enim fici maturescunt. Plinius, Hist. Nat. xv. 21: "Admirabilis est pomi hujusce festinatio." Itaque Hyginus "post aliquot dies coctis ficis." Ne igitur urgeas τὸ *tarda mora*. Vide ad versum 170.

259. Passim apud veteres serpentes occurrunt fontium custodes. Vide ad Metam. iii. 31. Veri ergo similia finxit corvus. *Tenuit* in dilogia positum, custodivit fontes, et impedivit officium meum. *At tibi*, etc. Plinius, H. N. x. 15: "Corvi ante solstitium generant: iidem ægrescunt sexagenis diebus, siti maxime, antequam fici coquantur autumno." Inde fabula nata. Nempe æstate, quod alvi fluxu laborarent, ab humidis alimentis abstinere corvi credebantur; Ælianus, H. A. ii. 5. Hinc dixerunt: quamdiu fici coquuntur, corvus bibere non potest. *Hærere* in arbore dicuntur flores, v. 255; fructus, Met. i. 105; frondes, iii. 730. *Lactere* omnino de plantis succulentis, unde Metam. xv. 201. *lactens* annus tempore verno. Sed ficis nominatim lactis succus aut humor tribuitur. Plinius, H. N. xv. 21. *maturescentibus esse succum lactis.* Atqui de hoc eodem tempore nunc est sermo. *Et antiqui*, etc. Nempe sitim corvi hæc declarant, quem hydra non patitur ad cratera accedere. Vide Hyginum.

267. Die xv. Februar. sive xv. Kalend. Martias *Lupercalia* celebrabantur, quibus describendis Ovid. immoratur usque ad ver. 452. De origine et ritibus horum sacrorum vide Liv. i. 5; Dionys. Halic. l. xxxii. Noster, ut solent poetæ, ad Homeri quidem exemplum, rerum antiquarum memoriam repetituri, Musas invocat. *Faunus* pro Pane, ut apud Horatium, l. Od. xvii. 2. et alibi. Fabulæ enim Italorum priscæ cum Græcis mixtæ sunt. Vid. Heynii Excurs. iv. ad Æn. vii.

Dicite, Pierides, sacrorum quæ sit origo:
Attigerint Latias unde petita domos.
Pana Deum pecoris veteres coluisse feruntur
Arcades; Arcadiis plurimus ille jugis.
Testis erit Pholoe; testes Stymphalides undæ;
Quique citis Ladon in mare currit aquis,
Cinctaque pinetis nemoris juga Nonacrini;
Altaque Cyllene, Parrhasiæque nives.
Pan erat armenti custos, Pan numen equarum;
Munus ob incolumes ille ferebat oves.
Transtulit Evander silvestria numina secum.
Hic, ubi nunc urbs est, tum locus urbis erat.
Inde Deum colimus, devectaque sacra Pelasgis
Flamen adhuc prisco more Dialis agit.
Cur igitur currant; et cur, sic currere mos est,
Nuda ferant posita corpora veste, rogas?

271. Ἀρκᾶσι θεῶν ἀρχαιοτατός τε καὶ τιμιώτατος ὁ Πᾶν Dionysius, i. 32; τοῖς Ἀρκᾶσιν ἐπιχώριος Pausanias Arcad. xxvi. p. 652. et de *cultu* ejus, p. 677. In *jugis* Arcadiæ errabat fistula canens, ibique plurima templa, statuas, aras, sacra, antra, montes habebat. Paus. p. 574. 686. In monte Lycæo fano ejus hippodromus et stadium adjacebant, in quo jam antiquissimis temporibus *Lupercalia* Λύκαια, celebrata; Pausan. 678. In catalogo montium *Mænalium* desideras, qui ei potissimum curæ. Virgilius, Georg. i. 17; Paus. p. 674. *Ladon* in Alpheum influens, etiam v. 89. vocatur *rapax;* sed Metam. i. 702. *placidus;* ubi v. n. *Pineta* etiam Lycæi, Metam. i. 217. memorantur. *Parrhasiorum* urbs Lycosura omnium urbium antiquissima habita. Pausanias, p. 678.

279. Liv. hoc unum habet: "Jam tum (quum Romulus et Remus inter pastores educarentur) in Palatino monte Lupercal hoc fuisse ludicrum ferunt." Sed Dionysius originem ejus cum Nostro diserte ab *Evandro* repetit. Eum a Thernide, id est, Carmenta matre monitum illa sacra patrio ritu fecisse, reperto loco commodo, quem Romani Lupercal, Græci Lycæum vocent, nempe spelunca ingenti et opaca sub colle Palatino, adjacentibus fonticulis. *Silvestria numina*, cultum silvestris Dei. *Hic ubi*, etc. argute eloqui voluit illud, urbs nondum erat condita. De *prisco more* nihil esse mutatum testatur et Dionysius, i. 32. *Flamen Dialis* hæc agebat, ut Flamen Quirinalis Robigalia, iv. 910.

283. Luperci, peracto sacrificio, ex Lupercali profecti, per pagum *currebant*, pudenda succincti pellibus victimæ recens mactatæ, reliqua *nudi*. Dionysius, dicto loco; Plutarch. Quæst. Rom. tom. vii. p. 131. Reisk. Utriusque

Ipse Deus velox discurrere gaudet in altis
  Montibus, et subitas concitat ille feras.
Ipse Deus nudus nudos jubet ire ministros:
  Nec satis ad cursum commoda vestis erat.
Ante Jovem genitum terras habuisse feruntur
  Arcades, et luna gens prior illa fuit.
Vita feræ similis, nullos agitata per usus:
  Artis adhuc expers et rude vulgus erant:
Pro domibus frondes norant, pro frugibus herbas:
  Nectar erat palmis hausta duabus aqua:

ritus causas, *cursus* et *nuditatis*, Noster enarrat usque ad ver. 380. *Ferre*, habere, ut alibi *gestare corpora membra*. *Velox* solemne Panis epitheton; Horat. I. Od. xvii. 1. Secundum Silium, xiii. 327. currit "pendenti similis. Vix ulla inscribens terræ vestigia cornu." *Concitat*, ut Liv. xxii. 17. "majore metu concitant se in fugam." Illam Panis concitationem describit Valer. Flac. Argon. iii. 56: "pavidum præsepibus aufert pecus," et facit, ut "profugi sternant dumeta juvenci." Cf. Orph. h. X. vii. 23. *Subitæ*, quia subito excitantur. Et excitabat feras e cubilibus comes Dianæ. *Ministros*, nempe sacrorum. In verbis *nec satis*, etc. prima nuditatis causa.

289—302. Secunda causa nuditatis e ruditate priscorum Arcadum repetitur. Et in pluribus sacris ritus quidam in memoriam rudis vetustatis culti. *Ante Jovem*, etc. De hac antiquitate Arcadum, vide ad i. 469. Aristoteles narraverat, barbaros ab initio Arcadiam tenuisse, eosque expulsos esse ab Arcadibus ante, quam *Luna* oriretur; Schol. Apollon. iv. 264. Erant Pelasgicæ stirpis et diu ante Deucalionem Arcadiam *habebant*, incolebant. Noster, *ante Jovem genitum;* namque Rhea in Parrhasio, monte Arcadiæ, Jovem peperisse tradebatur. *Fera* vita, ferina, *θηριώδης*, qualis multarum gentium antiquissimarum fuisse traditur. Arcades quidem inde quercubus nati, in specubus habitare, et glandibus vesci soliti esse dicebantur. Vide Heynium in Opuscul. Acad. tom. ii. p. 343. *Agitare*, agere. *Per nullos usus*, sine commodis, quæ artes præbent vitæ humanæ. Vide Cortium ad Sallust. Cat. xlviii. 2; Diod. Sic. dicto loco, *μηδενὸς τῶν πρὸς βίον χρησίμων ἐυρημένου*.

293. *Frondes*, casæ ex frondibus. Cf. Metam. i. 121. de argentea ætate: "domus antra fuerunt, Et densi frutices et vinctæ cortice virgæ." *Pro frugibus herbas*. Comedebant *τῶν φύλλων τὰ ἔτι χλωρὰ καὶ πόας*, et alia corpori noxia. Succurrit his malis Pelasgus, Arcadum rex, qui docuit *τὰς βαλάνους τῆς φηγοῦ, τροφὴν εἶναι*. Pausanias, viii. p. 599; quarum glandium usus inde frequentissimus in Arcadia. Idem Pelasgus docuit et tunicas facere. De *herbis* comestis cf. Noster, iv. 395; Art. Amat. ii. 475; et Amor. III. x. 10: Glans *erat, et teneri cespitis herba*. *Nectar*, etc. et vino carebant, et poculis.

Nullus anhelabat sub adunco vomere taurus:
Nulla sub imperio terra colentis erat:
Nullus adhuc erat usus equi; se quisque ferebat:
Ibat ovis lana corpus amicta sua:
Sub Jove durabant, et corpora nuda gerebant,
Docta graves imbres et tolerare Notos.
Nunc quoque detecti referunt monumenta vetusti
Moris, et antiquas testificantur opes.
Sed cur præcipue fugiat velamina Faunus,
Traditur antiqui fabula plena joci.
Forte comes dominæ juvenis Tirynthius ibat:
Vidit ab excelso Faunus utrumque jugo.
Vidit, et incaluit, Montanaque numina, dixit,
Nil mihi vobiscum est: hæc meus ardor erit.
Ibat odoratis humeros perfusa capillis
Mæonis, aurato conspicienda sinu.

295. *Anhelabat*, quemadmodum Virgilius, Georg. i. 45. *Ingementem*, depresso aratro taurum facit; neque temere, si durum Italiæ solum, nono demum sulco domandum, cogitas. *Imperare*, ut *cogere*, de agricolis. Vide Burmannum ad Met. i. 103. *Sub Jove durabant*, sub dio molestiis tolerandis perstabant. Cf. iv. 505. *Docta*, assuefacta. *Detecti*, ministri Panis nude currentes, *referunt*, etc. servant mores antiquos. Iidem *testificantur antiquas opes*, quam nullas opes habuerit antiquitas.

303. Tertia nuditatis causa. Fabulas *joci* petulantis *plenas* Noster etiam in hoc opere ambabus manibus arripuit. *Hercules* vel ob Iphitum occisum, vel ob tripodem de Apollinis fano sublatum, a Mercurio Omphalæ reginæ in servitutem est datus. Pherecyd. apud Schol. Hom. ad Od. Φ. 23; Hygin. fab. 32. *Comites*, famuli, ministri ut ver. 333. ubi tamen Hercules ab iis distinguitur, et *dominis* annumeratur. *Ardor* de persona quæ ardorem excitat, sive amatur ab altero.

310. *Mæonis*, Lydia. Omphale enim Lydiæ regina, Tmoli uxor. *Humeros perfusa*, quum comæ annuli in humeris fluctuarent. Apulei. Met. ii. "Crines cervice dependuli, ac deinde per colla dispositi." *Odorati*. Capilli interdum totam Arabiam spirabant. Lucianus, Am. s. 40. Culti capilli et *sinus* vestis vel effusus, vel purpureus, vel *auratus*, in primis notantur, quum habitus elegantium hominum, amorem aut captantium aut excitantium, describitur. v. 28. *Auratus*, cui aurea fila vel acu, vel texendo addita. Vide ad versum 319.

Aurea pellebant rapidos umbracula soles;
Quæ tamen Herculeæ sustinuere manus.
Jamque nemus Bacchi, Tmoli vineta, tenebat;
Hesperus et fusco roscidus ibat equo.
Antra subit, tophis laqueataque pumice vivo: 315
Garrulus in primo limine rivus erat.
Dumque parant epulas potandaque vina ministri,
Cultibus Alciden instruit illa suis.
Dat tenues tunicas, Gætulo murice tinctas:
Dat teretem zonam, qua modo cincta fuit. 320
Ventre minor zona est: tunicarum vincla relaxat,
Ut possit vastas exseruisse manus:

311. In instrumentis luxuriæ erant *umbracula*: σκιάδια, vela auro texta, quibus ope virgarum obtentis, æstus solis arcebatur. Art. Amat. ii. 209: "Ipse tene distenta suis umbracula virgis," quia plerumque, ut *flabella*, ab eunuchis aut famulis gestabantur. Claudian. xviii. 464. Olim male edebatur *tepidos soles*. Contra *teporem* non opus est umbraculis. Et Claudian. viii. 340. ubi nostrum loc. respexit, "neu defensura calorem Aurea summoveant rapidos umbracula soles." Et *rapidus* sol sæpe legitur, quia *rapidus* epitheton ignis.

313. *Tmoli vineta*, quæ etiam Metam. vi. 15. memorantur, et satis celebrata erant, bene *nemus Bacchi* dicuntur per appositionem. *Equus* singularis (rarius currus, vid. Heynium ad Tibul. I. ix. 62.) dabatur, *fuscus* Hespero, candidus Lucifero.

315. *Antrum* illud, ut e sqq. apparet, satis instructum erat mensis, toris, etc. *Tophos* et *pumicem* antris sæpe dant poetæ. Vide ad Met. iii. 159. *Laqueata* (Met. viii. 563. *lacunata*) melius quam, induta aut structa. Sumta enim sunt a tectis beatiorum hominum, quæ a variis ornamentis suis *lacunaria* et *laquearia* dicta. *Garrulus* bene de rivo indesinenter strepente.

319. *Tenuium* vestium duplex genus apud vett. quorum unum ex arborum quarumdam apud Seres lanugine texebatur: quæ Serum texta densiora Romanæ mulieres soluta denuo texebant: alterum bombycinum erat, e vermium filis textum; Plinius, Hist. Nat. vi. 20; xi. 26. In his erant vestes *Coæ*, quas Tibullus, II. iii. 53. ita describit: "vestes tenues, quas femina Coa Texuit, auratas disposuitque vias," id est subtemine aureo. Tale subtemen etiam Omphalæ vestis habuisse e versu 310. videtur. Itaque stamina tantum erant *Gætulo murice tincta;* quæ verba etiam Horat. II. Ep. ii. 187. leguntur. *Gætulia*, pars Africæ interioris sæpe pro tota Africa ponitur; Plinius, viii. 16. *Zonis* non solæ virgines, sed et nuptæ erant cinctæ. *Vincla*, laquei ad foramina, per quæ manus exserebantur. Infinitivus *exseruisse*, ut apud Hor. A. P. 328. *poteras dixisse. Ad brachia factas*, aptas brachiis.

Fregerat armillas non illa ad brachia factas:
Stringebant magnos vincula parva pedes:
Ipsa capit clavamque gravem, spoliumque leonis,
Conditaque in pharetra tela minora sua.
Sic epulis functi, sic dant sua corpora somno,
Et positis juxta secubuere toris.
Causa: repertori vitis pia sacra parabant,
Quæ facerent pure, quum foret orta dies. [det?
Noctis erat medium: quid non amor improbus au-
Roscida per tenebras Faunus ad antra venit;
Utque videt somno comites vinoque solutos,
Spem capit in dominis esse soporis idem.
Intrat, et huc illuc temerarius errat adulter,
Et præfert cautas subsequiturque manus.
Venerat ad strati captata cubilia lecti,
Et prima felix sorte futurus erat.
Ut tetigit fulvi setis hirsuta leonis
Vellera, pertimuit, sustinuitque manum;

326. Molestiam creant *tela minora*. Ulitius suaserat, *minore*, quod Taubnero placebat, ut Omphalæ pharetra minor fuisse dicatur pro modo et mensura telorum Herculeorum. Verum quis credat, etiam Omphalen, tamquam Dianam, gestasse pharetram, aut, si gestasset, sola tela sine pharetra permutasse? Heinsius monet, *tela minora* opponi *clavæ*, quæ telum gravius. Num hoc vult poeta: Herculem eo die de telis suis sumsisse *minora*, eaque condidisse in pharetra *sua*, illis telis minoribus congrua? Quamquam nec hoc placet. Vult enim poeta cultum ab Omphalæ natura quam maxime abhorrentem describere.

327. *Sic*, mutato cultu. Repetit hoc, quia inde pendebat fraus, quæ jam narratur. *Secubare* verb. proprium de iis, qui sacra facturi seorsim cubant et a Venere abstinent. Non autem semper Hercules et Omphale tam caste secubuisse videntur; hæc enim ex illo filium peperit. Apollod. II. vii. 8; Diodor. Sic. iv. 31.

333. *Comites* seu famuli, cubabant ante antrum. Vide ver. 351. *Adulter*, amator, ut ver. 356. vocatur.

337. *Captata.*] MS. Mazar. *tractata*, quod Taubnero valde placet. Est quidem *tractare* pr. manibus contingere; sed h. l. *captata*, palpando reperta, melius convenit; Heroid. xxi. 200. "tecto simulatur lumine somnus; Captantem tactus rejicioque manum; *Prima sors*, id, in quod primum incidit. *Felix*, compos voti. *Sustinuit*, retinuit, retraxit.

Attonitusque metu rediit: ut sæpe viator
Turbatum viso rettulit angue pedem.
Inde tori, qui junctus erat, velamina tangit
Mollia, mendaci decipiturque nota.
Adscendit, spondaque sibi propiore recumbit;
Et rigido cornu durius inguen erat.
Interea tunicas ora subducit ab ima:
Horrebant densis aspera crura pilis.
Cætera tentantem cubito Tirynthius heros
Reppulit: e summo decidit ille toro.
Fit sonus: inclamat comites, et lumina poscit
Mæonis: illatis ignibus acta patent.
Ille gemit lecto graviter dejectus ab alto,
Membraque de dura vix sua tollit humo.
Ridet et Alcides, et qui videre jacentem:
Ridet amatorem Lyda puella suum.
Veste Deus, lusus, fallentes lumina vestes
Non amat; et nudos ad sua sacra vocat.
Adde peregrinæ causam, mea Musa, Latinam;
Inque suo noster pulvere currat equus.
Cornipedi Fauno cæsa de more capella,
Venit ad exiguas turba vocata dapes;

342. *Referre pedem* de refugiente sic et Phædr. fab. ii. 1.

345. *Sponda propior*, ea pars spondæ, quæ ei propior; Horat. Epod. iii. 22. *Extrema et in sponda cubet.* Pars ad parietem versa *sponda interior*, altera *exterior* sive *prior* dicebatur. In hac viri cubabant. Vide Neapol. *Ora*, extrema pars vestis, erat vel *summa* aut *suprema* in pectore (Metam. iii. 480.) vel *ima* ad crura. A summa ora *deducitur* vestis, ab ima *subducitur*. *Horrere* de rebus non lævibus. Sic *horrere squamis, glebis, cautibus*. *Tentare*, attingere velle.

351. Servi, ad fores cubiculi vel excubantes, vel dormientes, lumen alebant, quod excitati inferrent. *Vix sua*, quibus vix uti potuit.

359. Quarta causa a Romulo et fratre repetita, quam non nisi rerum Romanarum studio admiscuit. Aream, in qua decurritur, nunc *pulverem* vocat.

361. Ipsa Lupercalia intel. de quibus ad ver. 267. *Mos* est igitur ille Arcadicus, ab Evandro in Italiam translatus. *Cornipedi* retinendum, et de corneis caprorum pedibus intelligendum. Etiam a Silio xiii. 327. ex-

Dumque sacerdotes verubus transuta salignis
Exta parant, medias sole tenente vias,
Romulus et frater, pastoralisque juventus
Solibus et campo corpora nuda dabant.
[Cæstibus, et jaculis, et missi pondere saxi
Brachia per lusus experienda dabant.]
Pastor ab excelso, Per devia rura juvencos,
Romule, prædones, eripe, dixit, agunt.
Longum erat armari: diversis exit uterque
Partibus: accursu præda recepta Remi.
Ut rediit, verubus stridentia detrahit exta,
Atque ait: Hæc certe non nisi victor edet.
Dicta facit, Fabiique simul: venit irritus illuc
Romulus, et mensas ossaque nuda videt.

tremus Panis pes *imum cornu* vocatur. *Exignas*, nempe unius capellæ. Victima cæsa, femora excisa et cum frustis imposita lignis cremari, et interea exta verubus infixa torreri, tostaque comedi solebant. Postea etiam reliquæ victimæ partes in frusta concisæ verubus infiguntur, assantur et *dapibus* apponuntur. Sed h. l. illæ partes *extorum* nomine comprehenduntur. Distinctius Liv. i. 7. " Potitii ad tempus præsto essent, iisque exta apponerentur; Pinarii, extis adesis, ad cæteram venirent dapem."

366. *Campo corpora nuda dabant*, nudi erant in campo. Mox, *experienda dabant*, experiebantur. Ibi Taubner. primam verbi notionem urgens, explicat, alter alteri copiam faciebat experiendi brachia. *Cæstibus* Heinsio non placet, quia *cæstus* Romanis non in usu. Itaque e MSS. præfert *vectibus; vectes* enim, scilicet *sudes*, militare erant exercitium, quod adeo poeta facile ad pastores illos antiquos transferre potuit. Cæterum hoc totum distichon, quod tres cod. non agnoscunt, spurium haud dubie est, et ex superiori conflatum; quod et Heinsius suspicatus est. Itaque uncis inclusi, quod et Mitscherl. fecisse video. Jam disputant, utrum *eripe*, an *et, Reme* legendum sit. Illud debemus Heinsio qui ex Arondel. Voss. Mazar. et uno Vatic. recepit, ideo etiam, quia *eripe*, sic interpositum, animum consternati, ac præsentissimam opem urgentis egregie prodat. Non male. Taubnerus vero tuetur vulg. quia et Remus avolavit, ejusque accursu præda recepta est. Quod argumentum mihi non admodum grave videtur. Satis erat a pastore consternato unum evocari. Pastor autem ille in *excelso*, ut in specula, collocatus erat. *Agere* pecora, proprie de prædonibus illa abigentibus. Inde formula *agere atque ferre*, ἄγειν καὶ φέρειν. *Partibus*, regionibus. *Accursu*, impetu.

375. *Fabius* et *Quinctilius* præfecti comitibus Remi et Romuli inde ipsi comites *Fabii* et *Quinctilii* dicti. Vide Perizon. Animadv. Hist. p. 201.

Risit; et indoluit Fabios potuisse Remumque
Vincere; Quinctilios non potuisse suos.
Fama manet facti: posito velamine currunt,
Et memorem famam, quod bene cessit, habet.
Forsitan et quæras, cur sit locus ille Lupercal;
Quæve diem tali nomine causa notet.
Ilia Vestalis cœlestia semina partu
Ediderat, patruo regna tenente suo.
Is jubet auferri pueros, et in amne necari.
Quid facis? ex istis Romulus alter erit.
Jussa recusantes peragunt lacrymosa ministri;
Flent tamen, et geminos in loca jussa ferunt.
Albula, quem Tibrin mersus Tiberinus in unda
Reddidit, hibernis forte tumebat aquis.

381. De origine voc. *Lupercal*. Hic usque ad ver. 422. narrat, quomodo Romulus cum fratre natus, expositus, servatus atque educatus sit: quæ repetuntur iii. 11—54. Secundum Dionys. i. 32. Evander, Pani Lycæo sacra in Italia facturus, locum reperit idoneum, quem καλοῦσι Ῥωμαῖον Λουπερκάλιον, ἡμεῖς δ' ἂν εἴποιμεν Λυκαῖον. Hæc duo enim eodem redeunt. Plutarchus, Quæst. Rom. pag. 131. Reisk. Λύκος μὲν ὁ λοῦπός ἐστί, καὶ Λύκαια τὰ Λουπερκάλια. Noster igitur temere ab hoc nomine occasionem capit, Romuli fratrisque nativitatem et reliquam sortem narrandi. Sequitur autem vulgarem traditionem, quam primus Diocles Peparethus ediderat, quamque inde Q. Fabius Pictor, Cincius, Porcius Cato et alii amplexi erant. Plutarch. Rom. 3; Dionys. i. 79. Pro *Ilia* vulgo *Silvia*, æque recte. Plutarch. d. l. Τύυτην οἱ μὲν Ἰλίαν, οἱ δὲ Ῥέαν, οἱ δὲ Σιλουΐαν ὀνομάζουσι. Sæpe *Rhea Silvia* conjunctim legitur. Sed Heinsius ex Voss. et sex aliis *Ilia* prætulit, quia poetæ eam sic appellare amant.

386. *Romuli* nomen hic cum emphasi positum, conditor ille maximi secundum Deorum opes imperii. *Recusantes* possunt tergiversantes, inviti intelligi. *Lacrymosa*, ut apud Horat. *lacrymosum bellum*.

389. Liv. i. 3: "Tiberinus, qui in trajectu Albulæ amnis submersus, celebre ad posteros nomen flumini dedit." Ex *hibernis aquis* Neap. conjicit, pueros illos hiemali tempore in lucem esse editos. Confer ad ver. 206. Verum *hibernas* aut *hiemales* aquas poetæ etiam memorant, quum copiosas et rapidas dicere volunt. Vide ad Metam. ix. 105. Dionys. ex Q. Fabio Pictore narrat, Tiberim ripas esse egressum ὑπὸ Χειμώνων συνεχῶν, a tempestatibus continuis; nam χειμὼν Græcis et tempestas est. Itaque et Varro, poetarum aut Græcorum sermone inductus, potuit scribere: "Ad ficum Ruminalem hi inventi, quo aqua hiberna Tiberis eos detulerat in alveolo expositos."

Hic, ubi nunc fora sunt, lintres errare videres;
Quaque jacent valles, maxime Circe, tuæ.
Huc ubi venerunt, nec jam procedere possunt
Longius, ex illis unus, an alter, ait:
At quam sunt similes! at quam formosus uterque!
Plus tamen ex illis iste vigoris habet.
Si genus arguitur vultu, ni fallit imago,
Nescio quem vobis suspicor esse Deum.
At si quis vestræ Deus esset originis auctor,
In tam præcipiti tempore ferret opem;
Ferret opem certe, si non ope mater egeret:
Quæ facta est uno mater et orba die.
Nata simul, peritura simul, simul ite sub undas
Corpora. Desierat; deposuitque sinu.
Vagierunt clamore pari: sentire putares.
Hi redeunt udis in sua tecta genis.
Sustinet impositos summa cavus alveus unda:
Heu! quantum fati parva tabella vehit!

391. Secundum Q. Fabium Pictorem apud Dionys. illi de Pallantii vertice descenderunt ad aquam proximam, collis radices alluentem. *Circo maximo* tribuit *valles;* in longitudinem enim patebat tria stadia cum dimidio, in latitudinem unum stadium. Illud spatium extensum desuper spectantibus *vallis* esse videbatur. *Jacere* de locis depressis dicitur; Met. ii. 179. Phaeton despicit ad æthere *terras penitus jacentes;* ib. viii. 750. sub silva *jacet herba.*

395. *At* nunc est vox admirantis. Plane sic Metam. x. 631. "At quam virgineus puerili vultus in ore!" *Iste* positum δεικτικῶς. *Arguitur* bono sensu, indicatur, proditur. Trist. IV. iii. 80. *Apparet virtus, arguiturque malis* rebus. Tres, *suspicer,* ut pendeat a voc. *nescio.* Fuisse autem in Romulo et Remo aliquid augusti, unde divina eorum origo agnosceretur, ex hymnis veterum Romanorum referebat Q. Fabius: vide Dionys. d. l.

400. *Præceps,* periculosum. *Vagierunt,* etc. Confer Heroid. xi. 85.

407. *Alveus,* quidquid in formam semicircularem excavatum est. Itaque *cavus* abesse quidem posset; sed poeta eo causam diserte exprimere voluit, cur aqua sustinuerit impositos. Strothio ad Liv. i. 4. parum verosimile videtur, pueros *in alveo* esse impositos aquæ, quum nudi in eam abjici potuissent. Ego vero in hoc non hæserim. Quidni pueros in alveo portarint? quidni eos sic, ut portarant, aquæ imposuerint? *Quantum fati,* quanti regni conditorem ex fato futurum. Liv. i. 4. "Debebatur fatis tantæ origo urbis." In verbis *quantum fati* et *parva*

Alveus in limo, silvis appulsus opacis,
  Paulatim, fluvio deficiente, sedet.
Arbor erat: remanent vestigia: quæque vocatur
  Rumina nunc ficus, Romula ficus erat.
Venit ad expositos, mirum, lupa fœta gemellos.
  Quis credat pueris non nocuisse feram?
Non nocuisse parum est: prodest quoque; quos lupa nutrit,
  Perdere cognatæ sustinuere manus.
Constitit, et cauda teneris blanditur alumnis,
  Et fingit lingua corpora bina sua.
Marte satos scires; timor abfuit, ubera ducunt;
  Nec sibi promissi lactis aluntur ope.

tabella præclara est oppositio, quemadmodum *vehit* bene convenit *τῷ sustinet*. *In limo sedet*. Liv. ii. 5. "in vadis frumenti acervos sedisse illitos limo."

411. Liv. i. 4. "in proxima alluvie, ubi nunc ficus Ruminalis est (Romularem vocatam ferunt.") Plutarch. Vit. Rom. 4. plures nominis causas adfert; maxime probat διὰ τὸν τῶν βρεφῶν θηλασμόν· ὅτι τήν τε θηλὴν ῥοῦμαν ὠνόμαζον οἱ παλαιοί. Conf. idem Quæst. Rom. tom. vii. pag. 125. Festus: "Mamma autem rumis dicitur, sive ruma." Itaque putem, *Ruminam* fuisse nomen antiquum, quia *ruma* non nisi antiquis usitatum. De *ficu* vid. Varro de Ling. Lat. iv. p. 16. In memoriam ejus alia sata est et culta in Comitio Romano, quæ aruit sub Nerone. Plinius, xv. 20. ibique Harduin. Tacit. An. xiii. 58.

413. *Fœta*, enixa. Dionys. νεοτόκους σπαργῶσα τοὺς μαστοὺς ὑπὸ γάλακτος. Pro *fingit* multi MSS. *lingit et lambit*, quæ et Int. quibusdam placuere. Taubner. ait, se præter κακοφωνίαν nullam causam videre, cur *lingit* improbetur. Immo et plebeium est verbum. *Fingere lingua* habet et Virgilius, Æn. viii. 631. de hac eadem re, "Geminos huic ubera circum Ludere pendentes pueros, et lambere matrem Impavidos: illam tereti cervice reflexam Mulcere alternos, et corpora fingere lingua." Ibi Servius explicat, tergere, et addit: "Sed tamen et formare aliquid, et ad integram faciem arte perducere, significat." Posteriore sensu Metam. xv. 380. de ursa, "Lambendo mater in artus fingit." Sed nunc priore sensu capiendum, tergere. Infra v. 409: *Ille manus ægras manibus fingebat amicis*. Plura exempla habet Heinsius ad Heroid. xx. 134. Lingua lambit pueros etiam apud Livium, et in monumentis antiquis. Fabius Pictor narraverat, eam cœnum, quo pueri repleti, lambendo abstersisse. Exempla ab Heinsio allata vide ad loc. cit. tom. i. p. 372 et 373.

419. *Marti* lupi sacri. Inde *Martii* et *Martiales* dicti; Æneid. ix. 566; Horat. I. Od. xvii. 9. Hinc fluxit et hoc, *Marte satos scires*, quod dictum, ut Metam. 162. *scires e sanguine natos*. *Ducere ubera* bona locutio, quod

Illa loco nomen fecit: locus ipse Lupercis.
Magna dati nutrix præmia lactis habet.
Quid vetat Arcadio dictos a monte Lupercos?
Faunus in Arcadia templa Lycæus habet.
Nupta, quid exspectas? non tu pollentibus herbis,
Nec prece, nec magico carmine mater eris.
Excipe fecundæ patienter verbera dextræ:
Jam socer optati nomen habebit avi.
Nam fuit illa dies, dura quum sorte maritæ
Reddebant uteri pignora rara sui.
Quid mihi, clamabat, prodest rapuisse Sabinas?
Romulus; hoc illo sceptra tenente fuit;
Si mea non vires, sed bellum injuria fecit:
Utilius fuerat non habuisse nurus.

Heins. docet. Alii minus bene, *sugunt*. Elegantius etiam est *promissi*, destinati a natura, quod Burm. ex Francof. Voss. et ex aliis recepit, quam vulgare, *promissa*. *Illa loco*, etc. Etiam Plutarch. Vit. Rom. 21. δύναται γὰρ ἀπὸ τῆς Λυκαίνης γεγονέναι γ' οὔνομα. Καὶ γὰρ ἀρχομένους τῆς περιδρομῆς τοὺς Λουπέρκους ὁρῶμεν ἐντεῦθεν, ὅπου τὸν Ῥωμύλον ἐκτεθῆναι λέγουσιν. Conf. ad ver. 279. *Magna præmia*, nempe quod a lupa loco nomen inditum.

423. Alia causa, eaque verior. Vid. ad ver. 381. Sensus: Quid vetat credere, Lupercos nomen a Lycæo, monte Arcadiæ, accepisse? *Lycæus*, si latine reddas, est Lupercus, *Lycæa* sunt Lupercalia. Virgil. Æn. viii. 343. "gelida monstrat sub rupe Lupercal, Parrhasio dictum Panos de more Lycæi." Confer Justin. XLIII. i. 7. Male Burmannus hic et alibi edidit *Lyceus*. Est græc. Λύκαιος. Sic et ὄρος Λύκαιον. Heinsius suadet pro *dictos* legere *ductos*, h. e. eos originem trahere ex Arcadia. At nunc sermo est de causa nominis. De *templis* illis vide ad versum 271.

425. Ritus cujusdam ab Evandro non inducti origo. Luperci nempe currentes, pellibus victimarum sectis cædebant mulieres obvias, quo facilius conciperent. Conf. Plutarch. Vit. Rom. 21. *Magæ* cum *herbis* conjungebant *carmina* atque *preces* ad Hecaten et Tellurem. Metam. vii. 194. Medea: "Tuque triceps Hecate, quæ—cantusque artesque magarum, Quæque magas, Tellus, pollentibus instruis herbis." Metam. iv. 49. Nais *cantu nimiumque potentibus herbis* juvenes mutat in pisces. Vide et not. ad x. 397. *Jam socer*, etc. jam concipies et paries. Conf. ver. 448.

429. Illo tempore tam maligna erat nuptarum natura, ut raro liberos enixerentur. Sabinarum raptus sæpe *injuriæ* nomine notatur. Liv. i. 13: "Sabinæ mulieres, quarum ex injuria bellum ortum." *Vires*, multitudinem civium. *Nurus* mulieres.

Monte sub Esquilio, multis incæduus annis,
Junonis magnæ nomine lucus erat.
Huc ubi venerunt, pariter nuptæque virique
Suppliciter posito procubuere genu:
Quum subito motæ tremuere cacumina silvæ,
Et Dea per lucos mira locuta suos:
Italidas matres, inquit, caper hirtus inito.
Obstupuit dubio territa turba sono.
Augur erat: nomen longis intercidit annis;
Nuper ab Etrusca venerat exsul humo.
Ille caprum mactat: jussæ sua terga maritæ
Pellibus exsectis percutienda dabant.
Luna resumebat decimo nova cornua motu;
Virque pater subito, nuptaque mater erat.
Gratia Lucinæ: dedit hæc tibi nomina lucus,
Aut quia principium tu, Dea, lucis habes.
Parce, precor, gravidis, facilis Lucina, puellis;
Maturumque utero molliter effer onus.

435. *Lucus Junonis* Lucinæ memoratur et a Varrone de L. L. d. l. *Incæduus;* sylvas sacras *cædere* nefas erat. Metam. iii. 28: "Sylva vetus stabat, nulla violata securi." A Plinio, V. Epist. vi. 7. *Nemora antiqua* et *sylvæ cæduæ* sibi oppon. *Tremore* tali Dii et indignationem, et favorem suum significabant. III. xlvii; Metam. ix. 782. ubi vid. not.

441. *Italidas.*] Sic II ex Ponto, iii. 84. *Italis ora. Caper* quum castratum hircum significet, a quo iniri mulieres non poterant, monitum Junonis ex hac lectione tanto majorem *obstupescendi* causam præbebat, tantoque magis *dubium sonum*, ambigua verba, reddebat. Et mox *caper* mactatur. *Intercidit* eleganter, non pervenit ad nostra tempora. *Etruria* sedes artis auguralis. Liv. i. 34: "Tanaquil perita, ut vulgo Etrusci, cœlestium prodigiorum mulier," et i. 56. "quum ad publica prodigia Etrusci tantum vates adhiberentur." Cf. Cic. Legg. ii. 9. *Exsectis*, in lora sectis. Supra ver. 31. *secta pelle.*

447. *Moveri* etiam pro accrescere dici, atque adeo *motu* bene se habere, quum alii *cursu* aut *mense* præferant, docet Gronov. Obs. III. i. p. 336. Alibi Nostro formula *implere* aut *replere orbem* in hac re solemnis; ver. 175; iii. 121. Vide ad Metam. ii. 455. De Junone *Lucina* cf. iii. 255. *Nomina lucus.* Sic et Plin. xvi. 85. Alteram etymologiam amplexus est Plutarch. Quæst. Roman. p. 139: Λουκίναν Ἥραν καλοῦσιν, οἷον φαεινήν, ἢ φωτίζουσαν. Totum autem figmentum inde explicat, quod sub plenilunium mulieres facillime prolem eniti crederentur. *Puellæ*, nuptæ.

Orta dies fuerit: tu desine credere ventis;
Perdidit illius temporis aura fidem.
Flamina non constant: et sex reserata diebus
Carceris Æolii janua laxa patet.
Jam levis obliqua subsidit Aquarius urna;
Proximus ætherios excipe, Piscis, equos.
Te memorant, fratremque tuum, nam juncta micatis
Signa, duos tergo sustinuisse Deos.
Terribilem quondam fugiens Typhona Dione,
Tunc quum pro cœlo Jupiter arma tulit,
Venit ad Euphratem comitata Cupidine parvo,
Inque Palæstinæ margine sedit aquæ.
Populus et cannæ riparum summa tenebant,
Spemque dabant salices, hos quoque posse tegi.

453. *Ventorum inconstantia* inde ab eodem die, quo Lupercalia. Plinius, H. N. xviii. 65: xiv. *Kal. Martii triduum varie*, scil. varia tempestas. Libri tres veteres *prodidit fidem*, quod Heinsio non minus elegans videbatur. Ego præfero alterum. *Prodere fidem* est, non servare fidem datam. Qui id sæpius facit, is *perdit fidem*, non amplius ei *creditur;* quæ notio h. l. optime convenit. *Carcer Æolius*, antrum in quo venti, Æolo imperante, inclusi, et in quod, tamquam in carcerem, a Jove damnati sunt. Ovidius, Metam. iv. 662: "Clauserat Hippotades æterno carcere ventos," ubi vide not.

457—474. *Aquarii occasus et Solis ingressus in Piscium signum, cujus signi origo narratur. Levis*, quia aquarius juvenis, i. 652. Urnam tenet *obliquam*, ut aqua inde effluere possit. Pisces duo *junguntur* nodo illo, qui σύνδεσμος τῶν ἰχθύων vocatur, et, quia totius sphæræ esse videbatur, ab Arato σύνδεσμος ὑπουράνιος, a Cic. *nodus cœlestis*. Hygin. P. A. iii. 29. De nominibus eorum vide iii. 402. Fabulam seq. Hygin. P. A. ii. 30. ex Diogeneta Erythræo similiter refert. Aliter narrat Schol. Germanic. p. 112.

461. De *Typhone* scil. *Typhœo* gigante vid. Metam. iii. 303; v. 321 sqq. ubi emissus ima de sede terræ cunctos Deos in fugam vertit, et, quum in Ægyptum usque eos persecutus esset, effecit, ut variarum animantium figuras sumerent, Venus pisce lateret. *Pro cœlo*. Gigantes enim affectabant cœleste regnum. *Euphrates* vocatur *Palæstina aqua*, quia Syriam alluit, cujus pars olim Palæstina. Hygin. d. l. "in Syriam ad flumen Euphratem venit." Ovidio Metam. iv. 46. *Palæstini* sunt Syri.

466. *Hos quoque.*] Hæc verba plures Intt. offenderunt; et parum placent. Heins. conj. *his quoque* vel *hic*, quia in uno Vatic. *hoc*, in quatuor aliis *se*. Burm. malit *his* vel *sic* i. e. Venerem inter salices, licet humiles essent, et summa tantum tenerent riparum, tamen posse latere. Idem

Dum latet, intonuit vento nemus: illa timore
Pallet, et hostiles credit adesse manus.
Utque sinu natum tenuit, Succurrite Nymphæ,
Et Dîs auxilium ferte duobus, ait.
Nec mora, prosiluit; Pisces subiere gemelli:
Pro quo nunc, cernis, sidera munus habent.
Inde nefas ducunt genus hoc imponere mensis,
Nec violant timidi piscibus ora Syri.
Proxima lux vacua est: at tertia dicta Quirino;
Qui tenet hoc nomen, Romulus ante fuit.
Sive quod hasta curis priscis est dicta Sabinis,
Bellicus a telo venit in astra Deus,
Sive suum regi nomen posuere Quirites,
Seu quia Romanis junxerat ille Cures.

conj. *os quoque*, non tantum inferioris corporis partes, sed et caput. *Tegi* autem monet dictum esse, ut Liv. xxi. 54: "Locus equiti quoque tegendo satis latebrosus."

468. Secundum Hygin. d. l. Typhon revera apparuit: quo facto, Venus cum filio in fluvium se projicit, ibique figuram piscium forma mutat. *Subiere*, tergo sustinuere atque vexere Deos. *Sidera*, ut sidera, inter sidera relati. Passim Ovid. aliique poetæ *cernis* et *vides*, scil. ut δεικτικῶς inserunt. *Genus hoc*, nempe animantium. *Syros* piscium esu abstinuisse plures tradunt. Vide Neap. Etiam Hygin. d. loco: "Itaque Syros, qui his locis sunt proximi, destitisse pisces esitare, quod vereantur eos capere, ne simili causa aut Deorum præsidia impugnare videantur, aut eos ipsos captare." Hinc vocantur *Timidi*, reverentes Deorum. *Violare*, quia talis esus nefarius.

475—512. *Quirinalia*, post Romuli excessum instituta, et xiii Kalend. Mart. sive die xvii. Febr. celebrata. *Vacua*, nempe sacris adeoque profesta. *Dicta*, consecrata. *Quirinus* dictus, ut Deus; *Romulus*, ut homo. Inde Cicero, Offic. iii. 10. "quod pace vel Quirini, vel Romuli dixerim." Apud Plutarchum, Vit. Rom. 28. in colloquio cum Julio Proculo ipse se *Quirinum* appellat. *Hasta curis*. Festus: "Curis Sabinis est hasta: unde Romulus Quirinus, qui eam ferebat, est dictus." Sic et Varro, Plutarch. et alii. Inde et Sabini Martem primo *Curinum*, deinde tractu temporis *Quirinum* appellarunt. *In astra*, in cœlum. *Telum*, hasta. Si venit ab hasta, hastatus dici meruit; iii. 186. Romulus *e stipula* in astra venisse dicitur. *Sive—Cures*. Livius, i. 13: "Ut Sabinis tamen aliquid daretur, Quirites a Curibus appellati." Ab initio scribebatur *Curites*. Male ergo est in nostris Regiis tribus *Quiris priscis*; litera enim *q* non utebantur Sabini. Lem.

Nam pater armipotens, postquam nova mœnia vidit,
  Multaque Romulea bella peracta manu,
Jupiter, inquit, habet Romana potentia vires;
  Sanguinis officio non eget illa mei:
Redde patri natum; quamvis intercidit alter,
  Pro se, proque Remo, qui mihi restat, erit.
Unus erit, quem tu tolles in cærula cœli;
  Tu mihi dixisti; sint rata dicta Jovis.
Jupiter annuerat: nutu tremefactus uterque
  Est polus, et cœli pondera sensit Atlas.
Est locus; antiqui Capream dixere paludem;
  Forte tuis illic, Romule, jura dabas.
Sol fugit; et removent subeuntia nubila cœlum:
  Et gravis effusis decidit imber aquis:

481. Romuli apotheosis, causa Quirinalium. Traditioni vulgari poeta de suo præmittit Martis preces pro filio in cœlum recipiendo. *Nam* connectit orationem cum ver. 475. et reliqua quasi per parenthesin sunt interposita. *Habet*, etc. Romana potentia satis corroborata est, neque adeo diutius filii mei officio indiget. *Sanguis*, filius, ut Metam. v. 513. Cereris *sanguis*, filia. *Redde patri natum*, recipe natum in cœlum. Sumtum hoc a liberis humanis, qui aliquamdiu abfuerunt a domo paterna. Morientes dicuntur *decidere*, et, si non perveniunt ad maturam ætatem, *intercidere*. *Pro se*, etc. instar duorum mihi erit. Ita apud Livium, *pro hoste, pro victis* esse. Vide Drak. ad iii. 17. *Cærula cœli*, cœlum cæruleum. Ennius: "Unus erit, quem tu tolles ad cærula cœli Templa." Inde accepit et Lucr. i. 1089; v. 770. *cærula cœli* et *mundi*. Cf. et Metam. xiv. 814. ubi eædem Martis preces ad Jovem pro Romulo in cœlum recipiendo.

489. Hæc ad notum illum Homeri locum Il. A. 529. sqq. adumbrata. Vide Metam. i. 179. *Cœli pondera sensit* propter concussionem cœli. Aliter, Metam. ix. 272. *sensit Atlas pondus*, Herculem cœlo additum.

491. *Est locus* in campo. Paludem et *Capræ* et *Capream* dixere. Itaque variant et auctores ipsi et librarii, ut h. l. Heinsius prætulit *Capream*, ut alibi legimus "viam Appiam, Carmentem portam, aquam Marciam:" at Plutarch. Romulo, 27. *περὶ τὸ καλούμενον αἰγὸς ἢ ζορκὸς ἕλος*. Ibi Romulus ad exercitum recensendum concionem habebat. Livius, i. 16; sed Ovidius generali illa formula usus est, *jura dare*, imperium exercere quocumque modo.

493. Liv. "Subito coorta tempestas cum magno fragore tonitribusque tam denso regem operuit nimbo." Fœdiorem etiam illam tempestatem Plutarchus describit. Tenebras tantum memorat Dionysius, i. 56. *Sol fugit* non de defectu solis capiendum, ut Scaliger et cum eo *Desaintange* putabant; sed *sidera fugere* dicuntur, quum nu-

Hinc tonat, hinc missis abrumpitur ignibus æther:
  Fit fuga; rex patriis astra petebat equis.
Luctus erat, falsæque patres in crimine cædis,
  Hæsissetque animis forsitan illa fides:
Sed Proculus longa veniebat Julius Alba;
  Lunaque fulgebat; nec facis usus erat:
Quum subito motu nubes crepuere sinistræ.
  Rettulit ille gradus, horrueruntque comæ.
Pulcher et humano major, trabeaque decorus
  Romulus in media visus adesse via,

bibus tecta obscurantur; Metam. iv. 487. *Abrumpi*, scindi, fulminibus cœlum passim dicitur. Præiverat Lucretius, ii. 214. "abruptis nubibus ignes concursant." Virgil. Æneid. iii. 199: "Ingeminant abruptis nubibus ignes." Vid. Drakenb. ad Silium, iii. 196.

496. A *fuga* multitudinis dies ille *populi fugium* dictus. ἡ τροπὴ τοῦ πλήθους. Dionys. i. 56. Livius ait, Romulum *sublimem raptum*; Dionys. ὑπὸ τοῦ πατρὸς Ἄρεως τὸν ἄνδρα ἀνηρπάσθαι. Hinc figmentum poeticum accessit, eum, ut Ariadne Bacchi lyncibus, sic Martis *equis* in cœlum assumtum. Etiam Horatius, III. Od. iii. 15: "Hac Quirinus Martis equis Acheronta fugit." Plenius illud iter cœleste, Metam. xiv. 816 sqq. describitur.

497. De *cæde* illa ejusque causis vide Dionys. i. 56. *Fides*, opinio, cui fides habetur. Illico Patres populo persuaserunt, Romulum ad Superos raptum; cui persuasioni postea consilio Proculi fides addita. *Julius Proculus* Romulo familiaris, unus ex iis, qui Alba cum eo commigraverant ad Romam condendam. Plutarch. d. l. Ei secundum Liv. Romulus apparebat *prima luce*. Sed Ovidius, sive aliam traditionem, sive suum commentum secutus, *lunam fulgentem* memorat. Scaliger, qui temere sumebat Romulum raptum esse deficiente sole, notat: oblitum sui esse Ovidium, qui in interlunio fulsisse lunam dicat. Ea nota motus Burmannus conjiciebat, vitium forte esse in illo *fulgebat*, et verbum forsan fuisse quo latuisse lunam Ovid. dixerit; in tenebris subito emicuisse fulgur, atque ita apparuisse Romulum. Sed hæc sine causa fingi elucet ex iis, quæ ad ver. 493. monuimus. De *facibus*, quibus noctu iter facientes uti solebant, vide ad Metam. i. 493. *Crepare* de tonitru. Æn. xii. 922. "nec fulmine tanti Dissultant crepitus." *Sinistra* auguria cur fausta fuerint, quærit Plutarchus, Quæst. Rom. p. 139. *Horruerunt comæ*. Liv. "perfusus horrore venerabundusque." Cf. iii. 331 sqq.

503. *Humano major*, forma augusta, quæ Diis tribui solebat. Livius, i. 7. "habitum formamque viri (*Herculis*) aliquantum ampliorem augustioremque humana intuens." Apud Plutarch. Romulus Proculo apparet καλὸς καὶ μέγας, ὡς οὔποτε πρόσθεν, ὅπλοις δὲ λαμπροῖς καὶ φλέγουσι κεκοσμημένος. Et arma satis decebant bellicosum Deum. Sed Ovidius *trabea* eum decoravit, de qua vide ad i. 37. *Nec violent*, etc. exquisitius et divinitati

Et dixisse simul: Prohibe lugere Quirites,
Nec violent lacrymis numina nostra suis.
Tura ferant, placentque novum pia turba Quirinum;
Et patrias artes militiamque colant.
Jussit: et in tenues oculis evanuit auras.
Convocat hic populos, jussaque verba refert.
Templa Deo fiunt, collis quoque dictus ab illo:
Et referunt certi sacra paterna dies.
Lux quoque cur eadem Stultorum festa vocetur,
Accipe; parva quidem causa, sed apta subest.
Non habuit tellus doctos antiqua colonos:
Lassabant agiles aspera bella viros.
Plus erat in gladio quam curvo laudis aratro:
Neglectus domino pauca ferebat ager.
Farra tamen veteres jaciebant, farra metebant:
Primitias Cereri farra resecta dabant.

Romuli convenientius quam, nec lacryment, defleant me. *Rem militarem colere* Romani jubentur etiam apud Liv. alterum *tura ferant*, etc. pertinet vel maxime ad consilium poetæ.

509. Livius: *hæc locutus, sublimis abiit.* Id Noster poetice exornavit. Etiam Metam. xiv. 432. "inque leves paulatim evanuit auras." *Populos* intelligunt Romanum et Sabinum. Sed possunt esse omnino cives. Vide ad Met. i. edd. primæ et MSS. quidam, *patres*; sed et apud Liv. *in concionem*, et apud Plutarch. εἰς ἀγορὰν prodit: atque civibus in primis hæc dici debebant. *Collis quoque*, etc. Sic quidam putabant. Contra disputat Festus, quo auctore id nomen monti hæsit, ex quo Sabini Curibus profecti eum occupabant. *Referunt*, repetunt, ut i. 618. *Relata sacra.* Erant ergo Quirinalia stata.

513—532. Quirinalia etiam *Stultorum feriæ* dicebantur; de quibus cf. Plutarch. Quæst. Rom. p. 150. Ejus nominis causam dum poeta affert, commode *Fornacalium* rationem inserit, quæ non stata erant, sed indictiva. Homines enim stulti, qui Fornacalibus deæ Fornaci sacra non fecerant, ea faciebant Quirinalibus. *Parva*, exigua, levis. *Docti*, periti rerum ad victum pertinentium. De ruditate primorum Romanorum, cf. iii. 101 sqq.

519. *Far*, quod adoreum veteres appellavere, ab antiquissimis Italiæ temporibus domesticum Italiæ fuit frumentum, et plura per sæcula unicum, quod coleretur, frugum genus, quum hordei et tritici usus esset nullus. Plinius, xviii. 19; Heynius, in Opusc. Acad. vol. i. p. 330 sqq. *Jacere*, serere. Etiam Virgil. *jactum semen.* Culturam farris tribus modus eloquitur, nec sine vi aut gratia τὸ *farra* ter repetit. *Primitias Cereri.* Cf. i. 672. et Bentl. ad Horatium, IV. v. 18.

Usibus admoniti flammis torrenda dedere,
  Multaque peccato damna tulere suo.
Nam modo verrebant nigras pro farre favillas;
  Nunc ipsas igni corripuere casas.
Facta Dea est Fornax: læti fornace coloni
  Orant, ut fruges temperet illa suas.
Curio legitimis nunc Fornacalia verbis
  Maximus indicit; nec stata sacra facit:
Inque foro, multa circum pendente tabella,
  Signatur certa curia quæque nota:
Stultaque pars populi, quæ sit sua curia, nescit;
  Sed facit extrema sacra relata die.
Est honor et tumulis: animas placate paternas;
  Parvaque in exstinctas munera ferte pyras.

Frequens rusticorum negotium erat "torrere igni fruges et frangere saxo;" Virgil. Georg. i. 267. Ustione illa fruges facilius domare folliculisque suis nudare, quin adeo iis jucundum saporem conciliare poterant. Heynius, p. 367. Auctor ejus rei fuit secundum Heminam Numa, qui et *Deam Fornacem* fecit, quam precabantur, ut in fornacibus farra recte torrerentur. Inde *Fornacalia*. Plinius, xviii. 2. Festus: "Fornacalia, feriæ institutæ sunt farris torrendi gratia, quod ad fornacem, quæ in pistrinis erat, sacrificium fieri solebat. Fornacalia sacra erant, quum far in fornaculis torrebant." *Multa damna tulere*, sæpe frugum jacturam fecere ex ignota torrendi ratione. *Nigras favillas*, quia farra diutius valido igni dederant. Si *igni* servas, per totum locum idem est subjectum, et *corripuere* dictum pro incenderunt, verbo ab ignibus ad incolas translato.

525. *Deam Fornacem*, virosque doctos celebrandis Fornacalibus operantes ridet Lactantius, Fals. Rel. i. 20. *Temperet fruges*, justam temperiem frugibus det in furno. Quidam *vires temperet*, non improbante Taubnero. *Legitima verba*, formula solemnis in aliqua re. Livius, ix. 9: "Verba legitima dedentium urbem."

529. *Multa tabella*, multis tabellis, in quibus scriptum, in qua curia quævis populi pars sacra faceret. Omnem enim populum Romulus in triginta curias distribuerat, quibus totidem *curiæ* scilicet ædiculæ assignatæ, ubi curiales convenirent, de rebus communibus agerent, et per curionem suum sacra facerent. Triginta illis *Curionibus* præerat *Curio Maximus*. Sigonius, Ant. Jur. Civ. Rom. II. iii. p. 52. *Sed facit*, etc. Quod reliqui cives die Fornaci consecrato fecerant, id stulti, suam curiam nescientes, Quirinalibus adimplebant. *Relata*, dilata in diem extremum.

533—570. *Feralia.*] Mos antiquus et plurimis gentibus cultus, mortuis justa publice persolvere. In Italiam translatus est ab Ænea; vid. inf. 543. Numa Pompilius ea quoque sacra

Parva petunt Manes: pietas pro divite grata est
  Munere: non avidos Styx habet ima Deos.
Tegula projectis satis est velata coronis;
  Et sparsæ fruges; parcaque mica salis;
Inque mero mollita Ceres, violæque solutæ:
  Hæc habeat media testa relicta via.
Nec majora veto: sed et his placabilis umbra est:
  Adde preces positis et sua verba focis.
Hunc morem Æneas, pietatis idoneus auctor,
  Attulit in terras, juste Latine, tuas.
Ille patris Genio solemnia dona ferebat:
  Hinc populi ritus edidicere pios.

Pontifici subjecit; Liv. i. 20. Relata sunt in Februarium, ultimum olim mensem. De die et tempore durationis vid. ad versum 569. De nomine Festus: " Feralia Diis Manibus sacrata festa, a ferendis epulis, vel a feriendis pecudibus." Varro, de Ling. Latina: " Feralia ab inferis et ferendo, quod ferunt tunc epulas ad sepulcrum, quibus jus ibi parentare." Cf. v. 419 sqq. ubi *Lemuria* describuntur.

Honor tumulis erat publice privatimque; publice his ipsis Feralibus, privatim Novemdialibus et Denicalibus. *Exstinctas.* Intell. tumuli, sepulcra. *Pyra* enim, ut *bustum*, locus ubi mortuus et combustus et sepultus est. *Avidos*, magnorum munerum cupidos.

537. Memorat parva munera, de quibus i. 337 sqq. *Tegula* in tectis sepulcrorum. De hoc *coronarum* usu vide Kirchman. de Funerib. p. 560. ubi et de floribus *solutis*, vagis, non in coronam coactis. Coronis non opus erat novis et arte factis; huic pietati sufficiebant eæ, quæ, conviviis exactis, a convivis domum abeuntibus *projectæ* erant in viis. Heroid. xxi. 165; Amor. I. vi. 67. *Tegulam* autem Lenzius mavult tegumentum foci aut aræ intelligere, etiam mox *testam* eodem sensu capere, *projectas* denique interpretari in aram conjectas. *Velare* verbum sacrum de coronis et vittis. De *mica salis* vide ad i. 338. *Hæc habeat*, etc. hæc apponantur vel in vili testa vasis fracti et in publicum projecti.

541. Sæpe impensissimo officio parentabant. Vide Kirchm. d. l. *Sua verba*, illis sacris propria, e nota vi hujus pronominis.

543. *Pius Æneas;* accommodate h. l. *pietatis idoneus auctor:* vir tantus, pietate sua inclytus, merito piorum rituum auctor exstitit. Patri, quem apud Drepanum sepeliverat, sequenti anno in Sicilia sacrum fecit anniversarium, quod Æneid. v. 94 sqq. describitur. Ibi incertus est, " Geniumne loci, famulumne parentis Esse putet." *Justus* epitheton frequens regum et aliorum apud Nostrum. *Populi*, Latini.

At quondam, dum longa gerunt pugnacibus armis
  Bella, parentales deseruere dies.
Non impune fuit: nam dicitur omine ab isto
  Roma suburbanis incaluisse rogis.
Vix equidem credo: bustis exisse feruntur,
  Et tacitæ questi tempore noctis avi:
Perque vias urbis, Latiosque ululasse per agros
  Deformes animas, vulgus inane, ferunt.
Post ea præteriti tumulis redduntur honores;
  Prodigiisque venit funeribusque modus.
Dum tamen hæc fiunt, viduæ cessate puellæ:
  Exspectet puros pinea tæda dies.
Nec tibi, quæ cupidæ matura videbere matri,
  Comat virgineas hasta recurva comas.

548. *Parentales*, quibus parentalia celebrantur. *Desercre*, non celebrare. Ille neglectus fuit mali *ominis*. *Roma*, etc. multitudinem morientium indicat, propter quam in suburbanis locis tot rogi erant comburendi, ut inde ipsa Roma incalesceret. Parentalibus reductis, *modus venit funeribus*. *Deformes*, etc. defunctorum umbræ, luctu deformes. Post Julii Cæsaris necem "simulacra modis pallentia miris Visa sub obscurum noctis:" Virg. Georg. i. 477. Lenzius contra *deformes* intellig. non certam formam habentes, inanes. *Præteriti*, neglecti. *Venit* iis *modus*, cessant prodigia, et ipsa rariora fiunt funera.

557. Feralibus non fas est nubere. Etiam alii dies nuptiis copulandis religiosi sive devitandi habebantur, iii. 393. *Vidnas puellas* Marsus intelligit puellas nuper nuptas, quæ cessare a concubitu, secubare a viro jubeantur. Immo, de solis nuptiis nunc sermo est. Quum aliæ feriæ magis *vidnis*, quam *virginibus* idoneæ esse crederentur ad nubendum, (Plutarch. Quæst. Rom. p. 161; Macrob. Sat. i. 15.) Feralibus Ovid. et has et illas abstinere jubet a nuptiis. Quamquam *viduæ puellæ* etiam dici possunt innuptæ; Propert. II. xxiv. 17. "quid prodest viduas dormire puellas?" Pro *pinea* nonnulli *spinea* malunt; sane fax e spina alba, quæ plurimum in avertendis malis valere credebatur, præferri in nuptiis solebat. Vid. Plin. xvi. 30. ubi, "spina, nuptiarum facibus auspicatissima." Sed et *pinea* tæda in usu. *Puri dies*, quibus non aguntur res sepulcrales, aut tristes.

559. *Cupida*, cupiens accelerari filiæ nuptias. *Hasta recurva*. Arnob. adv. Gentes, ii. p. 91. "Nubentium crinem cælibari hasta mulcetis." Plutarchus, Quæst. Rom. p. 148. quærit, cur *τῶν γαμουμένων αἰχμῇ δορατίου τὴν κόμην διακρίνουσιν*, cur nubentium comam parvæ hastæ cuspide discriminent; ejusque rei causas plures affert. *Fucum* usus etiam tam in funeribus, quam in parentalibus. Vide Kirchm. de Fun. ii. 3. Tempore

Conde tuas, Hymenæe, faces; et ab ignibus atris
Aufer: habent alias mæsta sepulcra faces.
Dî quoque templorum foribus celentur opertis;
Ture vacent aræ; stentque sine igne foci.
Nunc animæ tenues, et corpora functa sepulcris
Errant; nunc posito pascitur umbra cibo.
Nec tamen hæc ultra, quam tot de mense supersint
Luciferi, quot habent carmina nostra pedes.
Hanc, quia justa ferunt, dixere Feralia lucem:
Ultima placandis Manibus illa dies.
Ecce anus in mediis residens annosa puellis,
Sacra facit Tacitæ: vix tamen ipsa tacet;
Et digitis tria tura tribus sub limine ponit,
Qua brevis occultum mus sibi fecit iter.
Tum cantata ligat cum fusco licia rhombo;
Et septem nigras versat in ore fabas:

funesto etiam statuæ Deorum in viis panno velabantur, *templorumque fores* claudebantur, ne Dii adspectu tristi polluerentur. *Cibus*, epulæ Manibus appositæ.

567. Locus varie tortus et explicatus. *Nec tamen hæc ultra*, non diutius hæc sacra durent, *quam tot*, etc. quam donec tot dies supersint. Vulgo, *quum tot—supersunt*, quo die tot dies supersunt. *Feralia*, scil. ultimam placandis Manibus diem, collocat Kalend. vet. in xii. Kalend. Mart. s. xviii. Febr. Quem diem si more Romano simul numeras, supersunt undecim mensis dies; et totidem *pedes* habent et hæc *carmina* Ovidii. Itaque et antecedentium dierum quidam placandis Manibus dicati fuerint necesse est. Sex pedes carminis intelligi nunc non possunt, ut Feralia viii. Kalend. Mart. finita sint, propter ver. 686 et Kalend. vet. *Justa*, quæ debentur alicui, nominatim mortuis, quibus *justa* vel *fieri*, vel *solvi* dicuntur.

571—616. Cum Feralibus conjuncta sacra *Tacitæ* magica. Ea præerat compescendis detrahentium linguis. Numa unam ex Camœnis peculiariter et religiosissime coli voluit, quam *Tacitam* nominavit. Plutarch. Num. 8. qui addit, eo silentium Pythagoreum esse expressum et honoratum. Sed hæc nostra garrula ab illa diversa est. Ovidius primum ejus sacra vers. 572—582. tum ipsam describit; conf. quos laudamus ad ver. 599. *Brevis*, parvus, exiguus.

575. *Rhombus* in rebus magicis trochus erat, seu turbo, qui rotabatur *liciis*, scil. filis nunc versicoloribus (Virg. Ecl. viii. 73.) nunc pullis nexus. Amorum, I. viii. 7. de maga: "Scit bene, quid gramen, quid torto concita rhombo Licia." Sed et vulg. *plumbo* locum habet, quia et plumbi nigri

Quodque pice adstrinxit, quod acu trajecit ahena,
Obsutum mænæ torret in igne caput.
Vina quoque instillat: vini quodcumque relictum
Aut ipsa, aut comites, plus tamen ipsa, bibit. [est,
Hostiles linguas, inimicaque vinximus ora,
Dicit discedens; ebriaque exit anus.
Forsitan a nobis, quæ sit Dea Muta, requiras:
Disce, per antiquos quæ mihi nota senes.
Jupiter, indomito Juturnæ captus amore,
Multa tulit, tanto non patienda Deo.
Illa modo in silvis inter coryleta latebat,
Nunc in cognatas desiliebat aquas. [nebas;
Convocat hic Nymphas, Latium, quotcumque te-
Et jacit in medio talia verba choro:
Invidet ipsa sibi, vitatque, quod expedit illi,
Vestra soror summo jungere membra Deo.
Consulite ambobus: nam quæ mea magna volup-
Utilitas vestræ magna sororis erit. [tas,

usus in magicis fuerit. *Cantata*, incantata. *Septenarius* numerus, ut ternarius, etiam in magicis solemnis. De *fabis* conf. infra v. 436.

578. *Mæna*, *μαίνη*, *μαινίς*, pisciculus marinus, qui sale conditus cibus erat tenuiorum hominum. Cic. Fin. ii. 8; Persius, iii. 76. Usus ejus etiam in sacris inferis, ut Hecatæ; Eustath. in Hom. i. 206. Neque mirum, mutum animal Tacitæ Deæ fuisse sacrum. *Aheneis* instrumentis utebantur in re magica. Vide ad Metam. vii. 227. ubi *falx ahena*; et de *acu* confer Amorum III. vii. 30; saga "medium tenues in jecur egit acus." *Vincire* de magis, quæ arte sua quemquam functione sua prohibent.

583. Deæ *Mutæ* aut *Tacitæ* originem e fabulis antiquis narrat. *Forsitan requiras* formula in tali transitu solemnis. *Antiqui*, natu grandes. Plinius, paneg. xv. 5. *vetustus miles*. De *Juturna* vide ad i. 463. 708. unde et apparet, quo jure hic *cognatæ aquæ* commemorentur.

589. *Latium*, Tiberis et Anien. ver. 597 sqq. *Jacit*. Heins. in *facit* mutari vult; sed sine causa. *Jacere verba* bona locutio, nec prosaicis magis, quam poetis usitata. Livius, vii. 2. *versum jacere*, facere. Inde et *jacere* simpliciter pro dicere; vi. 14. *vera an falsa jaceret*. *Invidet ipsa sibi*, fraudat se ipsa magna voluptate. *Jungere membra*, ut Metam. x. 464. *jungere corpora*, pro *concubuisse*, quod h. l. olim vulgabatur, et quod Taubnero magis placebat, ut castis auribus animisque accommodatius. Immo, *jungere membra* verecundius dictum.

Vos illi in prima fugienti obsistite ripa,
Ne sua fluminea corpora mergat aqua.
Dixerat: annuerunt Nymphæ Tiberinides omnes;
Quæque colunt thalamos, Ilia diva, tuos.
Forte fuit Nais, Lara nomine: prima sed illi
Dicta bis antiquum syllaba nomen erat,
Ex vitio positum: sæpe illi dixerat Almo,
Nata, tene linguam: nec tamen illa tenet.
Quæ simul ac tetigit Juturnæ stagna sororis,
Effuge, ait, ripas; dicta refertque Jovis.
Illa etiam Junonem adiit; miserataque nuptam,
Naida Juturnam vir tuus, inquit, amat.
Jupiter intumuit: quaque est non usa modeste,
Eripuit linguam; Mercuriumque vocat.
Duc, ait, ad Manes: locus ille silentibus aptus:
Nympha, sed infernæ Nympha paludis, erit.
Jussa Jovis fiunt: accepit lucus euntes:
Dicitur illa duci tum placuisse Deo.

595. *In prima ripa*, simul ac tetigerit ripam. *Iliam*, Romuli matrem, etiam Amor. III. vi. 45. facit Anienis uxorem; sed alii Tiberi jungunt, ut Horat. I. Od. ii. 17; Claudian. i. 225. Nempe Amulii eam jussu alii Aniene, alii Tiberi mersam tradebant. *Thalamos tuos.* Antrum, ex quo fons prodibat, habere fingebatur *thalamos* sive cubicula Deorum. Vide Virg. Georg. iv. 333. Male Krebsius ripam Tiberis intel. in qua Ilia dormiens conceperit gemellos ex Marte iii. 13.

599. Lactant. de Falsa Relig. I. xx. 35: "Hanc (Deam Mutam) esse dicunt, ex qua sint nati Lares, et ipsam Laram nominant, vel Larundam." Sic et Varro vocat. *Dicta bis.* Non *Lalara*, ut Neapol. putabat, illa olim dicta, sed *Lala*, locutuleia, quæ tacere nunquam vult, loquendi vices nunquam aliis tradere. Vide Casaub. ad Theophr. Char. 3 init. Plato, λαλιά, ἀκρασία λόγου ἄλογος. Jam litera *l* a Græcis in pluribus vocabulis mutata est in *r*. Ex ποδαλγία fecerunt ποδαργία, ex ἀμέλγω, ἀμέργω, etc. Vide Schol. Aristoph. ad Plut. 1. A Macrob. Sat. i. 7. extr. præeunte Varrone, eadem *Mania* vocatur, quia Manium mater credebatur; Arnob. adv. Gentes, iii. p. 124. *Ex vitio*, a loquacitate.

602. *Tene*, retine, coerce. *Effuge*, vita, cave, ne accedas ad ripas. *Nuptam.* Vulgo *nuptas;* Strozzæ liber, *maritas*, ut sit sententia generalis, quæ tamen h. l. non satis commoda. Nais unius Junonis misericordia se tangi declarat, quod nupta sit.

607. *Modeste*, modice, moderate.

611. *Accipit* nos locus, quem ingredimur; *mittit* nos, per quem transimus. Virg. Georg. iv. 362: "Ac-

Vim parat hic : vultu pro verbis illa precatur ;
Et frustra muto nititur ore loqui : [vant,
Fitque gravis, geminosque parit, qui compita ser-
Et vigilant nostra semper in æde, Lares.
Proxima cognati dixere Caristia cari,
Et venit ad socias turba propinqua dapes.
Scilicet a tumulis, et, qui periere, propinquis,
Protinus ad vivos ora referre juvat ;
Postque tot amissos, quidquid de sanguine restat,
Adspicere, et generis dinumerare gradus.
Innocui veniant : procul hinc, procul impius esto
Frater, et in partus mater acerba suos ;

cepitque sinu vasto, misitque sub amnem." *Lares* erant et publici et privati. Hi, *θεοὶ κατοικίδιοι*, ut in glossariis vocantur, tecta custodiebant, illi vicos et itinera, unde *compitales* et *viales* dicti, cultique in *compitis*. Confer v. 139. Et *compita Larium* Romæ erant 265. auctore Plin. Hist. Nat. III. ix. p. 156. Hard. Compitalia et ludos Laribus primus instituit Servius Tullius ; Dionys. Hal. iv. 14 ; Plin. xxxvi. 70 : restituitque Tarquinius Superbus ; Macrob. i. Sat. 7. *Vigilare*, ut *custodire*, de Diis tutelaribus. *In æde*, id est in domo, quo sensu hic singularis Augusti ætate frequentabatur ; Horat. I. Od. xxx. 4. Vide Vitruv. v. 1. Sic ergo noster locus vim omnium Larium, et publicam et privatam, complectitur. v. 135. de iisdem, *præsunt mœnibus Urbis* et paulo post, *servant domum*. Restant statuæ Laribus *pro salute et incolumitate domus* positæ.

617—638. Die xi. Kal. Mart. sive die xix. Febr. erant *Caristia*, quæ breviter et perspicue describuntur a Valer. Max. ii. 1 : " Convivium etiam solemne majores instituerunt, idque Caristia appellaverunt, cui præter cognatos et affines nemo interponebatur : ut, si qua inter necessarios querela esset orta, apud sacra mensæ et inter hilaritatem animorum, fautoribus concordiæ adhibitis, tolleretur." Ovidius primum causam reddit, eamque satis probabilem, cur post Feralia statim Caristia sint celebrata, et epitheto *cari* originem nominis indicat. *Socias dapes* illustrat Heins. Sic *sociare hospitia, mensas*, etc. *Sanguis*, gens. *Dinumerare*, numerare.

623 sqq. Quo animo celebrari debeant. Bene utitur poeta formula, qua profani summoveri a sacris voce sacerdotis aut præconis solebant. *Impius* et *acerbus*, qui de morte aut cæde suorum cogitat. *Vivax*, qui alteri nimis diu vitam protrahere videtur. *Digerere*, ordinare, disponere. Sed nunc exprimit operam eorum, qui per numeros Babylonios sive rationes Chaldaicas ex horoscopo annum reperire volunt, quo moritura sit mater : quod studium tunc vulgare. Tacit. Hist. i. 22 ; Ovid. Metam. i. 143 : " Filius ante diem patrios inquirit in annos." *Premere* de omni vexationis genere dicitur.

Cui pater est vivax, qui matris digerit annos,
  Quæ premit invisam socrus iniqua nurum.
Tantalidæ fratres absint, et Iasonis uxor,
  Et quæ ruricolis semina tosta dedit:
Et soror, et Procne, Tereusque duabus iniquus;
  Et quicumque suas per scelus auget opes.
Dîs generis date tura bonis: Concordia fertur
  Illo præcipue mitis adesse die.
Et libate dapes: ut grati pignus honoris
  Nutriat incinctos missa patella Lares.
Jamque ubi suadebit placidos nox ultima somnos,
  Parca precaturæ sumite vina manus,

627. Docte catalogum impiorum cognatorum, quos antiquitas habet, struit. *Tantalidæ fratres*, Atreus et Thyestes, Pelopis filii, Tantali nepotes. De Medeæ in liberos impietate vide Metam. vii. 396. ibique not. *Ino*, Athamantis uxor, odio in Phrixum et Hellen, Athamanti ex Nebula natos, impulsa, ruricolis fruges tostas in sementem dedit, ne surgerent, et ut, quum penuria frugum esset, civitas tota interiret; Hygin. fab. 2. Latius hoc infra iii. 851 sqq. narratur. *Iniquus*, duriore sensu, crudelis. De illa crudelitate vide Met. vi. 412—676.

631. *Di boni*, ἀγαθοὶ δαίμονες, dicti sunt Genii et omnino Dii familiares aut domestici. Nunc ipsi Lares intel. quibus pro salute generis supplicabatur. Nonnulli *boni*, ut ad sacrificantes referatur. Hoc Mitscherl. recepit. Veteres etiam in conviviis ante, quam ipsi inciperent cibum potionemque capere, partem cœnæ Diis consecrabant. Hoc est *libare*, quod Græci pluribus verbis exprimebant; nam de liquoribus adhibebant σπένδειν et λείβειν, de cibis ἀπάρχεσθαι. Cibi reponebantur in *patella*, lance Diis propria. Cic. Fin. ii. 7: "ita non religiosi, ut edant de patella." Idem, iv. ver. 22. patellam *vocat* insigne penatium hospitaliumque Deorum." Illam cœnæ partem vocat *dapes*, quo nomine, Festo auctore, proprie religiosæ epulæ significantur. Etiam Liv. xxx. 43: "Inter pocula atque epulas, ubi libare Diis dapes, ubi bene precari mos esset." Dapes in patella positæ *mittebantur* ad focum, ut *nutrirent* (vide supra ver. 566.) Lares, qui ibi, ut etiam ex monumentis apparet, stabant *incincti*, id est, succincti. Infra v. 217. *pictis incinctæ vestibus Horæ*. *Honores*, τιμαὶ, dicuntur etiam libationes et preces. Æneid. i. 736. "laticum libavit honorem."

635. *Nox ultima*, ultima noctis pars, attingens primam lucem. Eo usque sæpe protrahebantur convivia, tam solemnia, quam familiaria; inprimis hæc Caristia, gentibus tam salutaria, sic extendi vult Ovidius. Satiatis edendo convivis, *vinum* apponebatur. Tum *libatio* facta domestica, *parco* vino in mensam aut terram effuso, et appellato numinum nomine, additis precibus, votis, etiam hymnis. Augusto libationes et publicæ et privatæ decretæ sunt. Dio, LI. xix. pag. 457.

Et, Bene nos, patriæ, bene te, pater, optime Cæsar,
  Dicite, suffuso per sacra verba mero.
Nox ubi transierit, solito celebretur honore,
  Separat indicio qui Deus arva suo.
Termine, sive lapis, sive es defossus in agro
  Stipes ab antiquis, sic quoque numen habes.
Te duo diversa domini pro parte coronant;
  Binaque serta tibi, binaque liba ferunt.
Ara fit: huc ignem curto fert rustica testu
  Sumtum de tepidis ipsa colona focis.
Ligna senex minuit, concisaque construit alte;
  Et solida ramos figere pugnat humo.

Formulæ in hac re solemnes, *Bene nos, bene vos, bene illum*, scilicet valere precor. Tibullus, II. i. 31: "Bene Messalam, sua quisque ad pocula dicat." Quamquam et dativ. addebatur; Plaut. Pers. v. 1: "Bene mihi bene vobis, bene amicæ meæ." Burm. dubitat, utrum h. l. *nos*, an quod alii habent, *vos* præferendum sit. Tum *nos* intelligit de voto pro salute populi. Equidem intelligo votum pro salute convivantis familiæ. Heins. qui *vos* præfert, id refert, ad salutem Larium. *Patriæ* cum *pater* junge.

639—684. *Terminalia* Kalend. vii. Mart. Numa lapides poni jusserat in agrorum finibus, qui sacri essent Jovi Terminali, et sacra addiderat, quæ quotannis die stato ad illos lapides fierent; quin, publicos etiam agros terminis complexus erat; Dionys. ii. cap. 74. Confer Plutarch. Num. cap. 16. et Quæst. Rom. tom. vii. p. 83; Lactant. de Fals. Rel. I. xx. 37 sqq. Noster Deum ipsum, et latius ejus sacra describit, hymnum adjicit, constantiam ejus in resistendo celebrat, precesque ad eum fundit. Desinit in Terminum imperii Romani.

641. *Sive lapis*, etc.] Lactant. "lapidem colunt informem atque rudem, cui nomen est Terminus—qui Deus non tantum lapis, sed etiam stipes interdum est." Confer Tibul. I. i. 11. Hos ipsos Terminos Deos esse credebant; Dionys. *θεοὺς ἡγοῦνται τοὺς τέρμονας*. Hinc additur *sic quoque*, etc. vilitas materiæ non impedit, quo minus numen habeas.

643. Sacra Termini diligenter et jucunde descripta. *Duo domini*, agrorum utrimque possessores, te coronant, uterque in parte agro suo obversa. In trifinio tres domini hunc honorem habebant Deo. *Libis* cultum esse Terminum etiam e Juvenal. Satir. xvi. 39. apparet. *Bina* Lenzius dictum putat pro, duo. In *testa* ferri solebant ignes aut carbones. Auct. ad Heren. iv. 6. "ipse a vicinis quum testa ambulans carbunculos corrogaret." Tum *curtum* frequens esse vasorum epitheton, exemplis docet Heinsius. Pro *testa* veteribus etiam *testu* in usu fuisse certum est. Vid. h. l. antiquiores Intt. *Tepidis*, scilicet ex igne hesterno.

647. Cf. cum sqq. infra v. 506; et Metam. viii. 641 sqq. Præiverat Virgil. Æn. i. 174. *Minuit*, confringit,

Dum sicco primas irritat cortice flammas,
  Stat puer, et manibus lata canistra tenet.
Inde, ubi ter fruges medios immisit in ignes,
  Porrigit incisos filia parva favos.
Vina tenent alii: libantur singula flammis;
  Spectant, et linguis candida turba favent.
Spargitur et cæsa communis Terminus agna;
  Nec queritur, lactens quum sibi porca datur.
Conveniunt, celebrantque dapes vicinia simplex;
  Et cantant laudes, Termine sancte, tuas.
Tu populos, urbesque, et regna ingentia finis:
  Omnis erit sine te litigiosus ager.
Nulla tibi ambitio est: nullo corrumperis auro:
  Legitima servas credita rura fide.

ut breviora sint. Heins. *ramos* intelligebat stipitem scilicet palum, qui pro termino esset. Immo stipes aut lapis jam adstabat; et nunc sacra describuntur, quæ ibi fiebant. *Rami*, ut jam Marsus vidit, sunt pali, quibus fixis congeries lignorum firmatur, ne dilabatur. Nisum senis *figentis* bene exprimit *pugnat*, cui sic infinit. additur, ut Metam. i. 685. *pugnat evincere*, ubi vide not. *Pugna* autem tali opus nunc erat, quia *solida* terra, non mollita fodiendo.

649. *Irritat flammas*, eas suscitat. Met. viii. 642. " foliisque et cortice sicco Nutrit et ad flammas anima producit anili." Ut hic *lata*, sic Metam. dicto loco, *patula* canistra. Præter πελάνους Δήμητρος, liba Cerealia, offerebant Termino καὶ ἄλλας τινὰς καρπῶν ἀπαρχάς. *Filia parva favos.* Hæc forte expressa e Tibul. I. x. 23. Fuere, qui *porrigit* in *porricit* mutari vellent, quia *porrici* dicuntur, quæ aræ imposita dantur Deo; sed Heinsius monet, filiam patri porrexisse favos, ne paternas partes perperam occuparet. *Candida* veste paterfamilias cum suis inter sacra indutus; Tibul. II. i. 16. Cf. infra iv. 906.

655. Numa putaverat, Deum Terminalem, quum pacis custos esset et justitiæ præses, cæde purum esse debere: hinc noluerat ei animantia mactari. Itaque sacra ejus diu erant ἀναίμακτα; Plutarchus, Dionys. Sed post accessit agnæ et porcæ immolatio. Inde et Horat. Epod. ii. 53. " agna festis cæsa Terminalibus." *Conveniunt* ex Numæ instituto, qui jussit θυσίας ἐπιτελεῖν ἅπαντας ἐπὶ τὸν τόπον συνερχομένους. De *dapibus* vide ad versum 362.

659. Tales hymnos Noster et alibi inseruit, ut Met. iv. 11. in Bacchum; et Metam. vii. 434. in Thesei laudem. *Finis*, finibus includis, fines regnorum signas. *Ambitio*, studium gratiæ colligendæ. *Legitimum*, legibus consentaneum, legibus constitutum.

Si tu signasses olim Thyreatida terram,
  Corpora non leto missa trecenta forent;
Nec foret Othryades congestis lectus in armis.
  O quantum patriæ sanguinis ille dedit!
Quid, nova quum fierent Capitolia? nempe Deorum
  Cuncta Jovi cessit turba, locumque dedit.
Terminus, ut veteres memorant, conventus in æde
  Restitit; et magno cum Jove templa tenet.
Nunc quoque, se supra ne quid nisi sidera cernat,
  Exiguum templi tecta foramen habent.
Termine, post illud levitas tibi libera non est:
  Qua positus fueris in statione, mane.

663. Docte rem exemplo antiquo illustrat. *Thyreaticus* ager inter Argivum et Laconicum ad mare pertinens. Thucydid. ii. 27. Vicus aliis *Thyrea*, aliis *Thyræa* scribitur. Vide Intt. ad Thucydid. iv. 56. Incolæ *Thyreatæ*, monente Stephano de Urb. a quo et femin. *Thyreatis* memoratur. Thucydides modo *Thyreatida* terram vocat, modo Cynuriam, quia Thyrea pars Cynuriæ. Contentione de hujus agri finibus aliquando inter Argivos et Lacedæmonios orta, ex utroque populo *treceni* juvenes lecti sunt, qui armis de ea re decernerent. Ex eo prælio duo Argivi superstites fuere, Alcenor et Chromius, atque unus Lacedæmonius, *Othryades*. Illi Argos avolarunt, victoriam nuntiaturi; hic mansit, spoliavitque occisos. Hinc, quum victoria ambigua esset, novum prælium commissum est, in quo vicerunt Lacedæmonii. *Othryades* antequam animam exhalaret, tropæo clypei hostilis inscripsit, digitis cruore oblitis: Κατὰ Ἀργείων Ὀθρυάδης καὶ Λακεδαιμόνιοι. Herodot. i. 82; Thuc. v. 41; Pausanias Corinth. p. 201. *Signare* similiter fere Metam. i. 136. "Cautus humum longo signavit limite mensor."

667. L. Tarquinius Priscus, ut vota solveret, quæ in postremo cum Sabinis prælio nuncupaverat, templum Jovi, Junoni et Minervæ exstruere voluit, idque in monte Tarpeio, multis Deorum aris et sacellis occupato. Ut libera a cæteris religionibus area esset, exauguranda fana erant. Sed quum omnium exaugurationes admitterent aves, in *Termini* et Juventutis fanis non addixerunt. Hi soli nullis augurum precibus flecti potuerunt, ut loco cederent. Itaque eorum aræ templi ambitu comprehensæ sunt; ut altera sita esset in Minervæ vestibulo, altera in ipso templo. Vide Dionysium, iii. 69; Liv. i. 55; Lactantium, de Fals. Rel. I. xx. 38. *Conventus*, quum ad eum convenissent augures. De lapide ejus in Jovis Capitolini templo, Servius ad Æn. ix. 448: "Unde in Capitolio superna pars tecti patet, quæ lapidem ipsum Termini spectat: nam Termino non nisi sub divo sacrificabatur." Confer Lactantium, I. xx. 40.

673. *Post illud*, post illam constan-

Nec tu vicino quidquam concede roganti;
Ne videare hominem præposuisse Jovi.
Et, seu vomeribus, seu tu pulsabere rastris,
Clamato: Meus est hic ager, ille tuus.
Est via, quæ populum Laurentes ducit in agros,
Quondam Dardanio regna petita duci.
Illac lanigeri pecoris tibi, Termine, fibris
Sacra videt fieri sextus ab urbe lapis.
Gentibus est aliis tellus data limite certo:
Romanæ spatium est urbis et orbis idem.
Nunc dicenda mihi regis fuga: traxit ab illa
Sextus ab extremo nomina mense dies.
Ultima Tarquinius Romanæ gentis habebat
Regna, vir injustus, fortis ad arma tamen.

tiam, qua in Capitolio restitisti. *Levitas* est ejus, qui facile sinit se moveri, facile cedit aliis. *Jovi*, quum Jovis templum moliretur Tarquinius. Erat lex Numæ: "Qui terminum exarasit, ipsus et boveis sacrei sunto." Erant tamen Horatii tempore, qui usque proximos revellerent agri terminos, et ultra limites clientium salirent; Od. II. xviii. 24. Hos terreri et coerceri a Termino vult Ovidius. In verbis *Ne videare*, etc. grave argumentum.

679. De finibus imperii antiquis et sacris ibi faciendis. *Dardanium ducem*, scil. Æneam, *classe Laurentem tenuisse agrum* vel ex Liv. i. 1. constat. Vide Heynii Excur. iii. ad Æn. vii. Inter quintum et *sextum* viæ Laurentinæ *lapidem* olim fuisse imperii Romani fines narrat et Strabo, v. p. 357. ubi et hujus sacrificii mentionem facit. Sed usque ad tempora Augusti imperium Romanum immensis auctibus creverat. Hinc sæpe per *orbem terrarum* declarabatur. Noster pro imperio *urbem* nominat, ut verbis *urbis* et *orbis* luderet. Lusit hic etiam Rutil. Itiner. i. 66. "Urbem fecisti, quod prius orbis erat," ex orbe terrarum unam civitatem fecisti, omnibus gentibus civitatis jure donatis.

686—852. *Regifugium.*] *Sextus*, ergo xxiv. Febr. Unus Hamb. *septimus*. Ex Kalend. Romano in ed. Mitscherl. Kalendas viii. Martias; Petavius in Dissertt. ad Op. de Doctrina Temporum, v. 9. contendit illam fugam incidisse in *quintum* diem. Atque ita ex antiquissimo libro suo Neapol. edidit.

687. Tarquinium Ovidius notat, ut Liv. i. 53: "Nec, ut injustus in pace rex, ita dux belli pravus fuit." Pro *ad arma* Heinsius malebat *in arma*. Sine causa. Post adjectiva *ad* eleganter ponitur pro, quod attinet ad. Secundum Dionys. Hal. iv. 49—53. Latinis, Hernicis et Volscis in societatem receptis, in Sabinos exercitum duxit, et, inde, vastatis hostium agris, in Pometinos, quorum urbem Suessam vi cepit, ejusque incolas, direptis bonis, partim interfecit, partim militibus in prædam concessit. Tum Sabinos

Ceperat hic alias, alias everterat urbes;
Et Gabios turpi fecerat arte suos.
Namque trium minimus, proles manifesta Superbi,
In medios hostes nocte silente venit.
Nudarant gladios: occidite, dixit, inermem.
Hoc cupiant fratres, Tarquiniusque pater,
Qui mea crudeli laceravit verbere terga;
Dicere ut hoc posset, verbera passus erat.
Luna fuit: spectant juvenem, gladiosque recondunt,
Tergaque, deducta veste, notata vident:
Flent quoque, et, ut secum tueatur bella, precantur.
Callidus ignaris annuit ille viris.
Jamque potens, misso genitorem appellat amico,
Prodendi Gabios, quod sibi monstret iter?

eo redegit, ut urbes suas sponte dederent. Denique in agros Volscorum multas excursiones fecit. Hæc Ovidius sic complectitur, *Ceperat alias, alias everterat urbes*, in quibus *evertere* urgere nolim, præsertim quum. h. v ut Græcum καταστρέφεσθαι, etiam latiore sensu dicatur. MSS. Naug. Erford. et unus Vatic. *averterat*, quod Heinsius vel furari, furto occupare, vel aversas sibi reddere interpretabatur. Regii, *everterat*. Lem.

690. *Gabii*, urbs Latini nominis, Albanorum colonia, ab urbe centum stadia distans, de cujus amplitudine Dionys. iv. 53. Eam, nequidquam vi adortus, quum obsidendi quoque spes ademta esset "postremo minime arte Romana, fraude ac dolo, aggressus est." Liv. i. 53. *Minimus*, Sextus Tarq. Dionys. maximum vocat. *Proles manifesta*, moribus patris similitudinem referens.

693. Cum his cf. verba ejusdem juvenis apud Livium, ubi plura ad Gabinos movendos et decipiendos apta; sed nihil de *verberibus*, quæ tamen et a Dionys. atque Floro, i. 7. commemorantur. Dissidium a patre de bello finiendo simulaverat, atque virgis se cædi in foro passus erat. Conjunctivus *cupiant*, quem Petav. Francof. et tres alii exhibent, melius se habet, quam vulg. *cupiunt*. Sino in simili fraude, Æn. ii. 104: "Jamdudum sumite pœnas: Hoc Ithacus velit, et magno mercentur Atridæ." Cf. et infra iv. 890.

698. De voce *deducere* vide ad Metam. iii. 480. *Notæ*, cicatrices, quæ in cute discerpta manent. Horat. I. Od. xiii. 12; Tibullus, IV. iii. 10. "hamatis crura notare rubis." *Fletus* ille parum decet armatos hostes, inter quos Sextus eloquitur. *Ut secum tueatur bella*, ut se adjuvet in bello fortiter gerendo et continuando. Livius, xxiii. 38. "pecunia ad classem tuendam bellumque Macedonicum decreta."

701. Liv. cap. 54. "tanta caritate erat, ut non pater Tarquinius potentior Romæ, quam filius Gabiis esset." Noster *amicum* nominat, Dionysius

Hortus odoratis suberat cultissimus herbis,
Sectus humum rivo lene sonantis aquæ.
Illic Tarquinius mandata latentia nati
Accipit, et virga lilia summa metit.
Nuntius ut rediit, decussaque lilia dixit,
Filius, agnosco jussa parentis, ait.
Nec mora, principibus cæsis ex urbe Gabina,
Traduntur ducibus mœnia nuda suis.
Ecce, nefas visu, mediis altaribus anguis
Exit, et exstinctis ignibus exta rapit.
Consulitur Phœbus: sors est ita reddita: Matri
Qui dederit princeps oscula, victor erit.
Oscula quisque suæ matri properata tulerunt,
Non intellecto credula turba Deo.

famulum, *τῶν θεραπόντων τινά*. *Appellat* alterum, qui cum eo agit, ab eo auxilium petit, eum rogat.

703. Hunc *hortum* ex ingenio sic exornavit Ovidius e præcepto illo, "irriguumque bibant violaria fontem." Tum papaveribus *lilia* substituit. *Secans* rivus irrigare melius hortum potest, quam *sepiens*. *Lene*, leniter, ut *dulce ridens*. Horatius, I. Od. i. 22. eodem sensu, "aquæ lene caput." *Illic accipit*. Secundum historicos illuc traduxit nuntium. *Latentia*, arcana. *Lilia summa metit*. Sic tacitis ambagibus respondet. Dionysius comparat simile Thrasybuli Milesii factum. *Agnosco*, intelligo. *Nuda ducibus*. Livius "orba consilio auxilioque."

711. De hoc prodigio cf. i. 56. Pertinet ad consilium poetæ propter Apollinis responsum et Brutum. Pestis causa pueros regios missos esse Dionys. iv. 69. narrat. *Anguis* Livio auctore e lignea columna exiit. *Anguis* adspectus in ædibus aut in itinere triste prodigium: Schwarz. v. ad Theophrast. 16. Hinc *nefas visu*, et apud Livium, "portentum terribile," quod terrorem fugamque in regiam fecerit, dignumque habitum sit, de quo Delphicus adeo Apollo consuleretur. Ovid. tria tristia addidit, altaria, exta rapta, ignem exstinctum. Errat Krebsius, quum docere vult, serpentem hunc exta rapientem eximium bonum portendisse. Narrationibus prodigiorum et alibi *ecce* præmitti solet, ut Virg. Æneid. ii. 203.

713. Ovidius nimio brevitatis studio obscurus, aut falsus adeo factus est. Perfectis patris mandatis, regii juvenes sciscitantur, ad quem eorum regnum sit venturum. Tum demum hoc, quod sequitur, responsum redditur. Eo moti apud Livium constituunt rem sorti permittere; apud Dionys. ambo simul osculari matrem. *Properata*, propere. *Turba* de duobus.

Brutus erat stulti sapiens imitator, ut esset
  Tutus ab insidiis, dire Superbe, tuis.
Ille tacens, pronus matri dedit oscula Terræ,
  Creditus offenso procubuisse pede.
Cingitur interea Romanis Ardea signis,
  Et patitur lentas obsidione moras.
Dum vacat, et metuunt hostes committere pug-
  Luditur in castris: otia miles agit. [nam,
Tarquinius juvenis socios dapibusque meroque
  Accipit, atque illis rege creatus ait:
Dum nos difficilis pigro tenet Ardea bello,
  Nec sinit ad patrios arma referre Deos:

717. *L. Junius Brutus* Tarquinia, regis sorore, natus, quum fratrem suum una cum primoribus civitatis ab avunculo interfectum audivisset, contemtu *tutus ab insidiis* esse voluit. Ergo de industria *stulti* simulationem induit, se suaque prædæ esse regi passus est, neque *Bruti* (stupidi) cognomen abnuit; Liv. et Dionys. *Superbus* hic spectatur, ut nomen proprium. Etiam Livius, ii. 1: "Superbo exacto rege." *Pronus*, prolapsus facie humum, vel quum exisset e templo, vel Italiam ingressus. Dionys. d. l. *Tacens* simulationi Bruti bene convenire videtur Burm.

721. Propius accedit ad regifugium. De *Ardeæ*, urbis Rutulorum, obsidione cf. Dionys. iv. 64; Livius, i. 57. *Cingitur* obsidione, postquam primo impetu capi non potuit. Inde *lentum* magis, scil. longum, quam acre bellum. De voc. *lentus* vide Bent. ad Horat. I. Ep. i. 21. *Vacat*, quies est. *Ludere* de rebus non seriis, quæ fiunt temporis fallendi causa. Livius, "Regii juvenes interdum otium conviviis comessationibusque inter se terebant." Tum iter eorum, quod noctu Romam et Collatiam fecerant, *nocturnum ludum* vocat.

725. De hoc convivio, certamine ibi accenso, itinereque communi nihil habet Dionys. *Socios*, sodales. *Accipit*, ut sæpe. *Atque illis*. Olim edeb. *ex illis:* tum Heinsius corrigi volebat, *juvenes socios*, ut Tarquinius pater juvenes convivio excepisset, atque ex illis juvenibus Sextus, *rege creatus*, sermonem intulisse narraretur. Sed hoc adversatur Livio, apud quem, "Forte potantibus his apud Sextum Tarquinium, ubi et Collatinus cœnabat," etc.

727. Livius tantum: "incidit de uxoribus mentio." Ovidius definit, qualis illa fuerit. *Difficilis*, scilicet aditu, expugnatu. *Pigrum*, longum. Horat. I. Ep. i. 21. "ut piger annus pupillis. *Socialis*, conjugalis. Ipsæ uxores intell. *In officio est*. Liv. viii. 19: "Fundanos in officio esse," in fide, fideles; Trist. V. xiv. 26. "nihil officio, nupta, quod obstet, habet." *Cura* dicitur, et is, qui amatur. Eodem sensu Cæsar, in Bello Alex. *mutuum sentire*. Lem.

Ecquid in officio torus est socialis? et ecquid
Conjugibus nostris mutua cura sumus?
Quisque suam laudant: studiis certamina cres-
Et fervent multo linguaque corque mero. [cunt;
Surgit, cui clarum dederat Collatia nomen;
Non opus est verbis, credite rebus, ait.
Nox superest: tollamur equis, urbemque petamus.
Dicta placent: frenis impediuntur equi.
Pertulerant dominos: regalia protinus illi
Tecta petunt; custos in fore nullus erat.
Ecce nurum regis fusis per colla coronis
Inveniunt posito pervigilare mero.
Inde cito passu petitur Lucretia; nebat:
Ante torum calathi, lanaque mollis erant.

731. *Studia* eorum sunt, qui favent alicui, ejusque causam fortiter agunt. Livius, xxix. 19. "accensis studiis pro Scipione." *Fervent*, etc. incaluerant et sermonibus et animo. *Surgit* optime de eo, qui calidus iter illico faciendum suadere vult: is ante omnes surgere solet. *Collatia* Sabinis a Tarquinio Prisco adempta; Egerius, cujus filius hic *Collatinus*, in præsidio ibi relictus est; Liv. i. 34. et 38. Inde *Collatini* cognomen ei inditum, Dionys. iv. 64. quod hac ipsa rerum commutatione *inclaruit*. Mentem Collatini multo apertius declaravit Livius, "paucis id quidem horis posse sciri, quantum cæteris præstet Lucretia sua. Quin conscendimus equos, invisimusque præsentes nostrarum ingenia? Id cuique spectatissimum sit, quod nec opinato viri adventu occurrerit oculis." *Tollamur equis*, avehamur equis.

736. *Frenis impedire equos*, pro vulgari, frena addere equis. Dictum, ut *comas impedire sertis*. *Custos*, janitor, cujus erat custodire et servare domum. Viris gravibus laudi ducebatur, custode tali carere; Sagittarius de Januis, p. 95. Sed nunc absentia ejus effecta erat luxu, quo omnia in regia miscebantur. Convivium, quo nurus regis tempus cum æqualibus terebat, invidiose notatum *mero;* vini enim usus mulieribus Romanis interdictus erat. Ac illæ quidem, genium suum placaturæ, *coronas*, adeo sumserant, quæ coercere comas solebant, sed in ebriis *fundebantur*, solutæ delabebantur *per colla*. *Fusus* de rebus negligenter dependentibus dicitur. Multi non *coronis* habent, sed *capillis*, quod Modio placebat. Sed *fusis capillis*, quod et Burm. monet, domi esse vel castissimæ solebant, ut ver. 772. ipsa Lucretia.

741. *Nebat.*] Bene sic uno verbo indicat, qualem invenerint Lucretiam. Plura habet Livius, sed singula cum pondere, "nocte sera deditam lanæ inter lucubrantes ancillas in medio ædium sedentem inveniunt." De *calathis*, in quibus *pensa* sua reponebant lanificæ, dictum ad Metam. iv. 10.

Lumen ad exiguum famulæ data pensa trahebant;
Inter quas tenui sic ait ipsa sono:
Mittenda est domino, nunc nunc properate, puellæ,
Quamprimum nostra facta lacerna manu.
Quid tamen audistis? nam plura audire soletis.
Quantum de bello dicitur esse super?
Post modo victa cades: melioribus, Ardea, restas,
Improba, quæ nostros cogis abesse viros.
Sint tantum reduces: sed enim temerarius ille
Est meus; et stricto quolibet ense ruit.
Mens abit, et morior, quoties pugnantis imago
Me subit: et gelidum pectora frigus habet.
Desinit in lacrymas, intentaque fila remittit,
In gremio vultum deposuitque suum.
Hoc ipsum decuit: lacrymæ decuere pudicam;
Et facies animo dignaque parque fuit.
Pone metum, venio, conjux ait: illa revixit;
Deque viri collo dulce pependit onus.

744. Sequitur ingeniosum figmentum. *Tenuis* est vox muliebris: Met. ii. 373. Cycno in avem transeunti virilis vox *tenuata est*. Cicer. Or. iii. 11. *mollis* illa vox vocatur. *Lacerna*, qua muniretur in castris adversus frigora et imbres. Etiam Propert. IV. iii. 33. mulier scribit: "Noctibus hibernis castrensia pensa laboro." Bene ancillarum mores notant illa, *nam plura audire soletis*.

749. Sensum horum verborum Burmannus bene constituit: Certo cades postea; sed mora me cruciat, per quam viro careo; *restas*, resistis, fortioribus. *Ille* cum vi dictum; is, cujus temeritas satis nota. Sed in verb. sequenti Heins. et Burm. dissentiunt. Ille præfert *furit* e conjectura sua, quod verbum passim, etiam addito voc. *ense*, de strenuis bellatoribus occurrit; hic verb. *ruit* melius τῷ *quolibet* convenire monet, et *ruere* proprie temerariorum. Bene. *Mens abit* perturbatis animo. Metam. iv. 175. "mens excidit." *Pugnantis imago me subit*, pugnantem cogito. *Subeunt*, quæ oriuntur in animo.

757. *Decus* illud Noster passim notavit Met. iv. 230: "Ipse timor decuit;" et ver. 330: "Sed et erubuisse decebat." Vide ad Met. viii. 25. Post *decuit* igitur cum vi additur, *lacrymæ decuere pudicam*. Propter decus in flendo *facies digna* erat *animo*. Hæc optime inter se cohærent.

759. Repente se prodit vir, qui adhuc latens cum comitibus verba conjugis amantia audiverat. Ita et dictis et factis constabat, quantum Lucretia præstaret cæteris.

Interea juvenis furiales regius ignes
Concipit, et cæco raptus amore furit.
Forma placet, niveusque color, flavique capilli,
Quique aderat nulla factus ab arte decor.
Verba placent, et vox, et quod corrumpere non est:
Quoque minor spes est, hoc magis ille cupit.
Jam dederat cantum lucis prænuntius ales,
Quum referunt juvenes in sua castra pedem.
Carpitur attonitos absentis imagine sensus
Ille: recordanti plura magisque placent.
Sic sedit: sic culta fuit: sic stamina nevit:
Neglectæ collo sic jacuere comæ.
Hos habuit vultus: hæc illi verba fuere:
Hic decor, hæc facies, hic color oris erat.
Ut solet a magno fluctus languescere flatu;
Sed tamen a vento, qui fuit, unda tumet:

761. Exornat usque ad ver. 779. quod Livius tenuiter narrat: "Ibi Sextum Tarquinium mala libido Lucretiæ per vim stuprandæ capit: tum forma, tum spectata castitas incitat." Malam illam libidinem Noster graviter *furiales ignes* vocat. *Raptus* istis ignibus melius convenit, quam *captus* aliorum.

763. Forma hujus matronæ pendet a criticorum judicio. Namque 1° pro *niveusque* unus Vatic. *vivensque;* hinc Heins. suadebat *vivusque;* equidem nihil muto. 2°. *Flavi capilli* non placent Burm. quia meretriculis et libidinosis mulieribus a poetis adscribantur; itaque mavult cum uno cod. Heins. *nigrique capilli,* ut ita niveo oris colori capilli nigri juncti efficiant emendatissimæ formæ decus. Papæ! Ovidius tamen et pudicis *flavos* capillos tribuit; infra v. 609. Europæ "flavi capilli;" Heroid. v. 122. Œnone ipsa "flaventes comas" suas jactat." 3°. *Decorem* Neapolis ad ruborem refert, qui non fuerit a fuco et pigmento, sed naturalis. Et plures MSS. habent *color.* Sed *decor,* qui mox ver. 774. a vultu, facie, colore diserte distinguitur, in habitu, gestu, motu corporis cernitur. Vide Bentl. ad Horat. IV. Od. xiii. 17. ubi *color* et *decens motus.* Hic quoque decor *artibus* comparabatur. Vide Art. Amat. iii. 257 sqq. *Quod corrumpere non est,* scilicet, pudor. Lenzius: placet in ea id, quod se corrumpi non patitur.

767. *Cantum dare,* cantum edere, ut Tibull. III. iv. 40. Gallus cantu suo "evocare Auroram" dicitur Metam. xi. 598. Mox vis phantasiæ et impuræ libidinis verissime notatur. *Carpi amore* aut *igne* formula obvia. Eamdem vim *carpendi* habebat etiam *imago,* cogitatio mulieris amatæ. Etiam Remed. 723. imagine muta carpi."

775. *A flatu,* post flatum. Hanc similitudinem non vulgarem illustrat Gellius, Noct. Att. ii. 30. ubi de au-

Sic, quamvis aberat placitæ præsentia formæ,
  Quem dederat præsens forma, manebat amor.
Ardet; et injusti stimulis agitatus amoris,
  Comparat indigno vimque metumque toro.
Exitus in dubio est: audebimus ultima, dixit;
  Viderit, audentes forsne Deusne juvet.
Cepimus audendo Gabios quoque. Talia fatus,
  Ense latus cingit; tergaque pressit equi.
Accipit ærata juvenem Collatia porta,
  Condere jam vultus sole parante suos.
Hostis, ut hospes, init penetralia Collatini:
  Comiter excipitur: sanguine junctus erat.
Quantum animis erroris inest! parat inscia rerum
  Infelix epulas hostibus illa suis.
Functus erat dapibus: poscunt sua tempora somni:
  Nox erat, et tota lumina nulla domo.
Surgit, et auratum vagina liberat ensem;
  Et venit in thalamos, nupta pudica, tuos.

stro vel africo: "Quibus jam nihil spirantibus undæ tamen factæ diutius tument, et a vento quidem jamdudum tranquillæ sunt, sed mare est etiam atque etiam undabundum."

779. Liv. i. 59. hoc ipsum Tarquinii facinus *regiam injuriam* vocat. *Comparat*, parat. *Indigno*, qui talia non merebatur. Paulo post volebat dicere, audentibus omnia succedunt. Vulgo successum illum *Fortunæ* tribuebant, *fortes Fortuna juvat:* Sexto perinde est, quis hoc faciat, *Forsne Deusne*. *Viderit* vox ejus, qui curam rei in alium rejicit. Vide Heinsium ad I. ex Ponto, ii. 9.

785. *Accipit* nos locus, quem ingredimur. *Ærata*, ære obducta. *Hostis, ut hospes*. Hic lusus, in quo vis inest, placuit etiam Livio, qui "hostis pro hospite mihi sibique, etc." *Collatini* Heins. unius Medic. auctoritate in *Collatina* mutavit, quia et Virg. Æn. vi. 744; "Collatinas arces" dixit. At Virg. totam urbem intellexit, Noster unius Collatini domum. *Sanguine junctus*. Egerius, Collatini pater, frater Tarquinii Prisci fuerat, cujus nepos Sextus Tarquinius.

793. Tam hic, quam Metam. vi. 551. alii MSS. habent *deripit ensem*. Sed nunc sermo non est de vehemente impetu. In verbis Sexti Liv. hæc habet: "Sextus Tarquinius sum." Pro iis Ovid. *Tarquiniusque* vel *vocor*, vel e lect. Pembroc. Reg. Petav. et aliorum, quam Burmannus recepit, *loquor;* quæ duo eodem sensu capi possunt. Burm. tamen vim quærit in voce *loquor:* Sextum, ut vim adderet verbis, dixisse sublata insolentius voce, se loqui, Tarquinium et

Utque torum pressit: Ferrum, Lucretia, mecum est,
Natus, ait, regis, Tarquiniusque loquor.
Illa nihil: neque enim vocem, viresque loquendi,
Aut aliquid toto pectore mentis habet.
Sed tremit, ut quondam stabulis deprensa relictis
Parva sub infesto quum jacet agna lupo.
Quid faciat? pugnet? vincetur femina pugna:
Clamet? at in dextra, qui necet, ensis adest:
Effugiat? positis urgentur pectora palmis,
Nunc primum externa pectora tacta manu.
Instat amans hostis precibus, pretioque, minisque:
Nec prece, nec pretio, nec movet ille minis.
Nil agis; eripiam, dixit, pro crimine vitam:
Falsus adulterii testis adulter erit:
Interimam famulum, cum quo deprensa fereris.
Succubuit famæ victa puella metu.

filium regis. Apud Dionys. juvenis libidine accensus inepte in longiorem orationem excurrit.

797. Livius: "Pavida ex somno mulier." *Mens*, sensus. Metam. iii. 628. is cui guttur pugno ruptum, hæret aliquamdiu *amens*, post *redeunt in pectora sensus*. In similitudine *quondam* est id quod, fere. Eadem autem similitudo Metam. vi. 527.

801. Nullam opem videbat, nullum salutis remedium. Id deliberatione quadam bene describitur. *Pugnet*. Callisto "quidem contra, quantum modo femina possit, pugnat: sed quæ superare puella, Quisve Jovem poterat;" Metam. ii. 434. *Positis*, etc. Liv. "sinistraque manu mulieris pectore oppresso." *Externa*, viri alieni.

805. *Instat*, etc.] Sic et Liv. *Nil agis*, frustra adversaris. *Pro crimine*, ut causam habeam criminandi, te accusandi. Nisi malis, tamquam crimen admisisses. Sabin. i. 79: Tyndaris has illi læso pro fœdere pœnas Struxerat." Heins. præferebat vulg. *per crimina*. Burman. objicit, hoc fore sceleste, nefarie vitam eripere. Itaque e pluribus libris alterum recepit, et præterea *sub crimine* conjicit. *Falsus*, fictus, simulatus, ut passim in Metam. Verba Livii apertius et ad terrendum gravius etiam Sexti mentem declarant: "Cum mortua jugulatum servum nudum positurum ait, ut in sordido adulterio necata dicatur."

810. *Victrix libido* etiam apud Liv. *Nox* de concubitu. *Hæc te*, etc. Talia minari solent injuriam passi. Nunc poeta eadem vaticinatur. *Passi*, id est, soluti et circa collum fluentes capilli signum erant luctus, in mulieribus potissimum. Heroid. x. 187. Vide Kirchm. de Funer. pag. 200.

Quid, victor, gaudes? hæc te victoria perdet:
Heu quanto regnis nox stetit una tuis!
Jamque erat orta dies: passis sedet illa capillis,
Ut solet ad nati mater itura rogum:
Grandævumque patrem fido cum conjuge castris
Evocat; et posita venit uterque mora.
Utque vident habitum, quæ luctus causa, requi-
Cui paret exsequias, quove sit icta malo? [runt;
Illa diu reticet, pudibundaque celat amictu
Ora: fluunt lacrymæ, more perennis aquæ.
Hinc pater, hinc conjux lacrymas solantur; et orant,
Indicet: et cæco flentque paventque metu.
Ter conata loqui, ter destitit: ausaque quarto,
Non oculos adeo sustulit illa suos.
Hoc quoque Tarquinio debebimus? eloquar, inquit,
Eloquar infelix dedecus ipsa meum.
Quæque potest narrat: restabant ultima; flevit,
Et matronales erubuere genæ.
Dant veniam facto genitor conjuxque coacto.
Quam, dixit, veniam vos datis, ipsa nego.

815. *Patrem* Roma evocavit, auctore Livio. Apud Dionys. ipsa carpento vehitur Romam ad patrem. *Evocat*, qui aliquem aliunde ad se venire jubet. *Icta*, percussa, perculsa. *Lacrymas* verbo attingit Livius, qui multo melius animum et affectum mulieris generosæ descripsit. Etenim mulierem nil nisi lacrymantem et res turpes eloqui dubitantem, tum viros lacrymantem solantes notare quis non valet? Ineptior etiam inducitur a Dionys. Halic. Tales ineptiæ facillime sentiuntur comparatione cum exemplo illustri instituta.

821. *Lacrymas solari*, consolari lacrymas fundentem, bona locutio. *Cæcus*, cujus causa latet.

825. *Hoc* Neapol. intel. stuprum illatum; Constant. Fanens. et Burman. vero eloquium illius dedecoris. *Hoc*, quod cogor ipsa dedecus meum eloqui. Minus verecunda est apud Dionys. ubi λέγει ἅπαν τὸ πρᾶγμα, ἐξ ἀρχῆς ἀναλαβοῦσα. Apud Liv. eloquitur, quæ scire opus erat: "Vestigia viri alieni, Collatine, in lecto sunt tuo—Sextus est Tarquinius, qui hostis pro hospite," etc.

829. *Dant veniam*, etc.] Melius consolantur ægram animi, avertendo noxam ab coacta in auctorem delicti: mentem peccare, non corpus.

Nec mora; celato figit sua pectora ferro;
Et cadit in patrios sanguinolenta pedes.
Tunc quoque jam moriens, ne non procumbat honeste,
Respicit: hæc etiam cura cadentis erat.
Ecce super corpus communia damna gementes,
Obliti decoris, virque paterque jacent.
Brutus adest; tandemque animo sua nomina fallit;
Fixaque semanimi corpore tela rapit;
Stillantemque tenens generoso sanguine cultrum,
Edidit impavidos ore minante sonos:
Per tibi ego hunc juro fortem castumque cruorem,
Perque tuos Manes, qui mihi numen erunt;
Tarquinium pœnas profuga cum stirpe daturum.
Jam satis est virtus dissimulata diu.
Illa jacens ad verba oculos sine lumine movit;
Visaque concussa dicta probare coma.
Fertur in exsequias animi matrona virilis;
Et secum lacrymas invidiamque trahit.

832. *In pedes*, pro ad pedes. *Honeste*, decenter, *εὐσχημόνως*. Julius Cæsar, quum interficeretur, "sinum ad ima crura deduxit, quo honestius caderet." Præeunte Eurip. Hec. 568. veteres passim hanc cadentium curam notarunt, ut ad Metam. iii. 479. et ad Plin. IV. Ep. xi. 9. jam monuimus. Poterat igitur, ut res trita, nunc omitti.

837. *Nomen* Bruti, sive stupidi, quod ei per contemtum inditum erat, et cujus vim adhuc simulando expresserat, nunc tandem *fallit animo*, consilio ac virtute ostendit, se esse ingenio longe alio. Hinc cæteri stupebant, "unde novum in Bruti pectore ingenium."

841. *Per tibi ego.*] In obtestationibus et juramentis sæpe hic ordo verborum perturbatus reperitur. Virg. Æn. iv. 314: "Per ego has lacrymas." Liv. xxiii. 9: "Per ego te, fili, quæcumque jura," etc. *Virtus dissimulata*, celata, quia Brutus tyranni metu se stultum simulaverat. Lem.

845. *Sine lumine* id quod morte gravatos, per quos jam nihil cernebat. *Concussa coma* approbat, ut Jupiter apud Homer. Sed inepte hunc lusum, aut hoc figmentum huic tali narrationi subjectum arbitror. Melius Metam. i. 566. de Daphne in laurum mutata simile figmentum additum.

847. *Fertur in exsequias* pro, *effertur*. Scaliger conjicit *Exsequias fertur*, ut dictum sit quemadmodum *exsequias ire*. *Secum invidiam et lacrymas trahit*, quatenus ii, qui adsunt, lacrymas fundunt, *invidiaque*, odio, exardescunt in Tarquinium. Pro se

Vulnus inane patet: Brutus clamore Quirites
Concitat, et regis facta nefanda refert.
Tarquinius cum prole fugit: capit annua consul
Jura: dies regnis illa suprema fuit.
Fallimur? an veris prænuntia venit hirundo,
Et metuit, ne qua versa recurrat hiems?
Sæpe tamen, Procne, nimium properasse quereris?
Virque tuo Tereus frigore lætus erit.
Jamque duæ restant noctes de mense secundo,
Marsque suos junctis curribus urget equos.
Ex vero positum permansit Equiria nomen,
Quæ Deus in campo prospicit ipse suo.

quisque scelus regium ac vim queruntur. *Inane*, apertum. Hoc in foro omnibus conspiciendum præbebatur. *Annua jura*, annuum imperium. Etiam Liv. novam civitatis formam per *annuos magistratus* declarat: et, quum consules omnia jura, omnia insignia regis tenerent, diserte monet ii. 1. libertatem in eo fuisse, quod *annum* imperium consulare fuerit. *Dies suprema* fuit ann. U. C. 244.

853. *Hirundinis reditus.*] Columel. xi. 2. ad diem Kal. vii. Mart. hirundinem conspici ait. Plin. ii. 47: "Favonium quidam a. d. Kal. viii. Mart. Chelidoniam vocant ab hirundinis visu." Vocatur *veris prænuntia*; Ælianus, Hist. Anim. i. 52. τῆς ὥρας τῆς ἀρίστης ὑποσημαίνει τὴν ἐπιδημίαν; Oppian. Halieut. iii. 244. εἰαρίνη Ζεφύρου πρωτάγγελος ὄρνις; Horat. I. Epist. vii. 13. vernum tempus indicaturus: "Cum Zephyris et hirundine prima." Favonii secundum Columel. die septimo, secundum Plin. sexto ante Februarias Idus spirare incipiebant, et mollire hibernum cœlum. Is dies igitur principium habebatur veris. Sed quoniam molliti cœli vis serius sentiebatur, hirundo poterat veris *prænuntia* vocari. Ad finem etiam vergente Februario, *hiems* identidem *recurrebat*, et Kal. Mart. demum cedebat. iii. 235. *Qua*, qua parte. Hirundines interdum damno suo reditum *properant*. Plin. xviii. 57: "Notatum est, advenas volucres ad diem." Kal. vi. Febr. "spem veris attulisse, mox sævissima hieme conflictatas." De *Procne*, *Terei*, regis Thraciæ, uxore in hirundinem mutata, vide Metam. vi. 425 sqq. *Progne* deterior scriptura est, quam tamen h. l. omnes libri tuentur. Est verior Πρόκνη *Procne*. Vide Heins. ad Metam. d. l.

857. *Equiria* Kal. iii. Mart. scil. die 27 Febr. De iis Festus: "Equiria, ludi, quos Romulus Marti instituit per equorum cursum, qui in campo Martio exercebantur." *Ex vero*, ex re ipsa. *Tua tempora*, mensis a te dictus. *Locum poscunt*, volunt jam a me cani, exacto mense Februario.

Jure venis, Gradive ; locum tua tempora poscunt :
Signatusque tuo nomine mensis adest.
Venimus in portum, libro cum mense peracto :
Naviget hinc alia jam mihi linter aqua.

LIBRI TERTII

ARGUMENTUM.

Invocatio Martis, 1—8. Romuli et Remi fortuna inde a natalibus usque ad urbis initia; Martis cultus; Martii mensis nomen, 9—86. De ordine hujus mensis apud varios populos, 87—98. De numero mensium apud priscos Romanos, et de auctione eorum per Numam; tum de Cæsaris anno solari, 99—166. Matronalia, quorum descriptioni raptus Sabinarum insertus, et verni temporis vis, 167—258. Saliorum origo et festum; ancile de cœlo delapsum, 259—398. Occasus alterius piscis, 399—402. Arctophylacis occasus et Vindemitoris ortus, 403—414. Vestæ sacra et Augusti Pontificatus, 415—428. Vejovis ædes dedicata, 429—448. Pegasi collum oritur, 449—458. Ortus Coronæ, Thesei et Ariadnes fabula, 459—516. Altera Equiria, 517—522. Annæ Perennæ sacra; Dido et Anna, et hujus adventus in Latio; secessio populi Romani, 523—696. Nex Julio Cæsari illata, 697—710. Scorpii medii occasus, 711, 712. Liberalium origo et ritus, in quibus solemnia togæ virilis; tum Bacchi laudes, 713—790. Processio ad Argeos, 791, 792. Milvi sideris origo et quædam ex Titanomachia, 793—808. Quinquatria Minervæ, 809—850. Solis ingressus in Arietem; Phrixi et Helles fabula, 851—876. Æquinoctium vernum, 877—878. Festum Jani, Salutis, Concordiæ, Pacis, 879—882. Lunæ cultus in Aventino, 883, 884.

PUBLII OVIDII NASONIS

FASTORUM

LIBER TERTIUS.

BELLICE, depositis clypeo paulisper et hasta,
Mars, ades; et nitidas casside solve comas.
Forsitan ipse roges, quid sit cum Marte poetæ:
A te, qui canitur, nomina mensis habet.
Ipse vides manibus peragi fera bella Minervæ:
Num minus ingenuis artibus illa vacat?
Palladis exemplo, ponendæ tempora sume
Cuspidis: invenies et quod inermis agas. [dos
Tum quoque inermis eras, quum te Romana sacer-
Cepit, ut huic urbi semina digna dares.

1—8. *Martis invocatio.*] Ut libri i. et iv. initia Jani et Veneris laudibus dedit, sic nunc, Martium mensem describere aggrediens, *Martem*, qui modo advenerat ii. 861. appellat, quamquam Deum poetis alienum, comparatione cum *Minerva* commode facta. Pacis opus tractanti dum Mars adest, ut *deponat* arma rogatur, quod idem et respirationis causa facit; Statius Theb. vii. 10. Confer infra ver. 171. ubi ex parte paret precibus poetæ. *A te*, etc. non docet Martem, unde mensis nomen habeat, sed hoc sibi vult: adsis mihi, hoc enim jam ago, ut mensem a te dictum canam. *Manibus*, virtute et armis. Vide Cort. ad Sallust. Jug. xxxix. 1. *Sumere tempora* bona locutio, de qua Vorstius, de Latinitate falso suspecta, cap. 15. *Palladis* autem exemplum quam vim habeat, vide ver. 176. *Invenies*, etc. Sic commode viam sibi munit ad sqq.

9. Primum Mars recognoscit suum furtum; accessus ejus ad Silviam dormientem in nummis quoque expressus est. Noster phantasiæ suæ ope rem exornavit. Vocatur *Romana sacerdos*, quatenus inde origo Romani nominis. Etiam Horatius, III. Od. ix. 8. *Romana Ilia. Moveri*, incipere. Livius, ii. 58. " motam, *cœptam*, remittere industriam;" v. 24. *movere actionem*, incipere. Solemne munus Vestalium erat *aquas petere* ad *sacra* vasa lavanda, et penetralia lustranda; in quem usum iis Numa fontem assignavit. Plutarch. Num. 13. Sed frustra quæruntur, unde Silvia hauserit. Res Albæ gesta est.

Silvia Vestalis, quid enim vetat inde moveri?
Sacra lavaturas mane petebat aquas.
Ventum erat ad molli declivem tramite ripam,
Ponitur e summa fictilis urna coma.
Fessa resedit humi, ventosque accepit aperto
Pectore, turbatas restituitque comas.
Dum sedet; umbrosæ salices, volucresque canoræ,
Fecerunt somnos, et leve murmur aquæ.
Blanda quies victis furtim subrepit ocellis:
Et cadit a mento languida facta manus.
Mars videt hanc, visamque cupit, potiturque cupi-
Et sua divina furta fefellit ope. [tam,
Somnus abit: jacet illa gravis: jam scilicet intra
Viscera, Romanæ conditor urbis, eras.
Languida consurgit; nec scit cur languida surgat;
Et peragit tales arbore nixa sonos:
Utile sit faustumque, precor, quod imagine somni
Vidimus: an somno clarius illud erat?

13—20. Locus probabilis præ cæteris. *Mollis*, eleganter leniter descendens vocatur, qui et *clemens* dicitur. Vertice gestari solebant et sacra in pompis; Met. ii. 712. De Vestali etiam Propert. IV. iv. 15. "at illi Urgebat medium fictilis urna caput."

16. MSS. Bonon. et Moreti, *composuitque comas*, quod placet Heins. quia *componere* in hac re sæpe. Sed Burm. alterum recte tuetur, quia coma majori in otio et ad speculum *componitur*; turbata raptim *restituitur*.

21. *Cupere* sic sæpe in Metam. Interdum *connubia* additur. Et repetitio ejusdem verbi, qualis est in *videt, visam; cupit, cupitam*, grata et familiaris Ovidio; etiam celeritas rei peractæ hic satis expressa, fere ut Metam. v. 395. in raptu Proserpinæ. De voce *potiri* cum quarto casu vide Heins. *Fallit*, qui clam aliquid agit, vel ut non innotescat, vel, ut hoc loco, ut non sentiatur. Liberi *intra viscera* dicuntur concipi, unde et ipsi *viscera* vocantur; Metam. v. 18.

27—38. Somnium Silviæ, quod ipsius geminæque prolis fata portendebat, egregie fictum, et nunc loco positum. *Utile*, etc. ad formulam solemnem: quod bonum, felix faustumque sit. *Imago somni*, somnium, ut et Met. viii. 824. *Videre* usitatum de somniantibus. *Somno clarius*, plus quam somnium. *Iliaci ignes*, sacra Vestæ, ut ver. 142. *Iliaci foci*; nam Æneas Ilio "vittas, Vestamque potentem, æternumque ignem" attulit, Æneid. ii. 296. In *vitta lapsa* omen erat; vitta enim convictæ Vestali adi-

Ignibus Iliacis aderam: quum lapsa capillis
Decidit ante sacros lanea vitta focos.
Inde duæ pariter, visu miserabile, palmæ
Surgunt: ex illis altera major erat;
Et gravibus ramis totum protexerat orbem;
Contigeratque nova sidera summa coma.
Ecce meus ferrum patruus molitur in illas;
Terreor admonitu, corque timore micat.
Martia, picus, avis gemino pro stipite pugnant,
Et lupa: tuta per hos utraque palma fuit.
Dixerat; et plenam non firmis viribus urnam
Sustulit: implerat, dum sua visa refert.
Interea crescente Remo, crescente Quirino,
Cœlesti tumidus pondere venter erat.

mebatur. *Labi* et *cadere* sic sæpe junguntur; Liv. i. 56. "velut si prolapsus cecidisset."

31. Astyages e filia per somnum vidit vitem enasci, cujus palmite omnis Asia obumbraretur; Justin. i. 4. A vitibus et oleis proximam nobilitatem *palmis* tribuit Plinius, Hist. Nat. xxiii. 51; idemque xvii. 38. palmas memorat prodigii loco ex aris et statuis enatas; ut alias victoriam et triumphum portendebant, sic nunc magnitudinem imperii. Non autem hoc loco apparet, unde palmæ exierint, utrum ex foco, an ex vitta lapsa, nam *inde* ad utrumque referri potest. *Coma nova*, vertice, frondibus modo natis.

35. *Molitur*, vibrat, jactat; præeunte Virgilio, Georg. iv. 321. "validam in vites molire bipennem." Etiam *picus*, ut *lupus*, Marti sacer. Plin. x. 20: "Pici Martio cognomento insignes et in auspicatu magni." Ut *lupa* Romulo et Remo expositis mammas præbebat, ita *picus* frequenter ori eorum bucceas inserebat. Vide ver. 54; Plutarch. Rom. iv; Quæst. Rom. p. 89. *Stipite*, arbore, palma.

41. Romulum in utero jam *Quirinum* vocat. Repetitionem, qualis est in voc. *crescente*, amat etiam Livius; sic, ii. 5. "vetuere reddi, vetuere in publicum redigi," et centies. *Emeritus*, qui mereri desiit, eo, quod fieri debebat, perfecto; ergo, absolutus. iv. 688. *Nitidus Deus*, Phœbus. *Vestæ simulacra*. Scripsisse hæc Ovid. videtur, quo tempore nondum sciebat, in Vestæ templo nullum esse simulacrum; vi. 295 sqq. Neque erat in templis Græcis; Pausan. Corinth. cap. 53. Extra templum autem statuæ ei ponebantur; vid. Lipsius de Vesta, cap. 3. *Opposuisse manus*. Idem figmentum vi. 614. Similiter Minerva oculos avertit, quum in templo ejus Ajax Cassandræ vim inferret; Fragm. Callim. p. 419. *Tremor aræ* aut aliarum rerum sacrarum signum præsentiæ, et vel iræ, vel benevolentiæ divinæ. Vid. ad Metam. ix. 781. *Subiit cineres*, adeoque bene exstincta est. Exstinctus ille ignis plus aliis pro-

Quo minus emeritis exiret cursibus annus,
  Restabant nitido jam duo signa Deo.
Silvia fit mater: Vestæ simulacra feruntur
  Virgineas oculis opposuisse manus.
Ara Deæ certe tremuit, pariente ministra;
  Et subiit cineres territa flamma suos.
Hæc ubi cognovit contemtor Amulius æqui,
  Nam raptas fratri victor habebat opes,
Amne jubet mergi geminos: scelus unda refugit;
  In sicca pueri destituuntur humo.
Lacte quis infantes nescit crevisse ferino,
  Et picum expositis sæpe tulisse cibos?
Non ego te, tantæ nutrix Larentia gentis,
  Nec taceam vestras, Faustule pauper, opes.
Vester honos veniet, quum Larentalia dicam:
  Acceptus geniis illa december habet.
Martia ter senos proles adoleverat annos,
  Et suberat flavæ jam nova barba comæ:

digiis terrebat animos Romanorum, Liv. xxviii. 11; eratque, monente Dionysio, signum *ἀφανισμοῦ τῆς πόλεως*. Lipsius de Vesta, cap. 8.

49. Revolvitur eo, quod jam ii. 385 sqq. copiosius narravit. *Opes*, regnum. Sic *Deorum opes*, Liv. i. 4. In verbis *scelus unda refugit* non malum figmentum. De *pico* vide ad versum 37.

55. *Faustulus*, vir bonus, regii pecoris magister, ab ipsis Arcadibus Evandri comitibus, genus ducebat, montemque incolebat Palatinum: Dion. I. lxxix. p. 204. et 218. Reisk. *Gentis nutrix*; quia gentis auctorem nutriverat. *Opes* ipsos pueros educatos intellige. Vocat *opes*, quæ bene *paupertati* opp. *Larentalia*, ab aliis *Larentinalia* vocantur: agebantur x. Kal. Jan. *Acceptus geniis*, ubi indulgetur genio conviviorum hilaritate. Virg. G. i. 300: "Frigoribus parto agricolæ plerumque fruuntur, Mutuaque inter se læti convivia curant: Invitat genialis hiems." Bene igitur Decembrem hoc epitheto ornavit. *Non taceam te*; solemne in hymnis.

59. Hunc ipsum annorum numerum habet Dionys. I. lxxix. p. 205. *Novam barbam*; Noster elegantius Metam. ix. 398. eloquitur, "dubiaque tegens lanugine malas," et Virgil. Æn. viii. 160: "Tum mihi prima genas vestibat flore juventa." *Jura dare* aut *reddere* omnino est imperantis; *jura petere* subjecti. A populis hoc nunc translatum ad pastores eorumque præsules. Auctoritate quadam pollebant inter pastores, et indoles divina jam nunc in iis eminebat.

Omnibus agricolis armentorumque magistris
Iliadæ fratres jura petita dabant.
Sæpe domum veniunt prædonum sanguine læti,
Et redigunt actos in sua rura boves.
Ut genus audierunt, animos pater editus auget;
Et pudet in paucis nomen habere casis:
Romuleoque cadit trajectus Amulius ense:
Regnaque longævo restituuntur avo.
Mœnia conduntur: quæ, quamvis parva fuerunt,
Non tamen expediit transiluisse Remo.
Jam, modo qua fuerant silvæ, pecorumque recessus,
Urbs erat; æternæ quum pater urbis ait:
Arbiter armorum, de cujus sanguine natus
Credor; et, ut credar, pignora certa dabo;
A te principium Romano ducimus anno:
Primus de patrio nomine mensis eat.
Vox rata fit; patrioque vocat de nomine mensem;
Dicitur hæc pietas grata fuisse Deo.

63. Liv. i. 4: "In latrones præda onustos impetus facere, pastoribusque rapta dividere." *Læti sanguine*, ut *lætus victoria*.

65. Heinsius non improbat lect. Urs. duorum Patav. duorum Medic. *pater agnitus*. Burm. recte defendit *editus*, quod tamen non cum eo explicem, qui publice jam dicebatur ab omnibus pater, sed, quem Faustulus eis aperuerat. Hoc melius convenit iis, quæ historici habent. Et *edere* sic alibi; Met. ii. 43. "Clymene veros edidit ortus." *Nomen* de generis nobilitate etiam apud Cic. et alios. *Paucis*. Olim edeb. *parvis:* sed alterum significantius est; duplicem enim pudoris causam exhibet, in casis, iisque paucis. *Longævus* vocatur quia jam *avus*.

70. Vulgarem hanc traditionem Noster etiam ii. 134. iv. 840. sequitur. *Remi* necem per euphemismum tangit. *Pecudum* commoratione vastitas declaratur; Horatius, III. Od. iii. 40: "Dum Priami Paridisque busto Insultet armentum." Et pastores ibi degebant.

72. *Pater*, conditor, qui Martio mensi nomen imponit. Pro eo bene Romulum voventem inducit et loquentem. *Æterna*, urbis epitheton Romanis admodum gratum: vide ad ver. 421. *Arbiter*, præses. *Pignora*. Phaethon, Metam. ii. 38: "Pignora da, genitor, per quæ tua vera propago Credar." Etiam h. l. Mitscherl. *dato*. Sed Romulus hoc instituto posteris genus suum prodere volebat. iv. 24.

Et tamen ante omnes Martem coluere priores:
  Hoc dederat studiis bellica turba suis.
Pallada Cecropidæ, Minoia Creta Dianam,
  Vulcanum tellus Hypsipylea colit;
Junonem Sparte, Pelopeïadesque Mycenæ;
  Pinigerum Fauni Mænalis ora caput.
Mars Latio venerandus erat, quia præsidet armis;
  Arma feræ genti remque decusque dabant.
Quod si forte vacas, peregrinos inspice Fastos:
  Mensis in his etiam nomine Martis erit.
Tertius Albanis; quintus fuit ille Faliscis;
  Sextus apud populos, Hernica terra, tuos.
Inter Aricinos, Albanaque tempora constant,
  Factaque Telegoni mœnia celsa manu.

79. Neque tamen Romulus primus in istis locis aut Martis cultum invexit, aut mensem ei consecravit. Id dum poeta explicat, a narratione transit ad disputationem, induitque personam grammatici. *Priores*, Latini ante Romulum. *Diana*, ubi adoleverat, relicta Delo, *Cretam* profecta Dictynnæum montem inhabitavit, unde Dictynna dicta; Schol. ad Pindarum Pyth. argum. p. 185. Spanhem. ad Callim. Dian. xli. h. l. legit *Minoia turba*, et intel. Cnossum insulam, quæ ab Homero, Od. I. 178. Minois regia dicta sit. In insula Lemno, quum mulieres genus omne virorum interficerent, *Hypsipyle* Thoantem patrem clam navi impositum servavit; Hyg. Fab. xv. *Sparte—Mycenæ*. Adde *Argos*, quæ tres urbes Junoni sacræ ad Homeri exemplum, infra vi. 47. et Metam. vi. 414. uno versu comprehenduntur. E consilio poetæ non nominandi fuissent, nisi populi, qui *studiis suis* ducti Deum aliquem tutelarem sibi elegerunt. *Faunus*, Pan, qui " pinu caput præcinctus acuta;" Metam. i. 699. Eum omnis Arcadia colit. Vide ad ii. 271. Hujus pars *Mænalia* cum oppidis quibusdam; Pausanias, p. 233. *Mænalis ora* ut *Ausonis ora* ii. 94. Armis *rem* (facultates) et *decus*, gloriam parari, et alibi legitur. Vide Burmannum.

87. Etiam Varro auctor fuerat, Romanos nomina mensium a Latinis accepisse, Martiumque mensem a Marte quidem nominatum, verum non quia ille Romuli pater fuerit, sed quia sic Latini; Censorin. de Die Nat. i. 20. De populorum sqq. communi origine e genere Ausonio vide Heynii Excurs. IV. ad Æn. vii. Eos quoque suos *Fastos* habuisse, etiam ex vi. 59. patet, et fragmenta quædam eorum recentioribus temporibus reperta sunt.

91. Inter Aricinos et Tusculanos valet eadem temporis divisio, quæ inter Albanos. *Tempora* scil. menses *constant*, conveniunt, *inter Aricinos, Albanaque mœnia et facta Telegoni manu*. Taubner. monet, posse et *Albana* pro masculino capi, Albanos; et Krebsio *constat*, convenit, magis pla-

Quintum Laurentes, bis quintum Æquicolus asper,
A tribus hunc primum turba Curensis habet:
Et tibi cum proavis, miles Peligne, Sabinis
Convenit; hic genti quartus utrique Deus.
Romulus, hos omnes ut vinceret ordine saltem,
Sanguinis auctori tempora prima dedit,
Nec totidem veteres, quot nunc, habuere Kalendas.
Ille minor geminis mensibus annus erat.
Nondum tradideras victas victoribus artes,
Græcia; facundum, sed male forte genus.
Qui bene pugnarat, Romanam noverat artem:
Mittere qui poterat pila, disertus erat.
Quis tunc aut Hyadas, aut Pleiades Atlanteas
Senserat, aut geminos esse sub axe polos?

cet; quod Heinsius quinque MSS. codd. auctoritate in *constant* mutavit. Tunc *Albana tempora* sunt Albani menses. Durities tamen quædam inest in illa conjunctione, Aricinos, Albana tempora, et Telegoni mœnia. *Telegonus*, Circes filius, Tusculum condidit; Silius, vii. 692. Vid. Cluver. Ital. antiqua iii. 4: et infra ad iv. 71.

93. *Æquicoli*, aut *Æquiculi* aut *Æqui*, ad utramque Anienis ripam incolentes, gens fera et agrestis, quæ armata terram exercebat, venatu et rapto vivebat; Æneid. vii. 746—749. Hinc *asper* Æquicolus. Æn. v. 730. "gens dura atque aspera cultu:" quæ vita *aspera* Æn. ix. 603—613. plenius describitur. Ante Heinsium edeb. *acer*. *A tribus primus*, post tres menses primus, ergo quartus. *Turba Curensis*, incolæ Curium, quæ fuit metropolis Sabinorum. Vulgo *Forensis*; tunc Scaliger, assentiente Neapol. Forulos intelligebat, Sabinorum oppidum; sed vide Burm. *Sabini* antiquissimi stirpis Ausoniæ. Ad eos *Peligni* cum aliis originem referebant; Heyn. Exc. iv. ad Æn. vii. Metropolis eorum Sulmo, patria Ovidii; III. Amorr. xv. 8. Peligni, ut Marsi vicini, fortes *milites* erant.

99. De numero mensium repetit, quod jam i. 27—44. tractavit. Ibi primam ejus numeri causam, inscitiam veterum Romanorum verbo tantum tetigit. Veram autem, nempe Albanos ita divisisse annum utroque loco omisit. Verbis *victas victoribus* ludere voluit, ut Horat. II. Epist. i. 156: "Græcia capta ferum victorem cepit, et artes Intulit agresti Latio." Ubi populus vincitur, vincuntur etiam quæ ejus sunt. Similiter Ovid. supra. i. 523. *victa tamen vinces* lusit. Krebsius *victas* interpr. spretas a Romanis. *Male forte*, parum forte, molle, quatenus succubuit Romanis.

105. Astronomiam potissimum nominat, quia inde temporis divisio pendet. *Sub axe*, in fine utroque axis. *Cynosura*, Arctos minor. Hygin. Poet. Astron. ii. 2. pag. 366: "Omnes qui Peloponnesum incolunt, prior ore utuntur Arcto; Phœnices autem

Esse duas Arctos; quarum Cynosura petatur
  Sidoniis, Helicen Graia carina notet?
Signaque quæ longo frater percenseat anno,
  Ire per hæc uno mense sororis equos?
Libera currebant, et inobservata per annum
  Sidera: constabat sed tamen esse Deos.
Non illi cœlo labentia signa movebant;
  Sed sua; quæ magnum perdere crimen erat:
Illaque de fœno; sed erat reverentia fœno,
  Quantam nunc aquilas cernis habere tuas.
Pertica suspensos portabat longa maniplos;
  Unde maniplaris nomina miles habet.
Ergo animi indociles et adhuc ratione carentes,
  Mensibus egerunt lustra minora decem.

quam a suo inventore (Thalete) acceperuut, observant Cynosuram: et hanc studiosius perspiciendo, diligentius navigare existimantur." Ibi vide Munker. *Notet.* Similiter Metam. iii. 595. nauta ait: "oculis sidera notavi." *Petatur*, quam sequantur. *Ire per hæc*, etc. Quoniam cursus lunæ non multum declinat a cursu solis (verius terræ) propterea et ipsam duodecim signa zodiaci percensere cernimus. Hunc cursum diebus 27. horis 8. conficit; respectu solis autem diebus 29. horis 13.

111. *Libera* eleganter eadem quæ *inobservata*. Sumtum hoc ab hominibus aut pecudibus, quæ, dum *non observantur*, *libere* errare dicuntur. *Non illi*, etc. non illi astronomiæ studebant, sed rei militari. *Signa* habet et cœlum, et exercitus. Hinc ille lusus; in quo tamen *movebant* justo durius etiam ad signa cœlestia relatum. *Signa movebant* erat formula solemnis; jam hic luxurians Ovidii ingenium interponit, non cœlestia, sed sua. *Cœlo labentia*, ut Virgil. Georg. i. 6. "labentem cœlo quæ ducitis annum."

115—118. Hæc melius abessent; nihil enim ad rem pertinent, quum hoc unum moneatur, priscos Romanos astronomiæ fuisse ignaros. *Fœni* autem *manipulos* e perticis suspensos fuisse signa antiquissima et aliunde apparet. Plutarch. Rom. viii: χόρτου καὶ ὕλης ἀγκαλίδα κόντῳ περικειμένην memorat. Ab illis ipsis fœni *manipulis* partes legionis nomen traxerunt. *Aquilis* magna reverentia, præsertim quum ornatæ essent Deorum Imperatorumque imaginibus. Vide ad Plinium paneg. x. 3. *Manipulares*, milites ejusdem signi.

119. *Ratio*, doctrina, scientia siderum. *Lustra* quinquennalia tum nondum condebantur a Romanis. *Annus erat*, etc. Idem jam bis dixit, vers. proximo et 100. *In honore sunt*, quæ crebro adhibentur; Horat. de Art. Poet. 70: "Cadentque Quæ nunc sunt in honore vocabula." *Femina parit.* Confer i. 27 sqq. ibique notata. *Spatia*, decades numerorum.

Annus erat, decimum quum Luna repleverat or-
  Hic numerus magno tunc in honore fuit, [bem:
Seu quia tot digiti, per quos numerare solemus;
  Seu quia bis quino femina mense parit;
Seu quod ad usque decem numero crescente veni-
  Principium spatiis sumitur inde novis. [tur,
Inde pares centum denos secrevit in orbes
  Romulus, hastatos instituitque decem;
Et totidem princeps, totidem pilanus habebat
  Corpora; legitimo quique merebat equo.
Quin etiam partes totidem Titiensibus idem,
  Quosque vocant Ramnes, Luceribusque dedit.
Adsuetos igitur numeros servavit in anno:
  Hoc luget spatio femina mœsta virum.
Neu dubites, primæ fuerint quin ante Kalendæ
  Martis; ad hæc animum signa referre potes.
Laurea Flaminibus, quæ toto perstitit anno,
  Tollitur, et frondes sunt in honore novæ.

127. *Pares*, non *patres*, legendum esse conjecerant Scaliger et Lipsius de militia Rom. ii. 2. idque MSS. potioribus comprobatum Heinsius recepit. Sed id quoque ad senatores retulerunt, quos Romulus ætate et censu *pares* elegerit. Verum ille senatores suos in decem decurias descripsisse nusquam legitur. Laudat quidem Krebs. Liv. i. 17. Verum ibi de interregno sermo est, quo ineunte, patres ipsi decem decurias fecerunt. Neque Ovidius Patres simpliciter *pares* dicturus fuisset, neque eos tam arcte conjuncturus cum *hastatis* et reliquis. Sermo igitur est de militibus, quos ætate et habitu corporis pares in quavis legione in *centum denos orbes*, in denas centurias sive ordines divisit, in decem ordines hastatorum, totidem principum, totidem pilanorum, ut adeo quævis legio tribus millibus militum constaret. Vid. Lipsius d. l. In quavis legione trecenti erant equites, qui *equo publico* merebant, quem Ovidius *legitimum* vocat, legibus constitutum. Ii quoque in *decem* turmas descripti sunt. *Hoc luget*, etc.; confer supra i. 35.

135. Redit ad ver. 97 seq. et *signis*, argumentis quibusdam probare conatur usque ad ver. 150. quod supra posuerat, Martium fuisse mensem primum. Conf. Plutarch. Num. ix; Macrob. I. Sat. xii. *Animum referre*, animum advertere. De *laureis* etiam Macrob. "eodem quoque ingrediente mense, in regia, curiisque atque Flaminum domibus laureæ veteres novis laureis mutabantur." Cf. Solin. c. 3. *Iliaci foci*, ut ver. 29. *ignes Iliaci*. *Cana*, vetus.

Janua nunc regis posita viret arbore Phœbi:
  Ante tuas fit idem, curia prisca, fores.
Vesta quoque ut folio niteat velata recenti,
  Cedit ab Iliacis laurea cana focis.
Adde, quod arcana fieri novus ignis in æde
  Dicitur; et vires flamma refecta capit.
Nec mihi parva fides, annos hinc isse priores;
  Anna quod hoc cœpta est mense Perenna coli.
Hinc etiam veteres initi memorantur honores
  Ad spatium belli, perfide Pœne, tui.
Denique quintus ab hoc fuerat Quintilis: et inde
  Incipit, a numero nomina quisquis habet.
Primus, oliviferis Romam deductus ab arvis,
  Pompilius menses sensit abesse duos;

143. Macrob. d. l. "Hujus etiam mensis die prima ignem novum Vestæ aris accendebant, ut incipiente anno cura denuo servandi novati ignis inciperet." Quomodo illum ignem accenderint, docet Lips. de Vesta cap. 8. Penetralia templi adire non licebat viro. Ibi res arcanæ servabantur; hinc *arcana ædes*. *Fides*, id quod fidem facit, argumentum. *Anna Perenna* fuit ex numero indigetum, et indicabat fausta anni initia. Macrob. dicto loco: "Et publice et privatim ad Annam Perennam sacrificatum itur, ut annare perennareque commode liceat." De hac Dea vide infra ver. 523 sqq. ubi et ejus sacra describuntur, et varia de Dea ipsa referuntur.

147. *Honores* sive magistratus non eodem semper tempore Romæ sunt initi. Primi coss. munus auspicati sunt, quo tempore reges ejecti, ergo Februario ad finem vergente; ii. 685. An. U. C. 291. id Kalendis Sextilibus fieri solebat; an. 304. Idibus Maiis; Livius, iii. 6. 36: sed inde an. 600. Q. Fulvio Nobiliore, T. Annio Lusco coss. Kal. Jan. Liv. Epit. xvii. Ovidius igitur non satis accurate scripsit. *Perfidus Pœnus*, Hannibal, in quo *perfidia plus quam Punica*; Livius, xxi. 4. *Quintus ab hoc*, etc. Eodem argumento usi sunt etiam Plutarch. Macrob. et Solin.

151. *Deducere* esse verbum officii et honoris, ubi cum magno et splendido comitatu aliquem prosequimur, notavit Burmannus. Et Numæ, Curibus relictis Romam venienti, senatum populumque Rom. obviam isse, ut eum sic deducerent, constat; Dionys. ii. 60; Plutarch. Num. vii. *Olivæ Sabinæ* magno pretio erant; Columella, V. viii. 5. Inde et Mutusca in Sabinis *olivifera* a Virg. Æn. viii. 711. dicta. *Samio* Pythagora, cujus institutione Numa vulgo, sed falso, usus esse credebatur, ut jam ad Metam. xv. 7. monuimus. Confer et Dionys. ii. 59. Pythagoram a metempsychosi circumloquitur, *qui posse renasci nos putat*. *Egeria*, Nympha aut Musa, ad cujus velut congressum Numa

Sive hoc a Samio doctus, qui posse renasci
Nos putat; Egeria sive monente sua.
Sed tamen errabant etiamnum tempora; donec
Cæsaris in multis hæc quoque cura fuit.
Non hæc ille Deus, tantæque propaginis auctor
Credidit officiis esse minora suis;
Promissumque sibi voluit prænoscere cœlum,
Nec Deus ignotas hospes inire domos.
Ille moras solis, quibus in sua signa rediret,
Traditur exactis disposuisse notis.
Is decies senos ter centum et quinque diebus
Junxit, et e pleno tempora quarta die.

sæpe, sine arbitris, in lucum quemdam se contulisse, atque sapientiæ præcepta accepisse ab ea credebatur; Dionys. ii. 60. Plura vide ad vers. 261. et 276. Secundum Plutarch. Num. xviii. ipse rerum cœlestium studium libaverat. *Menses duos;* confer i. 44.

155. *Errabant tempora*, confusa erat anni dimensio, turbati erant fasti pontificum vitio per intercalandi licentiam; Censorin. de D. N. xx. Et erat tanta perturbatio, ut neque messium feriæ æstati, neque vindemiarum autumno competerent; Sueton. Jul. Cæs. xl. "Inconstantiam temporum, vagam adhuc et incertam" vocat Macrob. Errant autem Livius et Plutarchus qui a Numa jam cyclum quatuor et viginti annorum invectum esse putant. Omnino quid Numa in digestione anni lunaris mutaverit, quid non, docet Ideler. in libro: *Historische Untersuchungen über die astronomischen Beobachtungen der Alten*, in additamentis, p. 346 sqq. An. U. C. 708. qui fuit xv. mensium, aut 445. dierum, *C. Julius Cæsar*, Pontifex M. a M. Flavio et Sosigene adjutus, ad cursum solis accommodavit annum, mutuans eam rationem ab Ægyptiis: Sueton. Cæs. xl; Plin. xviii. 57; Macrobius, I. Sat. xiv; Scaliger de Emend. Temp. lib. iv. init. Ideler. p. 363. Illo tempore Cæsar nondum erat *Deus*, sed Ovidius apotheosin admiscere, reique quam tractat, accommodare voluit. *Promissumque*, etc. Mortui Cæsaris anima in stellam crinitam abiisse credita est; Suetonius, lxxxviii. Hinc ille lusus.

161. *Moræ*, tempora, quibus sol in singulis zodiaci signis moratur, post quæ in primum signum revolvitur. Secundum Macrob. M. Flavius scriptos dies singulos ita ad dictatorem retulit, ut et ordo eorum inveniri facillime posset, et invento certus status perseveraret. *Exactis*, certis. *Is—junxit.* Sensus facilis: is effecit annum solarem 365. dierum. *Consummare*, ex partibus componere, ut totum efficiatur. Tota illa dies componitur senis illis horis, quæ singulis annis superant. Cæterum miror Ovidium hic desiisse, nec quidquam de novo errore dixisse, quem Augustus correxit; de quo Macrob. d. l.

Hic anni modus est: in lustrum accedere debet,
Quæ consummatur partibus, una dies.
Si licet occultos monitus audire Deorum
Vatibus; ut certe fama licere putat;
Quum sis officiis, Gradive, virilibus aptus,
Dic mihi matronæ cur tua festa colant?
Sic ego; sic posita dixit mihi casside Mavors;
Sed tamen in dextra missilis hasta fuit:
Nunc primum studiis pacis, Deus utilis armis,
Advocor; et gressus in nova castra fero:
Nec piget incœpti: juvat hac quoque parte morari;
Hoc solam ne se posse Minerva putet.

167—258. *Matronalia*, quæ Kal. Mart. a matronis Romanis celebrabantur. Die illo satis religioso sacra fiebant Junoni pro matrimonii felicitate, atque munera mittebantur tum uxoribus a maritis, tum aliis ab aliis; Plutarch. Rom. xxi; Horat. III. Od. viii. init. Tibullus, III. i. init. ibique Intt. Sacra ipsa paucis Ovid. attingit in fine, sed totus est in causis ecrum quinque afferendis.

Jam in principio libri Martem, ut sibi per hunc mensem adesset, invocaverat. Nunc denuo eum appellat, et, ut i. 89 sqq. multa ex Jano, sic hoc loco causas Matronalium ex ipso scisciatur, et hunc quoque Deum facilem habet. *Si licet*, etc. si poetis licet res abditas cognoscere a Diis. *Monent* Dii, quum hominibus aliquid revelant quocumque modo. *Fama putat*, namque, præeunte Homero, multi deinceps poetæ, et in primordio, et in singulis operis partibus, Deos canere jusserunt argumenta proposita. *Quum sis—aptus*, quum a viris coli soleas. *Officium*, cultus, honos, qui alicui habetur, ut i. 5. libro dedicando. Ut clientes et amici *in officio Consulis* aut *Prætoris esse* dicebantur, quum eos deducendo colerent, sic et cultus Deorum simili modo exprimi poterat. Itaque et nunc *officia virilia* opponuntur *festis matronarum*. Lenzio contra *virilibus officiis aptus* est is, qui negotiis viril. præest.

171. Fit, quod poeta vers. 1, 2. 7. precibus poposcerat, ex parte; namque *cassidem* deponit Mars, *hastam* retinet. Ac *cassis* quidem deponi in conventu aliorum solebat a militibus, ut os vultusque cerni possent, ne vocis iter præpedirctur, neve ipsi terribiles viderentur. *Hastam* retinet, ut divinitatis et officii sui signum, vid. Met. xiv. 806. *Studiis pacis advocor*, invocor, ut poetæ partem carminis suppeditem. Omni enim seq. loco Mars loquitur. *Utilis armis*, idoneus armis tractandis; sic Curius *utilis bello*, Horat. I. Od. xii. 42. Operam hanc suam bene *ingressum in nova castra* vocat, ut Ovid. ii. 9. suum studium *militiam* et *arma*. *Minervam* Ovidius ipse ver. 7. in exemplum vocavit, idque nunc pungit Martis animum. *Vates operose dierum* etiam i. 101. legitur. *Memori pectore nota dictum*, ut Horat. Art. Poet. 367. *hoc tibi dictum Tolle memor*, percipe et memoria tene.

Disce, Latinorum vates operose dierum,
  Quod petis; et memori pectore dicta nota.
Parva fuit, si prima velis elementa referre,
  Roma: sed in parva spes tamen hujus erat.
Mœnia jam stabant, populis angusta futuris;
  Credita sed turbæ tunc nimis ampla suæ.
Quæ fuerit nostri, si quæris, regia nati;
  Adspice de canna straminibusque domum.
In stipula placidi carpebat munera somni;
  Et tamen ex illo venit in astra toro.
Jamque loco majus nomen Romanus habebat:
  Nec conjux illi, nec socer ullus erat.
Spernebant generos inopes vicinia dives;
  Et male credebar sanguinis auctor ego:
In stabulis habitasse, boves pavisse, nocebat,
  Jugeraque inculti pauca tenere soli.
Cum pare quæque suo coeunt volucresque feræque,
  Atque aliquam, de qua procreet, anguis habet.

179—232. Prima causa, eaque vera, quam etiam Plutarchus, dicto loco, habet, cui referendæ Noster diu immoratur: *Matronæ sub Romulo bellum cum Sabinis diremerunt. Elementa*, origines urbis. *Hujus*, qualis nunc est, amplissimæ. *Spes* illa erat etiam e vaticiniis, v. c. Evandri; Livius, i. 7. *Populi* sæpe incolæ unius urbis. De *regia* Romuli vide ad i. 199. Ovidii ætate adhuc spectabatur; hinc *adspice*. *In stipula*. Cf. i. 205 sqq. Nunc quidem hæc non pertinent ad rem propositam. *Munera somni*, ipse somnus. *Et tamen*, etc. in tenuitate illa vitæ tamen immortalitatem meruit. Sententia Romanis luxuriosis admodum commendanda. ii. 478. Romulus *a telo venisse in astra* legitur.

187. Sequitur raptus Sabinarum, qui accidit anno quarto ab urbe condita. Cf. Dionys. ii. 30 sqq.; Plutarch. Rom. xiv.; Liv. i. 9. *Majus*. Sed illa magnitudo hominis ætatem duratura erat, quippe quibus nec domi spes prolis, nec cum finitimis connubia essent; Liv. d. l. qui idem et verba contumeliosissima affert, quibus finitimi contemtum declaraverint. Non tam boves pavisse, quam convenas esse, colluviem hominum, nocebat. *Male*, vix, parum.

193. Vim illius contemtus monstrat. Pluribus hæc Art. Amat. ii. 481—488. persequitur. *Procreet* absolute positum. *Extremis*, vel remotissimis, adeoque gentibus in toto terrarum orbe. *Dantur connubia*, permittitur e populo vicino uxores ducere.

Extremis dantur connubia gentibus: at, quæ
  Romano vellet nubere, nulla fuit.
Indolui; patriamque dedi tibi, Romule, mentem:
  Tolle preces, dixi: quod petis, arma dabunt.
Festa para Conso: Consus tibi cætera dicet,
  Illo facta die quum sua sacra canet.
Intumuere Cures, et quos dolor attigit idem:
  Tum primum generis intulit arma socer. [bant;
Jamque fere raptæ matrum quoque nomen habe-
  Tractaque erant longa bella propinqua mora.
Conveniunt nuptæ dictam Junonis in ædem;
  Quas inter mea sic est nurus orsa loqui:

197. *Patriam mentem*, quæ vim et arma spectat. *Tolle preces*, ut Met. xiii. 556. "tolle moras;" Horat. I. Epist. xii. 3. "tolle querelas." *Consus*, nomen Neptuni equestris; Livius, i. 9. Secundum Dionys. i. 33. jam Arcades in Italia Neptuno Hippio templum consecrarunt, diemque ei sacrum Hippocratia dixerunt, Romani autem consualia; unde post ludi circenses. Cf. idem ii. 31; Plutarch. Rom. xiv. *Illo—canet.* Sic hæc verba edidi e conject. Gronov. Obs. ii. 21. probata etiam Heinsio. Hoc enim sibi vult Mars: quid illo die festo factum sit, jam tibi, Naso, non narrabo; ipse Consus dicet, ubi libro operis tui octavo, mense sextili, a te invocatus, sacra sua tibi referet. Sic omnia plana. Vulgo: *Ipso festa die dum sua sacra canes.* Sed *festa sacra* non bene dicuntur, neque *ipso* habet, quo commode referatur. Multi *illo* aut *illa*.

201. *Cures*, Sabini, quorum omnis multitudo cum liberis ac conjugibus venit; Liv. *Quos dolor*, etc. Cæninenses, Crustumini, Antemnates. Verbis *tum primum*, etc. Douzæ videtur poeta dissimulanter sugillasse belli civilis auctores, Pompeium et Cæsarem affines. Impietas illius belli sic notatur etiam a Liv. i. 13. ubi mulieres orant, "ne se sanguine nefando soceri generique respergant."

203. *Matrum nomen.*] Nempe triennium exactum erat ab initio belli usque ad reditum in gratiam. *Mora* scilic. Sabinorum: "Mora trahi bellum" dicitur etiam Livio ix. 27. *Dictam*, constitutam. *Nurus* Martis *Hersilia*, quam et ipsam, tamquam virginem, quum nupta esset, raptam esse nonnulli tradiderant. Dionys. ii. 45. qui proxime ad verum videtur accedere, Hersiliam cum filia rapta sponte in urbe mansisse. Is quoque hanc mulierum concionem et Hersiliæ consilium refert; quin addit, eamdem duxisse mulierum turbam in castra, et ibi quoque verba fecisse. In Antemnatium causa Liv. i. 11. ei partes quasdam dat. *Commune* scil. nomen. *Lente piæ*, quas pietas æqua in patres et in maritos frigide sedere jubet, nec quidquam moliri patitur. *Quærendum*, etc. Sic et apud Livium mulieres: "Melius peribimus, quam sine alteris vestrum viduæ, aut orbæ vivemus." *Consilium* ipsum non memoratur, sed quale fuerit, jam e sqq. apparet. Similiter Virgilius, Æneid. i. 50 sqq.

O pariter raptæ, quoniam hoc commune tenemus,
Non ultra lente possumus esse piæ:
Stant acies; sed utra Dî sint pro parte rogandi,
Eligite; hinc conjux, hinc pater arma tenent.
Quærendum, viduæ fieri malimus, an orbæ:
Consilium vobis forte piumque dabo.
Consilium dederat: parent; crinemque resolvunt;
Mœstaque funerea corpora veste tegunt.
Jam stabant acies ferro mortique paratæ;
Jam lituus pugnæ signa daturus erat;
Quum raptæ veniunt inter patresque virosque;
Inque sinu natos, pignora cara, ferunt.
Ut medium campi passis tetigere capillis,
In terram posito procubuere genu:
Et, quasi sentirent, blando clamore nepotes
Tendebant ad avos brachia parva suos.
Qui poterat, clamabat avum, tum denique visum:
Et qui vix poterat, posse coactus erat.
Tela viris animusque cadunt; gladiisque remotis
Dant soceri generis, accipiuntque manus.

214. Etiam apud Dionysium et Plutarchum, vestibus lugubribus indutæ, infantesque in sinu gestantes avolant in castra, ibique procumbunt in terram. Sed magis illæ placent, quales a Livio notantur: "Crinibus passis scissaque veste, ausæ se inter tela volantia inferre, ex transverso impetu facto," etc.

221. *Quasi sentirent* nempe, quid ageretur. *Clamabat avum*, clamando appellabat avum. *Posse coactus erat*; incitabatur a matre, ut avum balbutiret. Fluxit e luxuria ingenii Nasoniani. Taubnerus putat, matres dolores creasse natis, ut clamarent, *Ah væ!* quod fere sonaret, ut *ave*. Sic et Krebsius. Ridiculum scilicet!

225. Repentina animorum mutatio. Omnes, qui aderant, cum omnibus armis suis memorantur, breviter tamen. *Tela—cadunt*, et iræ virorum molliuntur, et tela ad mortem inferendam parata deponuntur. Metam. iv. 175. Vulcano obstupefacto "et mens, et quod opus fabrilis dextra tenebat, Excidit;" ubi v. not. *Tenere* idem fere, quod amplecti, quo cum verbo interdum conjungitur, ut notatum ad Plinii VI. Ep. vii. 1. Affectus avorum jucundo figmento proditur. *Scutoque*. Burman. dubitat, utrum mox *scuti* legendum sit, an cum quibusdam *scutis*, quia *usus* utrumque casum patitur. *Œbalides*, quia Sabini ex opinione vulgari genus ducebant e

Laudatasque tenent natas ; scutoque nepotem
Fert avus : hic scuti dulcior usus erat.
Inde diem, quæ prima, meas celebrare Kalendas
Œbalides matres non leve munus habent.
An, quia, committi strictis mucronibus ausæ,
Finierant lacrymis Martia bella suis ?
Vel, quod erat de me feliciter Ilia mater ;
Rite colunt matres sacra, diemque meum.
Quid ? quod hiems, adoperta gelu, nunc denique
Et pereunt victæ sole tepente nives. [cedit,
Arboribus redeunt detonsæ frigore frondes :
Uvidaque e tenero palmite gemma tumet.
Quæque diu latuit, nunc se, qua tollat in auras,
Fertilis occultas invenit herba vias.
Nunc fecundus ager : pecoris nunc hora creandi :
Nunc avis in ramo tecta laremque parat.

Lacedæmoniis, quorum rex antiquissimus *Œbalus*. Vide ad i. 260.

231. Si paulo ante *inde* interpretaris, propterea, hi duo versus *An—suis* otiose additi sunt. Malim igitur, *inde*, ab illo tempore. Jam hic dubitat, utrum id factum sit, quia mulieres *committi*, etc. an propter Romuli partum ex Ilia. Etenim *an* pauci tantum MSS. habent ; cæteri *aut* exhibent. *Committi*, se committere, se inferre inter strictos gladios. *Sacra, diemque meum*, primum mensis a me dicti diem, quo mihi sacra fieri debent. Secundam igitur causam uno versu attigit.

235. Tertia causa : " Tempore fecundo pars est matronas fecunditatem precibus exposcere a Junone." Cum hac vernæ vicissitudinis descriptione cf. i. 151 sqq. *Adoperta gelu*, glacialis Virg. dicitur. Hiems jam Febr. die septimo *cedere* credebatur, sed sæpe recurrebat ; ii. 150. 854. Recurrebat etiam, auctore Columella, identidem per totum Martium. *Pereunt victæ*, liquescunt, contabescunt. *Perire* sic de nivibus etiam Plinius, I. Ep. xv. 2. Bene *detonsæ frigore*, præsertim quum frondes sæpe cum coma comparentur. " Tonsa oliva." Virgil. Georg. iii. 20. *Herbæ* incrementa suaviter descripta. *Occultas* illas *vias* Virg. Georg. i. 89. " cæca spiramenta" vocat, quamquam et *vias* atque *venas*.

241. Calpurn. Ecl. v. 22. de verno tempore : " Tunc Venus et calidi scintillat fervor amoris, Lascivumque pecus salientes accipit hircos." *Larem* etiam apibus tribuit Virg. Georg. iv. 43. et *penates* ver. 155. *Quarum militiam*, etc. Taubn. explicat : quarum proles vel militis officio fungatur, vel sacerdotio, sive *votis*, oportet. Immo *partus*, actus pariendi, quem uxores in votis habent, et in quo *militia* earum (conf. ii. 9.) cernitur.

Tempora jure colunt latiæ fecunda parentes,
Quarum militiam votaque partus habet.
Adde, quod excubias regi Romanus agebat,
Qua nunc Esquilias nomina collis habet.
Illic a nuribus Junoni templa Latinis
Hac sunt, si memini, publica facta die.
Quid moror, et variis onero tua pectora causis?
Eminet ante oculos, quod petis, ecce tuos.
Mater amat nuptas; matris me turba frequentant:
Hæc nos præcipue tam pia causa decet.
Ferte Deæ flores: gaudet florentibus herbis
Hæc Dea: de tenero cingite flore caput.
Dicite, Tu lucem nobis, Lucina, dedisti;
Dicite, Tu voto parturientis ades.
Si qua tamen gravida est; resoluto crine precetur,
Ut solvat partus molliter illa suos.
Quis mihi nunc dicat, quare cœlestia Martis
Arma ferant Salii, Mamuriumque canant?

245. Quarta causa, quam etiam Festus memorat: "Martias Kalendas matronæ celebrant, quod eo die Junonis Lucinæ ædes coli cœpta sit." Posita autem illa ædes in eo Esquiliarum vertice fuit, qui Cispius dictus. De illo monte etiam Varro, iv. 8: "Esquilia Salii scripserunt ab excubiis regis dictas." Hanc etymologiam Noster quoque afferre voluit: excubiæ ibi agebantur Romulo, quum Titum Tatium infidæ societatis suspectum haberet.

249. Quinta causa, eaque Marti maxime decora: "Junonis amor in nuptas, et inde harum amor adversus Martem." *Mater* mea Juno. *Matris turba*, turba matronarum matrem colentium, *me frequentant*, celebrandum sibi sumserunt primum mei mensis diem: qua pietate ergo simul color. Taubnero videtur his verbis et hæc sententia subjici posse: ideo, quod mater quælibet filias suas amat, me *matrum* (sic ante Heins. edeb.) turba frequentant, ut cladem a generis avertam.

253. Exhortatio ad Deam rite et pie colendam. *Florentes herbæ* sunt ipsi flores; Virg. Ecl. ix. 19. "humum florentibus herbis spargere." In Matronalibus, ut in aliis sacris, flores esse adhibitos etiam ex Horatii d. l. patet. Quomodo adhibendi sint, jam additur, *de tenero cingite flore caput* effigiem Junonis. Et *de tenero flore* dictum, ut "canitiem largo de pulvere turpat" apud Claudianum, xix. 25.

259—398. *Saliorum origo et fes-*

Nympha, mone, nemori stagnoque operata Dianæ :
Nympha, Numæ conjux, ad tua facta veni.
Vallis Aricinæ sylva præcinctus opaca
Est lacus, antiqua relligione sacer.

tum.] Secundum Plutarch. Num. cap. 13. octavo regni Numæ anno, quum pestis per Italiam sæviret, atque Romam etiam exhauriret civibus, pelta ænea e cœlo delabitur. Numa ex Egeria Musisque se ait comperisse, missam illam esse in urbis salutem, servandamque cum undecim aliis scutis ejusdem formæ. Quo facto, morbus cessavit. Hinc rex Salios instituit, peltarum istarum custodes et ministros. Dionys. ii. 71. hoc unum narrat, scutum quoddam in Numæ regia inventum esse, a nullo mortali illatum. Verum Ovidius vel ipse, vel alios auctores secutus, aliud miraculum immiscuit, quod Plutarch. cap. 15. refert. Arnobius autem, lib. v. pag. 154. ex Antiate repetit et exagitat. Namque fulmina quum aliquando plurima cecidissent, Numa, monente Egeria, Picum et Faunum, vi adhibita, consulit de iis expiandis. Horum arte Jupiter cœlesti e sede ad colloquium cum Numa elicitur, eumque docet, qua ratione fulmina sint procuranda; quin pignora imperii certa ei promittit. Promissum fides sequitur ; altero enim die inter tonitrua et fulgura scutum leniter, populo spectante et acclamante, decidit. Id ne furto auferri possit, Mamurius opifex jubetur plura scuta ejusdem figuræ facere.

259—262. Nova invocatio. *Marti Gradivo* lecti erant Salii, Liv. i. 20. et in æde ejus arma cœlestia servabantur. De *Mamurio* vide ver. 383. Egeria mox *Nympha* aut *Dea* vocatur ; mox Musis annumeratur ; Dionys. ii. 60. A Liv. i. 21. concilia Musarum cum Egeria memorantur. Idem eamdem et *conjugem* Numæ vocat, ubi Strothio hæc vox forte sine causa suspecta erat. Secundum alios scriptores non nisi nocturnos cum ea congressus habuit in antro quodam. Ea nunc commode invocatur, quippe pars fabulæ seq. De *nemore* et *stagno Dianæ* mox plura. Ibi Egeriam *operari Dianæ* recte dici negat Heins. quia potius gemitu questuque "sacra Dianæ impedit," Metam. xv. 489. *Operari* etiam est operam dare ; sed tunc fere nomen rei additur, non loci. *Ad tua facta veni*, ades ad facta tua mihi suppeditanda.

263—275. Nemus Dianæ prope Ariciam, urbem Latii, et in eo Egeriæ fons describitur. Conf. Met. xv. 479 sqq ; Virg. Æn. vii. 761 sqq. et inprimis Strabo, lib. v. pag. 239. Non pertinet hic locus ad rem, sed insertus est varietatis et copiæ causa. Prope *Ariciam*, sub Albano monte, *nemus* erat cum *lacu*, in quo nemore *Diana* colebatur peregrino more, qui Scythicum ritum referebat. Hinc fabula nata videtur de Diana Taurica ab Oreste, Thoante rege interfecto, illuc translata. In eodem templo Dianæ heros indigena Virbius cultus, ex quo seriores *Hippolytum* fecere. Vid. Heynii Exc. viii. ad Æn. vii. De *Hippolyti* fatis et tristi morte vid. ad Met. dict. loc. *Furiis*, furore, gravius est quam, quod olim edebatur, *loris*, quamquam apud alios auctores *lororum* quoque mentio fit, ubi Hippolyti necem narrant. Sequentia *nullis initur* (vulgo *aditur*) *equis*, notat etiam ipse Virgil. causa addita : "Unde etiam Triviæ templo lucisque sacratis Cornipedes arcentur equi, quod litore currum Et juvenem monstris pavidi effudere marinis."

Hic latet Hippolytus furiis direptus equorum; 265
Unde nemus nullis illud initur equis.
Licia dependent, longas velantia sæpes,
Et posita est meritæ multa tabella Deæ.
Sæpe potens voti, frontem redimita coronis,
Femina lucentes portat ab urbe faces. 270
Regna tenent fortesque manu, pedibusque fugaces;
Et perit exemplo postmodo quisque suo.
Defluit incerto lapidosus murmure rivus:
Sæpe, sed exiguis haustibus, inde bibes.
Egeria est, quæ præbet aquas, Dea grata Camenis:
Illa Numæ conjux, consiliumque fuit. 276
Principio nimium promtos ad bella Quirites
Molliri placuit jure, Deûmque metu.

267. Sic superstitio veterum colere solebat loca sacra. Metam. viii. 744: "Vittæ mediam (arborem) memoresque tabellæ Sertaque cingebant, voti argumenta potentis." *Tabellæ* illæ effigie Deæ titulisque insignitæ erant. Vide Heyn. ad Tibul. I. iii. 28. *Velare* verb. pr. in hac re. Mulieres *potentes voti*, compotes factæ voti, Dianæ vota solvebant etiam sic, ut facibus delatis ardentibus lucum ejus illustrarent. Vid. Wernsdorf. Exc. vii. ad Gratii Cyneg. Matronis se immiscebant etiam puellæ amantes. Itaque Propert. II. xxiii. 39. suæ exprobrat, quod velit "accensis currere tædis In nemus, et Triviæ lumina ferre Deæ." Sacerdos Dianæ in illo nemore *Rex Nemorensis* dictus. Id sacerdotium servi fugitivi (*pedibus fugaces*, δραπέται Strab.) ad se rapiebant, ita quidem, ut *manu fortior* priorem sacerdotem interficeret: quem morem Strabo d. l. βαρβαρικὸν καὶ Σκυθικὸν ἔθος vocat. Conf. Art. Amat. i. 260. ubi "parta per gladios regna nocente manu."

273. *Egeria*, Numa mortuo, in illo nemore abdita, præ mœrore in *fontem* mutata est; Metam. dict. loc. *Incertum*, quia adstantibus non apparet unde sit. Strabo de lacu Dianæ, αἱ δ' ἀποῤῥύσεις ἐντᾶυθα μὲν ἄδηλοι εἰσὶν, etc. *Exiguis haustibus*, forte quia ei vis quædam peculiaris tribuebatur. *Grata Camenis*; vid. ad ver. 259. *Consilium*. Dionys. vocat eam διδάσκουσαν τὴν βασιλικὴν σοφίαν. Et simulabat Numa, ejus se monitu, quæ acceptissima Diis essent, sacra instituere; Liv. i. 19.

277—284. Summa meritorum Numæ, qui conatus est τὴν πόλιν, ὥσπερ σίδηρον, ἐκ σκληρᾶς καὶ πολεμικῆς μαλακωτέραν ποιῆσαι καὶ δικαιοτέραν· Plutarch. Num. 8. ubi plura de audacissima civium ferocia. Etiam a Dionys. 62. ἐυσέβειαν πρῶτον διδάσκων, ἔπειτα δικαιοσύνην Numa inducitur. *Firmior*, robustior, viribus valentior; Plin. III. Epist. ix. 11. "robustissimus et firmissimus." *Sacra* et a Romulo *tradita* renovavit Numa, et ipse plura addidit; Dionys. 63

Inde datæ leges, ne firmior omnia posset:
  Cœptaque sunt pure tradita sacra coli.
Exuitur feritas, armisque potentius æquum est:
  Et cum cive pudet conseruisse manus.
Atque aliquis, modo trux, visa jam vertitur ara;
  Vinaque dat tepidis salsaque farra focis.
Ecce Deûm genitor rutilas per nubila flammas
  Spargit, et effusis æthera siccat aquis.
Non alias missi cecidere frequentius ignes:
  Rex pavet, et vulgi pectora terror habet.
Cui Dea, Ne nimium terrere; piabile fulmen
  Est, ait; et sævi flectitur ira Jovis:
Sed poterunt ritum Picus Faunusque piandi
  Prodere, Romani numen uterque soli.

Pure id quod pie. Tibul. I. iii. 25: "Pie dum sacra colis, pureque lavari Te, et puro secubuisse toro. *Exuitur.* Burm. cum MSS. Farnes, et Ambros. tamquam verb. efficacius malit, *exigitur.* Mihi vero alterum verbum satis grave et elegans videtur; Claudian. xv. 397: "Naturamque simul, fratremque cruentus Exuit." *Atque aliquis,* etc. Vim religionis in mentibus Quiritium declarat; itaque vis in voc. *modo* et *jam* inest. *Vertitur* rectius cum Burman. interpretaberis, mutatur, quam cum Neap. corpus dextrorsum circumagit more adorantium. *Trux* ad ingenium violentum referendum.

285. Nunc demum narratio ipsa incipit, cujus prior pars simillima reperitur iis, quæ Virg. Georg. iv. 387 sqq. de Cyrene, Aristæo et Proteo habet. Neque tamen hæc adsimilavit Ovid. sed hausit ex Antiatis libro secundo, ficta, ut Plutarch. monet, a superstitione antiquissimæ ætatis. Liv. igitur i. 20. iis spretis auguriis Numam consuluisse Jovem Elicium narrat, quæ suscipienda essent atque procuranda. Jupiter *per nubila* flammas spargens, minus terribilis, quam "per purum tonantes equos agens;" Horat. I. Od. xxxiv. 8. Itaque Julio Cæsare interfecto, "Non alias cœlo ceciderunt plura sereno Fulgura;" Virg. Georg. i. 487. De formula *pectora terror habet,* vide ad Met. ix. 291.

289. *Dea,* Egeria. *Piare, expiare* et ver. 343. *procurare fulmen* Arnob. d. l. sic circumloquitur: "Scire remedia, quibus averti possint, quæ per fulminis jactum in humanis fieri *Jupiter* constituerit rebus." *Faunus, Pici* filius, Aboriginum rex, vir prudens, quem Romani, ut Deum patrium atque fatidicum, sacrificiis et carminibus colebant; Dionys. i. 31. Sed jam ante Romam conditam, oraculum ejus consulebatur; Æn. vii. 81: "At rex sollicitus monstris, oracula Fauni, Fatidici genitoris, adit." Sed in societatem honoris divini etiam *Picus* venit. Plutarch. dicto loc. iis medicamentorum scientiam tribuit, atque artium magicarum. Vid. Heyn. Exc. v. ad Æn. vii.

Nec sine vi tradent: adhibeto vincula captis,
Atque ita, qua possint, erudit, arte capi.
Lucus Aventino suberat niger ilicis umbra,
Quo posses viso dicere, Numen inest.
In medio gramen, muscoque adoperta virenti
Manabat saxo vena perennis aquæ.
Inde fere soli Faunus Picusque bibebant.
Huc venit, et fonti rex Numa mactat ovem:
Plenaque odorati disponit pocula Bacchi;
Cumque suis antro conditus ipse latet.
Ad solitos veniunt silvestria numina fontes;
Et relevant multo pectora sicca mero.
Vina quies sequitur: gelido Numa prodit ab antro;
Vinclaque sopitas addit in arta manus.
Somnus ut abscessit; tentando vincula pugnant
Rumpere: pugnantes fortius illa tenent.
Tum Numa: Dî nemorum, factis ignoscite nostris,
Si scelus ingenio scitis abesse meo;

295. Fauni oraculum in luco Albuneæ erat; Virg. Æn. vii. 81 sqq. ubi vide Int. Sed nunc prior lucus memoratur, sub *Aventino*, quem olim largos habuisse *fontes*, *lucosque* opacos, e Plutarchi dict. loc. discimus. *Niger*, a nigricante ilicis virore; Metam. ix. 664, "nigraque sub ilice manat." Cul. 138. "Ilicis et nigræ species." Sic melius capies, quam de umbra obscura. *Inde soli—bibebant*, quia ipsis sacer. Arnob. "illis aquandi solemne iter huc fuit."

301. *Odoratus Bacchus*, vinum odorum, adeoque generosum, etiam Georg. iv. 279. Arnob. "liquoribus odoratis fragrantia pocula." Sed pro *Dis ponit*, quod Heins. non nisi ex ingenio suo dederat, *disponit* revocavi, etiam propter Arnob. apud quem Numa pocula "non parvi numeri" vino mulsoque complet. Apud Plutarch. vero fontem ipsum, ex quo illi bibere solebant, vino miscet et melle. *Cum suis.* Nempe castos duodecim juvenes secum ductos celavit apud aquam cum vinculis; Arnob. dict. loc. *Antrum* forte illud ipsum, in quo congressus cum Egeria habebat; etenim id quoque sub Aventino.

305. *Vina quies sequitur.*] Sopor gravis ex ebrietate intel. Vid. Arnob. Secundum Plutarch. hi capti, æque ac Proteus, in varias se mutarunt formas, oculisque horrendas objecerunt imagines. Hæc Noster omisit, forte quia nolebat cum Virgilio concertare. *Tentare*, periculum facere, an possis aliquid efficere. *Fortius tenent*, arctius continent; Metam. ii. 127. *fortius utere loris*, de auriga.

Quoque modo possit fulmen monstrate piari.
Sic Numa; sic quatiens cornua Faunus ait:
Magna petis: nec quæ monitu tibi discere nostro
Fas sit: habent fines numina nostra suos.
Dî sumus agrestes, et qui dominemur in altis
Montibus: arbitrium est in sua tela Jovi.
Hunc tu non poteris per te deducere cœlo:
At poteris nostra forsitan usus ope.
Dixerat hæc Faunus: par est sententia Pici.
Deme tamen nobis vincula, Picus ait.
Jupiter huc veniet, valida deductus ab arte:
Nubila promissi Styx mihi testis erit.
Emissi quid agant laqueis, quæ carmina dicant,
Quaque trahant superis sedibus arte Jovem,
Scire nefas homini: nobis concessa canantur,
Quæque pio dici vatis ab ore licet.
Eliciunt cœlo te, Jupiter, unde minores
Nunc quoque te celebrant, Eliciumque vocant.

312. Concussio capitis nunc difficultatem rei propositæ indicat. *Nec quæ monitu*, etc. Tradiderant tamen nonnulli, didicisse hanc procurationem Numam ab ipsis. Vide Plutarch. *Numina nostra*, vis, potestas nostra divina. *Hunc tu non poteris*, etc. Apud Arnob. instituunt regem, quibus ipse Jovem modis et sacrificiis ad terras eliciat. *Deducere* verb. pr. magarum, quæ et lunam "cœlo deducere" poterant. Plutarch. καταγαγεῖν τὸν Δία μαγεύσαντας.

321. Lectio *deductus ab arte* verissima mihi videtur; namque *deducere*, quod ver. 317. præcesserat, hic commode repetitur, et *valida* bene convenit τῷ *arte*, et *ab arte* est ope artis. Male Taubn. putat, hunc usum præpositionis *ab* inusitatum esse. *Nubila*, quia nebulas exhalat iners; Met. ii. 435.

323 sqq. Excusat se Ovidius, quod non enarrat, quid Dii illi egerint, ut iv. 552. *Carmina* Neap. intel. verba Pontificis, quum fulmina condebat. Immo formula incantationis cogitanda, qua illi Jovem eliciebant; ii. 426. De formula *scire nefas*, de iis, quæ scire conari impium est, vid. Bentl. ad Horat. I. Od. xi. 1.

327. Liv. i. 20: "Ad ea elicienda ex mentibus divinis, Jovi Elicio aram in Aventino dicavit, Deumque consuluit auguriis, quæ suscipienda essent." *Minores*, posteri. De *tremore* illo, divinæ præsentiæ signo, alibi dictum; couf. ii. 439. Numam horror ille sacer corripit, Deo viso; et in precibus solemnis erat illa conditio, si te pie colui. Et cultum nunc per *donaria*, pietatem per *puras manus* exprimit. *Da piamina*, edoce piamina.

Constat Aventinæ tremuisse cacumina silvæ:
Terraque subsedit pondere pressa Jovis.
Corda micant regis: totoque e pectore sanguis
Fugit; et hirsutæ diriguere comæ.
Ut rediit animus, Da certa piamina, dixit,
Fulminis, altorum rexque paterque Deûm;
Si tua contigimus manibus donaria puris;
Hoc quoque, quod petitur, si pia lingua rogat.
Annuit oranti: sed verum ambage remota
Abdidit, et dubio terruit ore virum.
Cæde caput, dixit: cui rex, Parebimus, inquit:
Cædenda est hortis eruta cepa meis.
Addidit hic, Hominis: Summos, ait ille, capillos.
Postulat hic animam: cui Numa, Piscis, ait.
Risit; et His, inquit, facito, mea tela procures,
O vir colloquio non abigende meo.
Sed tibi, protulerit quum totum crastinus orbem
Cynthius, imperii pignora certa dabo.
Dixit, et ingenti tonitru super æthera motum
Fertur, adorantem destituitque Numam.

337. *Ambages* de ambiguis et obscuris oraculorum verbis dici, notum est; iv. 668: Metam. vii. 761. At qui verum abdit, dubioque alterum terret ore, is ambages illas non removet. Obscuritas nunc erat a brevitate, qua Jupiter Numæ sapientiam tentabat; itaque *ambages* circuitionem interpretabimur; colloquium autem illud, auctore Plutarcho, sic fere informabimus. J. Fulmina procura capitibus. N. ceparumne? J. hominis. N. crinibusne? J. animalis. N. mænis? J. ridens, His facito, etc. Atque tribus illis rebus Plutarchi adhuc ætate Romani procurabant. De *mœna*, genere *piscium*, vid. ad ii. 578.

346. *Pignora imperii*, munera Deorum fatalia, quorum conservatione perpetuitas et salus imperii nitebatur. Vid. Bœcler. de pignoribus imperii. Ea erant Palladium et, quod nunc promittitur, scutum cœleste. Male Rutil. Itin. ii. 55. libros Sibyllinos addit. Vid. Wernsdorf. Exc. viii. extr. Dii, quando e conspectu hominum avolabant, signa quædam dabant divinitatis suæ; Heyn. Excurs. xiii. ad Æn. i. Jupiter nunc cum *tonitru* aufertur. Eo *moveri* cœlum sæpe dicitur, ut multis docet Heins. *Destituit*, reliquit.

Ille redit lætus, memoratque Quiritibus acta:
Tarda venit dictis, difficilisque fides.
At certe credemur, ait, si verba sequatur
Exitus: en, audi crastina, quisquis ades.
Protulerit terris quum totum Cynthius orbem,
Jupiter imperii pignora certa dabit.
Discedunt dubii, promissaque tarda videntur;
Dependetque fides a veniente die.
Mollis erat tellus roratæque mane pruina:
Ante sui populus limina regis adest.
Prodit, et in solio medius consedit acerno:
Innumeri circa stantque silentque viri.
Ortus erat summo tantummodo margine Phœbus:
Sollicitæ mentes speque metuque pavent.
Constitit, atque caput niveo velatus amictu,
Jam bene Dîs notas sustulit ille manus;
Atque ita, Tempus adest promissi muneris, inquit:
Pollicitam dictis, Jupiter, adde fidem.

350. Vix, nec nisi eventus postquam promissis constitit, fidem ei habent Quirites. *Creditur* is, cui fides habetur. *Crastina*, quæ cras evenient.

357. Burmanno hæc terræ affectio commemorari ideo videtur, quod inde omen captatum sit, id certe factum esse ab Augusto; Sueton. August. xcii. Nisi poetam credas tempus tantum matutinum describere voluisse. Orto contra sole "pruinosæ siccantur herbæ," Metam. iv. 82; et nocte "sparsa cœlesti rore madet humus" supra i. 312. De *solio* hoc *acerno* vide ad Metam. iv. 486; occurrit etiam Æneid. viii. 178. *Silentium*, signum cupidæ exspectationis. Ejus et vim et tempus, quo maxime crevit, bene poeta notavit, *Ortus—parent*. Similis exspectationis vim Livius i. 25. sic expressit: "erecti, suspensi erant; torpebat vox spiritusque."

363. *Niveum* illum *amictum* Neapolis, Taubnerus et Schirach. galeam sacerdotalem intellexerunt; at illa *amictus* dici non potest. Precantes et sacra facientes capite obvoluto erant, ne quid mali ominis eos turbaret: id quod passim his nostris verbis exprimitur. Virg. Æneid. iii. 405: "purpureo velare (memento) comas adopertus amictu," et ib. ver. 545: "capita ante aras phrygio velamur amictu." *Pollicitam*, etc. confirma, quod verbis promisisti; Metam. xi. 107. *pollicitam fidem tentat*, periculum facit, an fides habenda sit promissis, ubi vide notam.

Dum loquitur, totum jam sol emerserat orbem:
Et gravis ætherio venit ab axe fragor.
Ter tonuit sine nube Deus, tria fulgura misit.
Credite dicenti: mira, sed acta, loquor.
A media cœlum regione dehiscere cœpit:
Submisere oculos cum duce turba suos.
Ecce levi scutum versatum leniter aura
Decidit: a populo clamor ad astra venit.
Tollit humo munus, cæsa prius ille juvenca,
Quæ dederat nulli colla premenda jugo; [est;
Idque ancile vocat, quod ab omni parte recisum
Quaque notes oculis, angulus omnis abest.
Tum, memor imperii sortem consistere in illo,
Consilium multæ calliditatis init.

367. *Emerserat*, e mari protulerat. *Emergere* active dici, atque casum quartum habere adjunctum, multis exemplis docuit Heinsius. *Sine nube*, quo notabilius hoc tonitru esset, quum naturalibus ex causis profectum non videretur. *Ter tonuit*. Metam. vii. 619. *Tonitru secundum* vocatur.

371. *A media regione*, a summo cœlo, ubi arx Jovis. Mazar. et Voss. *A media subito cœlum discedere visum est*, quam lect. elegantem Heinsius judicat, quum *discedere cœlum* formula sit in hac re solemnis. Perinde est, utrum verbum eligas. Plinius, VI. Epist. xx. 9. "nubes atra in longas flammarum figuras dehiscebat." Utrumque conjunxit Seneca, Nat. Quæst. i. 19: "Chasma est, quum aliquod cœli spatium discedit, et flammam dehiscens velut in abdito ostentat." Ad fulgura sane homines *submittere oculos* solent; sed ita illi *scutum levi versatum aura* spectare non potuissent. Verum etiam *submittere* sursum tollere notat; Silius, xii. 640: "Summissas tendunt alta ad Capitolia dextras," ubi vide Drakenb. Quid, quod et notio *τοῦ furtim* h. v. inest, (Livius xxvi. 44. "subsidia submissa e castris") quæ hoc loco bene convenit.

377. Secundum Jubam, quem Plutarch. dicto loco excerpsit, scribendum foret *ancyle*, idque a Græco *ἀγκύλον*, curvum, derivandum. Sed Plutarchus ipse de hac etymologia dubitat, pluresque alias affert. In libris latinis ubique *ancile* scribitur; et sic scribendum est ex Ovidii derivatione, quacum consentiunt, quæ Festus habet: "Ancile vocatum, quia ex utroque latere erat recisum, ut summum infimumque latus pateret." Similiter fere Varro lib. iv. Secundum eumdem lib. vi. p. 78. in carmine Saliari *ancisia* scriptum erat. Forma apud Plutarchum pluribus describitur: orbis non est, nec, qualem pelta, circuitum habet; sed sinus refert lineæ tortuosæ, cujus apices flectuntur, et densitate in se concurrunt. Dionysius, ii. 71. negat usquam ante visam esse in Italia talem figuram.

Plura jubet fieri simili cælata figura,
  Error ut ante oculos insidiantis eat.
Mamurius, morum fabræne exactior artis,
  Difficile est, illud, dicere, clausit opus.
Cui Numa munificus, Facti pete præmia, dixit:
  Si mea nota fides, irrita nulla petes.
Jam dederat Saliis, a saltu nomina ducunt,
  Armaque, et ad certos verba canenda modos.
Tum sic Mamurius: Merces mihi gloria detur,
  Nominaque extremo carmine nostra sonent.
Inde sacerdotes operi promissa vetusto
  Præmia persolvunt, Mamuriumque vocant.
Nubere si qua voles, quamvis properabitis ambo,
  Differ: habent parvæ commoda magna moræ.

381. *Plura*, permulta Dionysius ait. *Cælata* nunc nil nisi sculpta. Pignoribus imperii *insidiari* populi finitimi solebant. *Ut error ante oculos eat.* Sic exornavit illud, ut jam insidians dubius hæreat. *Error* etiam de incertitudine dicitur. *Mamurium* Plutarchus ab *arte* tantum laudat, ἕνα τῶν ἄκρων δημιουργῶν, sed *morum* etiam fama floruerit necesse est. Is *clausit*, absolvit, *opus*, ad quod post alios accessit. Lenzius *clausit* interpretatur, ab omni parte rotundum fecit, orbe certo inclusit. Sed *claudere* etiam notionem absolvendi habere, docet Drakenb. ad Silium, xiii. 636. *Exactus*, perfectus, nunc secundum casum adjunctum habet.

387. *A saltu*, a tripudiis, quibuscum ancilia gestabant, per urbem. Plutarchus, ἀπὸ τῆς ὀρχήσεως ἀλτικῆς; Dionysius, ἀπὸ τῆς συντόνου κινήσεως. Ad tibiæ *modos* citatos armati saltabant, modo omnes simul, modo per vices, atque *carmina* canebant. Instructi erant æneis et balteis et galeis et tegumentis in pectore, atque pugionibus, quibus identidem ancilia pulsarent. Præter *Mamurium* serius et aliorum nomina carmini Saliari incerta esse, docet Neapolis ad hunc locum. *Sonent*; Metam. x. 205: "Te lyra, te carmina nostra sonabunt."

393. Eodem tempore et iter facere religiosum erat. Vide Lipsium in Antiq. Lect. v. 16. *Conci* ancilia dicebantur, ubi templo reddebantur. Flamen *Dialis* solus albo galero aut *apice* insignitus erat, neque sine eo licebat ei sub dio versari. *Conjux* ejus Flaminica venenato operta et rica redimita prodibat. Erat autem *venenatum* pallium flammeo colore, et *rica* peculiare capitis cingulum. Vide Gellium Noct. Att. x. 15. ibique Intt. Hinc et nunc *cincta* vocatur, quod Heinsius tuetur verbis Festi: "Cincta Flaminica veste velata." Nam alii *sancta*, *capitis distincta* aut *discincta*, etc. habent. Jam Flaminica multis legibus tenebatur, de quibus Gellius dicto loco et Schwarzius ad Plinium, paneg. lxxxiii. 5. In iis erat, ne certis temporibus caput comeret, ungues resecaret, etc. Confer iv. 226.

Arma movent pugnam: pugna est aliena maritis;
Condita quum fuerint, aptius omen erit.
His etiam conjux apicati cincta Dialis
Lucibus impexas debet habere comas.
Tertia nox emersa suos ubi moverit ignes;
Conditus e geminis Piscibus alter erit.
Nam duo sunt: austris hic est, aquilonibus ille
Proximus: a vento nomen uterque tenet.
Quum croceis rorare genis Tithonia conjux
Cœperit, et quintæ tempora lucis aget:
Sive est Arctophylax, sive est piger ille Bootes,
Mergetur, visus effugietque tuos.
At non effugiet Vindemitor: hoc quoque causam
Unde trahat sidus, parva docere mora est.
Ampelon intonsum, Satyris Nymphaque creatum
Fertur in Ismariis Bacchus amasse jugis.
Tradidit huic vitem pendentem frondibus ulmi,
Quæ nunc de pueri nomine nomen habet.

399—402. *Piscis alterius occasus vespertinus* die iii. Mart. sive v. Nonas. Sideris hujus, magnum cœli spatium occupantis, originem habes, ii. 458 sqq. Alter Piscis Notius vocatur, alter Boreus; Hyginus, Astr. Poet. III. xxix. 40.

403—414. *Arctophylacis et Vindemitoris ortus* die quinto Martii. In *Arctophylace*, qui idem et *Bootes* dicitur (vide ad Met. ii. 176.) lapsus est Ovidius: occidit enim Maio exeunte, v. 733; sed die v. Martii vespere oritur. Secundum Euctem. ἀρκτοῦρος ἐπιτέλλει καὶ προτρυγητὴς. Sic et Ptolemæus, ἀρκτοῦρος ἑσπέριος ἐπιτέλλει. *Aget*, adferet; Metam. iii. 150. "reducit lucem." *Piger:* Metam. ii. 176. *tardus* vocatur, ubi vide notam.

407. *Vindemitor*, Græcis προτρυγητὴς, stella in Virginis ala septemtrionali; Hyginus Poet. Astr. iii. 24. *Intonsus* nunc ad teneram ætatem referendum, ut Met. vi. 254. non ad comam promissam; Horat. I. Od. xxi. 2. *Satyris* ex optimis et plurimis MSS. recepit Burmannus, ut Ovidius oblique Nympham vulgato corpore infamem tetigerit. Mitscherl. vero *Satyro* revocavit. *Ismarus*, mons Thraciæ, jam Homeri ætate vitibus nobilis: Od. ix. 196; Virg. Georg. ii. 37. Sequens distichon *Tradidit—habet*, judice Heinsio, adulteram et nugatoriam manum sapit: nec mihi placet, quamquam non omnino damnaverim; eo enim sublato, manca videtur narratio. Et quum *Ampelos* Græcis vitem significet, non incredibile est, Ovidium aliquid de *nomine* addidisse.

Dum legit in ramo pictas temerarius uvas,
  Decidit: amissum Liber in astra vehit.
Sextus ubi oceano clivosum scandit Olympum
  Phœbus, et alatis æthera carpit equis:
Quisquis ades, canæque colis penetralia Vestæ;
  Cratera Iliacis turaque pone focis.
Cæsaris innumeris, quem maluit ille mereri,
  Accessit titulis pontificalis honos.
Ignibus æternis æterni numina præsunt
  Cæsaris: imperii pignora juncta vides.
De veteris Trojæ dignissima præda favilla,
  Qua gravis Æneas tutus ab hoste fuit;
Ortus ab Æenea tangit cognata sacerdos
  Numina: cognatum, Vesta, tuere caput.
Quos sancta fovet ille manu, bene vivitis ignes;
  Vivite inexstincti, flammaque, duxque, precor,

415—428. *Vestæ sacra* pridie Nonas, sive sexto die, quo eodem *Augustus Pontifex Maximus* factus est. *Alati*, ut *alipedes* Metam. ii. 48. omnino sunt veloces. *Penetralia Vestæ* etiam Æneid. v. 744. pro Vesta ipsa ponuntur. In iis velata et ab hominum adspectu intacta colebatur. In cultu Deorum etiam *crateres positi*. Virgilius, Eclog. v. 68: "Craterasque duo statuam tibi pinguis olivi." De *Iliacis focis* vide ver. 29. et 142.

419. An. U. C. 741. pridie Nonas Martias Augustus, Lepido mortuo, *Pontificatum Maximum* accepit, qui honos unus ei defuerat; Dio lib. liv. cap. 15; Suetonius August. xxxi. Idem notavit Kalend. vetus atque Verrius Flaccus. Hoc Ovidius summa reverentia et in maximam Augusti laudem, more sæculi Augustei, extollit. Bene hoc cum Vestæ sacris conjunctum; Pontifex Maximus enim præerat Vestalibus. Cf. iv. 949. Elogium *æterni* non imperio tantum datum, sed et Cæsari. Vide Schwarz. ad Plinii paneg. 67. In Vestæ templo non *ignes* tantum *æterni*, sed et Palladium, *imperii pignus*, vi. 421 sqq. quæ duo sæpe junguntur. Livius, v. 52: "Quid de æternis Vestæ ignibus, signoque, quod imperii pignus custodia ejus templi tenetur, loquar?" Sed nunc accessit novum *pignus*, Augustus. En laudem maximam! "Æneas," Ilio ardente, "Vestamque potentem Æternumque adytis effert penetralibus ignem." Æn. ii. 296 sq. Vid. Heynii excursum ix. ad Æneid. ii. *Gravis*, gravatus, onustus. Ab Æenea domus Julia, in quam Augustus adoptatus; iv. 20 sqq. Hinc illa *cognatio*, quam Ovidius celebrat. *Caput* eleganter sic in commendatione pro ipso homine. *Fovet*, alit. *Vivite inexstincti*. Alterum ab homine ad ignem, alterum ab igni ad hominem translatum. *Dux*, Cæsar. Vide Heinsium et Burmannum ad ii. 39.

Una nota est Martis Nonis: sacrata quod illis
  Templa putant lucos Vejovis ante duos.
Romulus ut saxo lucum circumdedit alto:
  Quilibet huc, inquit, confuge, tutus eris.
O quam de tenui Romanus origine crevit!
  Turba vetus quam non invidiosa fuit!
Ne tamen ignaro novitas tibi nominis obstet,
  Disce, quis iste Deus, curve vocetur ita.
Jupiter est juvenis: juveniles adspice vultus:
  Adspice deinde manum; fulmina nulla tenet.
Fulmina, post ausos cœlum affectare Gigantas,
  Sumta Jovi: primo tempore inermis erat.
Ignibus Ossa novis, et Pelion altior Ossa
  Arsit, et in solida fixus Olympus humo.

429—448. *Vejovis ædes Nonis dedicata* a Romulo. De eo autem Deo quum variæ essent sententiæ, ut ex Gellii Noct. Att. v. 12. apparet, et nos inde mox videbimus, Ovidius quid ipse sentiat in medium affert.

Dionysius, ii. 15. auctor est, Romulum loco inter capitolium et arcem (v. ad ii. 70.) qui suo adhuc tempore dicebatur *μεθόριον δυοῖν δρυμῶν* (Livius, i. 8. "inter duos lucos") atque olim nomen a re acceperit, asylum aperuisse, apposito templo, in quod supplices et convenæ confugerent: sed cui Deo consecratum fuerit illud templum, certo se dicere non posse. *Vejovis* ædem fuisse, non modo Ovidius dicit, sed et alii. Vitruvius, iv. 7. ubi de structura templorum loquitur, "uti est Castoris in Circo Flaminio, et inter duos lucos Vejovis." Gellius Noct. Att. v. 12: "Est autem ædes Vejovis Romæ inter arcem et capitolium." Adde P. Victorem in Reg. viii.

432. *Quilibet huc.*] Et confugit huc ex finitimis populis turba omnis, sine discrimine, liber an servus esset. *Tenuis*, humilis; Liv. ii. 1. "illa pastorum convenarumque plebs, transfuga ex suis populis." *Novitas nominis*, inusitatum et obscurum nomen. *Obstet*, offendat.

437. Sententiam dicit in fine loci ver. 447. præmissis argumentis. *Jupiter juvenilis*; statua Vejovis juvenem refert. *Post ausos*, etc. Immo prius, in bello cum Titanibus, Cyclopes Jovi fulmina suppeditarunt, quibus telis et postea contra *Gigantas* et Typhæum usus est. Apollodorus, I. ii. 1. Sed ex Titanomachia multa sunt a poetis translata in Gigantomachiam. De ordine, quo *Olympus*, *Ossa*, *Pelion* montes congesti apud poetas leguntur, vide quæ in varr. lectionibus ad Metam. i. 155. diximus. In Gigantomachia arserunt, *ignibus novis*, fulminibus a Jove modo sumtis. *Capra* Amalthea, cujus lacte *Nymphæ* Adrastea atque Ida Jovem tenerum nutrivere; Apollodorus, I. i. 3. Ejus figuram juxta Vejovis simulacrum stetisse, observat etiam Gellius dicto loco.

Stat quoque Capra simul: Nymphæ pavisse fe-
  Cretides: infanti lac dedit illa Jovi. [runtur
Nunc vocor ad nomen: vegrandia farra coloni,
  Quæ male creverunt, vescaque parva vocant.
Vis ea si verbi est, cur non ego Vejovis ædem,
  Ædem non magni suspicer esse Jovis?
Jamque, ubi cæruleum variabunt sidera cœlum,
  Suspice: Gorgonei colla videbis equi.
Creditur hic cæsæ gravida cervice Medusæ
  Sanguine respersis prosiluisse jubis.

445. Argumentum etymologicum. Particula *ve*, observante Gellio dicto loco, duplicem significatum, eumdemque diversum habebat, quum et augendæ et minuendæ rei inserviret. Ovidius *Vejovem* explicuit, qui non juvandi potestatem, sed vim nocendi habet. Hanc interpretationem eo adjuvat, quod simulacrum hujus Dei sagittas teneat, quæ sint paratæ ad nocendum. *Vegrandia.* Etiam Festus "vegrandem fabam minutam" dici tradit. Varro de R. Rust. ii. 2. "vegrandes et imbecillæ oves." De voce *vescus* vide Gellium, xvi. 5; Phylargyr. ad Virgilium, Georg. iii. 175. et iv. 131; et Festum, a quibus inter alia minutum, exile, macrum explicatur. Plinius, vii. 20. "vesco corpore, sed eximiis viribus." Ac Festus quidem etiam Vejovem interpretatur cum Nostro *parvum Jovem.*

449—458. *Pegasi collum oritur* heliace. Kalendaria nonnulla et hunc ortum, et Vejovis templum superiori diei tribuunt. Hic quoque sideris originem refert, quam Metam. iv. 784. ut fontem ab eo factum Met. v. 256 sq. paucis attigit. Etiam nunc justo brevior est et subobscurus. Cf. Hesiodus Theog. 280 sqq. et 325; Apollodorus, II. iii. 2; et iv. 2; Hyginus, Poetic. Astron. ii. 18. qui varias de hac re fabulas collegit. *Variabunt,* dispersa variam formam dabunt cœlo, eleganter, dictum: eodem sensu "varium cœlum," Metam. ii. 189: "variabant tempora cani," Met. xii. 465: "varians capillos gemma," Amorr. I. ii. 41. *Medusa,* una *Gorgonum, gravida* erat ex Neptuno. Amputato ejus collo, fœtus cum sanguine exsiluit, neque Pegasus tantum, sed et Chrysaor frater; vide Hesiodum et Apollodorum, dict. locc. Ac ille quidem nomen inde accepit, quod prope oceani fontes, *πηγὰς,* natus est. *Prosiluisse,* Hesiodus, *ἐξέθορε,* quod deinde et alii servarunt. Eo a Minerva accepto Bellerophon adversus Chimæram vectus est. Inde victor reversus, quum ad cœlum evolare contenderet, Pegasus a Jove irritatus, œstro immisso, excussit equitem; Pindar. Isthm. Z. 60 sqq; Hyginus, dicto loco. Hinc Horatius, IV. Od. xi. 27. "ales Pegasus terrenum equitem gravatus." *Lapso,* celeriter evecto. Hippocrenen, fontem in Helicone, monte *Aoniæ,* id est Bœotiæ, Metam. dict. loc. dura ungula *rupit,* hoc loco *fodit.* Sic etiam Rutil. Itin. i. 264: "Musarum ut latices ungula fodit equi." Sidus esse jussit Jupiter. *Quinque decemque,* Hodie 89. stellæ in eo sidere numerantur.

Huic supra nubes, et subter sidera lapso
Cœlum pro terra, pro pede penna fuit.
Jamque indignanti nova frena receperat ore;
Quum levis Aonias ungula fodit aquas.
Nunc fruitur cœlo, quod pennis ante petebat;
Et nitidus stellis quinque decemque micat.
Protinus adspicies venienti nocte Coronam
Gnosida: Theseo crimine facta Dea est.
Jam bene perjuro mutarat conjuge Bacchum,
Quæ dedit ingrato fila legenda viro.
Sorte tori gaudens, Quid flebam rustica? dixit,
Utiliter nobis perfidus ille fuit.
Interea Liber, depexus crinibus, Indos
Vincit, et Eoo dives ab orbe redit.

459—516. Die octavo, sive viii. Idus, *ortus Coronæ vespertinus*. Hujus sideris originem, quam Metam. viii. 175—182. breviter narravit, nunc latius persequitur. Confer. Art. Amat. i. 531—564; Arat. Phæn. 71; Lactantius, instit. i. 10; Virgil. Georg. i. 222. Hæc quoque fabula varie tradita, ut vel ex Hygini poet. Astronom. ii. 5. patet. Partem ejus priorem, quæ ad *Thesea* pertinet, habet Heroid. x. quæ epistola scripta fingitur ab Ariadna in litore Diæ. *Corona* est sidus boreale prope Bootem. *Gnosis* vocatur, quia Minos, pater Ariadnæ, rex Cretæ, cujus urbs *Gnosus*. Etiam Virg. Georg. i. 222. "Gnosia ardentis stella coronæ." *Theseo crimine facta Dea est*, justo brevius dictum. Ariadne, cujus illa inter sidera relata corona fuit, Thesei crimine facta Dea est, quatenus Theseus hanc comitem in Dia insula, quæ serius Naxos dicta, deseruit: quæ causa fuit, cur Bacchus eam duceret. Ea fuit vulgaris traditio. Secundum Homerum, Od. A. 320 sqq. qui est fons fabulæ, Diana Ariadnen detinuit in illa insula, ducta Bacchi contra eam testimonio; alii aliter. Vide Plutarch. Thes. 20. *Conjuge Bacchum* pro, *conjugem Baccho*. Solent enim poetæ verbo *mutare* accusat. rei acceptæ, et ablat. relictæ addere. *Legere* pro *relegere*, quod de hac eadem re Metam. dicto loco; Hygin. fab. 42. *licium revolvere*. Rem ipsam ingeniose circumloquitur Epist. x. 104: "Fila per adductas sæpe recepta manus."

463. *Sors tori* potest esse et conjugium et ipse conjux; vi. 30. *Saturni sors* est proles Saturni. Jam Art. Amat. dicto loco inter illos fletus et querelas repente adest Bacchus cum tympanis et cymbalis, querentique et conjugium et cælum promittit. Nec mora, currui impositam aufert secum. Verum hoc loc. post matrimonium initum Liber expeditionem Indicam suscipit. *Depexus crinibus*, comtis, diligenter compositis capillis. Bacchus *εὐκόμης*; Metam. iii. 421. "dignos Baccho crines;" et eum decet "madidus myrrha crinis," ibidem ver. 555. ubi vide notam.

Inter captivas facie præstante puellas
Grata nimis Baccho filia regis erat.
Flebat amans conjux, spatiataque litore curvo
Edidit incultis talia verba comis:
En iterum similes, fluctus, audite querelas:
En iterum lacrymas accipe, arena, meas.
Dicebam, memini, perjure et perfide Theseu!
Ille abiit: eadem crimina Bacchus habet.
Nunc quoque nulla viro, clamabo, femina credat.
Nomine mutato causa relata mea est.
O utinam mea sors, qua primum cœperat, isset!
Jamque ego præsenti tempore nulla forem!
Quid me desertis perituram, Liber, arenis
Servabas? potui dedoluisse semel.
Bacche levis, leviorque tuis, quæ tempora cingunt,
Frondibus; in lacrymas cognite Bacche meas;
Ausus es ante oculos adducta pellice nostros
Tam bene compositum sollicitare torum?
Heu! ubi pacta fides? ubi quæ jurare solebas? 485
Me miseram, quoties hæc ego verba loquor!

470. *Incultis comis.*] Talem etiam post Thesei profectionem descripsit Ep. X. xvi. 47; ubi "diffusis errat sola capillis" in litore. Vero autem parum simile est eam quamdiu Bacchus in India esset, in insula Dia mansisse. Sola quum esset, et gravissime commota, bene *fluctus* et *arenam* alloquitur.

475. *Nunc quoque*, etc.] Sententiam hanc a Catullo, Nupt. Pelei uberius esse expositam, Neapolis observavit. *Relata* vel narrata, vel repetita. Posteriore sensu jam supra aliquoties legimus. *Dedolere*, finire dolorem, nempe morte.

481. *Levis*, inconstans in amore. Talis et mobilis dici potest; hinc comparatio cum *frondibus* hederæ. Bacchus κισσοκόμης, κισσοστέφανος. Auctore Plinio Hist. Nat. xvi. 4. omnium primus coronam sumsit, et quidem ex hedera. *Adducta.* Francof. *deducta.* Sane *deducere*, ut *perducere*, sæpe turpi sensu legitur. Sed recte Burmannus ad Heroid. ix. 121. ubi idem fere versus occurrit, docuit, *ante oculos deducere* non bene dici, *adducere* vero eodem sensu legi, et passim verba *ante oculos* adjuncta habere. Quid? quod notio illa obscæna in hoc loco non cadit, sed *adducere* id quod simplex *ducere*. *Compositum*, concors conjugium.

486. *Loquor.*] Unus Petav. *queror*; hinc Heinsius *vera* vel *sera queror*

Thesea culpabas, fallacemque ipse vocabas:
Judicio peccas turpius ipse tuo.
Ne sciat hoc quisquam, tacitisque doloribus urar;
Ne toties falli digna fuisse puter.
Præcipue cupiam celari Thesea, ne te
Consortem culpæ gaudeat esse suæ.
At, puto, præposita est fuscæ mihi candida pellex.
Eveniat nostris hostibus ille color!
Quid tamen hoc refert? vitio tibi gratior ipso est.
Quid facis? amplexus inquinat illa tuos.
Bacche, fidem præsta; nec præfer amoribus ullam
Conjugis adsuetæ semper amare virum.
Ceperunt matrem formosi cornua tauri;
Me tua: at hic laudi est; ille pudendus amor.
Ne noceat, quod amo: neque enim tibi, Bacche, nocebat,
Quod flammas nobis fassus es ipse tuas.
Nec, quod nos uris, mirum facis: ortus in igne
Diceris, et patria raptus ab igne manu.
Illa ego sum, cui tu solitus promittere cœlum.
Hei mihi, pro cœlo qualia dona fero!
Dixerat: audibat jamdudum verba querentis
Liber, ut a tergo forte secutus erat.

Non video quare: dolet, quod bis similiter decepta jam iterum *eadem verba* loqui cogatur. *Ne sciat*, utinam hoc nemo resciscat.

493. De *fuscis* Indis vide ad Metam. iv. 21. *Colorati* vocantur Georg. iv. 293. *Fuscam* autem nunc se vocat, vel pellicis colorem sibi ironice tribuens, vel illum *fuscum* colorem intelligens, quem Noster II. Amorr. iv. 40. etiam in Romanis puellis laudat. *Inquinat amplexus*, turpes sunt ejus amplexus.

499. *Cornua tauri*, taurus ille, quem Pasiphaë, mater Ariadnæ amavit, unde Minotaurum peperit; Hyginus, fab. 40. De *pudendo* illo amore vide Metam. viii. 132. De *cornibus* Bacchi dictum ad Metam. iv. 19. Sed hic incipit poetæ ingenium luxuriare; cuique enim personæ propria ubique admiscere gestit. Idem valet de sqq. *ortus in igne*, etc. Respicit autem fab. qua Semele arsit, quum Jupiter fulmine armatus intraret, ille autem imperfectum Bacchi corpus ex utero rapuit; Metam. iii. 309. sqq.

507 sqq. Simile figmentum ii. 759

Occupat amplexu; lacrymasque per oscula siccat;
Et, Pariter cœli summa petamus, ait.
Tu mihi juncta toro, mihi juncta vocabula sumes.
Jam tibi mutatæ Libera nomen erit.
Sintque tuæ tecum faciam monumenta Coronæ,
Vulcanus Veneri quam dedit, illa tibi.
Dicta facit; gemmasque novem transformat in ignes.
Aurea per stellas nunc micat illa novem.
Sex ubi sustulerit, totidem demerserit orbes,
Purpureum rapido qui vehit axe diem:
Altera gramineo spectabis Equiria campo,
Quem Tibris curvis in latus urget aquis.

sqq. *Audibat* per syncopen non inusitatam. *Occupat amplexu*, ut alibi *impedit amplexu*. *Cœli summa*, cœlum, quatenus in alto.

511. Fabula hæc varie tradita. E vulgari traditione, quam Ovidius Met. dicto loco sequitur, corona tantum Ariadnæ inter sidera relata. Secundum alios ipsa, Libera dicta, honore diviuo affecta est; Seneca, Œd. 498; Lactantius, dict. loc. apud Propert. III. xv. 8. *lyncibus in cœlum vecta* legitur. Sic et apud Nostrum Art. Amat. i. 550. Hoc loc. et ipsa et corona ejus memorantur; similiter a Probo dict. loc. De *corona* varias traditiones collegit Hyginus, Poet. Ast. ii. 5. *Monumenta coronæ*, corona, quæ vim habeat monumenti. Hyginus: "Coronam dicitur inter astra collocasse, ut æterna memoria nominis efficeretur." Coronam ex *auro* et Indicis *gemmis* factam *Vulcanus* dedit *Veneri*. *Novem*. Hodie huic sideri una et viginti stellæ tribuuntur. Intelligitur enim Corona, non australis, sed borealis inter Engonasin et Ophiuchum; Metam. viii. 182.

517—522. *Altera Equiria* pridie Id. sive xiv. die Martii. De prioribus vide ii. 857. Rem tenuem admodum ornavit verbis. *Axis*, currus Solis; *rapidus* vel ab incitato cursu, vel a rapida Solis flamma dictus. *Purpureus* omnino lucidum et splendidum colorem notat; *purpureum* solis *lumen* Æn. vi. 641. A *gramine* et alibi Campus Martius designatur. Horatius, Art. Poet. 162. "gaudet gramine Campi." *Curvis* propter obliquum fluviorum cursum. *In latus urgere* bene de alluente flumine; i. 242. *radit Tibridis unda latus*. De *Tiberis* crebris exundationibus vide ad Plinium, Ep. viii. 17 Argum. *Ejici* de aqua cum vi prorumpente; vide Cortium ad Plinium dict. loc. s. 3. Ibi Tiberis, qui alveum excessit, "premit valles, innatat campis," hoc loco *tenet campum*. Quod hic de *Cœlio* monte narratur, id Festus confirmat: "Martialis campus in Cœlio monte dicitur, quod in eo Equiria solebant fieri, si quando aquæ Tiberis campum Martium occupassent."

Qui tamen ejecta si forte tenebitur unda,
Cælius accipiat pulverulentus equos.
Idibus est Annæ festum geniale Perennæ,
Haud procul a ripis, advena Tibri, tuis.
Plebs venit, ac virides passim disjecta per herbas
Potat, et accumbit cum pare quisque sua.
Sub Jove pars durat: pauci tentoria ponunt:
Sunt, quibus e ramis frondea facta casa est:
Pars sibi pro rigidis calamos statuere columnis,
Desuper extentas imposuere togas.
Sole tamen vinoque calent: annosque precantur,
Quot sumant cyathos; ad numerumque bibunt.
Invenies illic, qui Nestoris ebibat annos:
Quæ sit per calices facta Sibylla suos.
Illic et cantant, quidquid didicere theatris;
Et jactant faciles ad sua verba manus;

523—696. *Annæ Perennæ sacra* Idibus. Deæ hujus mentio jam ver. 146 facta. Nunc, 523—542. sacra ejus jucunde describuntur, et 543—674. de Anna ipsa copiose exponitur. Tandem ad sacra ejus reditur. Laberius mimum scripserat nomine Annæ Perennæ, qui a Gellio Noct. Att. xvi. 7. et a Nonio Marcello in voce *collabella* laudatur.

Geniale, quo genio indulgetur. Vide ad ver. 58. *Advena Tibris* etiam ii. 68. Festum hoc in nemore Annæ, haud procul a Tiberi, inter Anienis confluentem et pontem Milvium celebrabatur. Potantes non tantum e plebe, sed et ex aliis ordinibus, sæpe strati, fusi, reclinati, abjecti, negligenter in gramine jacebant; Horat. II. Od. iii. 6. Hinc *disjecta*, passim fusa. *Par*, ut iv. 98. De animantibus supra ver. 193.

527. Omnis hic locus scenam habet e vita plebis Romanæ. *Sub Jove durat*, ut ii. 299. *Frondeæ* illæ *casæ* suo nomine *umbræ* dicebantur, atque, ut e Sexto Pompeio constat, etiam Neptunalibus figebantur; quemadmodum e vestibus umbracula in Palilibus a Tibullo, ii. v. 97. memorantur: "e veste sua tendent umbracula sertis Vincta." *Rigidis* bene se habet; tribuitur enim hoc epitheton passim rebus e ligno aut saxo factis. *Ad numerum bibunt*, numerant cyathos, quos exhauriunt. In sacris *Perennæ* pro perennitate vitæ bibunt. Vide Macrobii verba ad ver. 146 allata. *Sibylla vivax*; iv. 875. De illa vivacitate ejus vide Metam. xiv. 131 sqq. ubi ipsa narrat, sæcula jam septem sibi acta, et restare tria. Hinc mulieribus Sibyllæ annos precabantur veteres, ut viris *Nestoris*; Ovid. II. ex Ponto, viii. 41. ad Augusti filium: "Sic pater in Pylios, Cumæos mater in annos Vivant."

535. *Theatris*, in theatris. Male

Et ducunt posito duras cratere choreas,
Cultaque diffusis saltat amica comis.
Quum redeunt, titubant; et sunt spectacula vulgo;
Et fortunatos obvia turba vocant.
Occurri nuper: visa est mihi digna relatu
Pompa: senem potum pota trahebat anus.
Quæ tamen hæc Dea sit, quoniam rumoribus errat,
Fabula proposito nulla tegenda meo.
Arserat Æneæ Dido miserabilis igne;
Arserat exstructis in sua fata rogis:
Compositusque cinis, tumulique in marmore car-[men
Hoc breve, quod moriens ipsa reliquit, erat:
Præbuit Æneas et causam mortis, et ensem:
Ipsa sua Dido concidit usa manu.

Taubnerus in usum theatrorum, ut in theatris recitentur. *Jactare manus* de gesticulatione manuum in dicendo etiam Quintil. VI. iii. 54; X. iii. 21. et de histrione XI. iii. 179. Neapolis hæc de saltatione capiebat. Sed de hac, disticho seq. agitur. *Faciles*, quæ facile obsequuntur. *Posito cratere*. Schirachius explicat, remotis crateribus, finitis conviviis. Equidem hic, ut ver. 418. *cratera* in Deæ honorem *positum* esse arbitror, in eumdemque *choreas* institutas. *Duræ chorcæ*; Virg. Georg. i. 350: "motus incompositi" rusticorum, quum urbani "mollia brachia moveant."

541. Facile assentior Heinsio et Burmanno putantibus, post hoc distichon plura excidisse, forte, quum lasciviora essent, puris castisque monachorum manibus deleta. Etenim voc. *visa est mihi digna relatu Pompa* longiorem narrationem exspectare jubent.

543. Ad *Annam* ipsam convertitur, et varias de ea traditiones recenset. E prima, quam copiosissime et operosissime usque ad ver. 656. tractavit, illa fuit Didus scil. *Elissæ* soror, quæ ad Æneam in Latio degentem pervenit, a quo benigne est accepta; sed metuens Laviniæ insidias noctu fugit, excipiturque a Numicio amne. *Errat*, dubia, incerta est; i. 468. *ne tuus erret honos*. Heinsius e sex MSS. *errant* invexit, ut referatur ad *fabulas*. *Fabula nulla*, traditionum variarum nulla.

545. De *Didonis* amore in Æneam et de *Anna* sorore vide Virgil. Æn. iv. et de morte, quam illa sibi conscivit, inde a ver. 630. De Annæ fuga et fatis, Silius, viii. 50 sqq. qui tamen in nonnullis a Nostro dissentit. Nota hic duplicem sensum verbi *ardere*. *Exstructis*. Heinsius malit *et structis*. *Componi*, quod de omni cura dicitur quæ cadaveri efferendo impenditur, nunc est condi. *Ensem* illum Didoni dono dederat Æneas. Vide Burmannum ad Virg. Æn. iv. 495. 647. ubi arripit *Dardanium ensem*. Silius, 50: "profugi donum exitiale mariti."

Protinus invadunt Numidæ sine vindice regnum,
Et potitur capta Maurus Iarba domo;
Seque memor spretum, Thalamis tamen, inquit, Elissæ
En ego, quem toties reppulit illa, fruor.
Diffugiunt Tyrii, quo quemque agit error: ut olim
Amisso dubiæ rege vagantur apes.
Tertia nudandas acceperat area messes;
Inque cavos ierant tertia musta lacus:
Pellitur Anna domo; lacrymansque sororia linquit
Mœnia; germanæ justa dat ante suæ.
Mixta bibunt molles lacrymis unguenta favillæ;
Vertice libatas accipiuntque comas.
Terque, Vale, dixit: cineres ter ad ora relatos
Pressit, et est illis visa subesse soror.
Nacta ratem, comitemque fugæ, pede labitur æquo,
Mœnia respiciens, dulce sororis opus.

552. De *Iarba*, Jovis Ammonis filio, rege *Numidarum*, *despecto* a Didone, vide Virgilium, Æn. iv. 36. 198 sqq; Justinum, xviii. 6. Secundum Servium, Dido bellum ab eo metuens se combussit. *Vindex*, defensor. In *thalamis* lusus est, quia *thalami* et de conjugio. *Reppulit*, repudiavit nuptias ejus petentem.

555. *Error*, perturbatio mentis. Alibi, *qua impetus agit* aut *trahit*. De *apibus* Virgil. Georg. iv. 213. *Amisso rege rupere fidem*. Comparatio non mala; etenim "Regem non sic Ægyptus, nec ingens Lydia, nec populi Parthorum observant," quam apes suum.

557. Annorum numerus a messibus et mustis; sic et Metam. xiv. 146. *Messes* nunc sunt grana, quæ *nudantur*, quum palea exuuntur. *Lacus*, alibi *labra*, vasa ad recipiendum mustum. Apud Silium Anna maturius fugit, *tepido* adhuc sororis *rogo*.

561. *Mixta*, etc.] Hoc suaviter dictum. Cf. v. 454; Horat. II. Od. vi. 22. "Ibi tu calentem Debita sparges lacryma favillam Vatis amici." Cineres collectos non lacrymis modo, sed et odoribus vinoque irrigare nonnunquam solebant; Kirchm. de Funeribus Roman. p. 365. *Libatæ*, resectæ, de *vertice* comæ vel tumulis imponi solebant, vel addi cineribus. Etiam *oscula* mortuis et cineribus dabantur.

565. In nave *pedes* sunt funes, quibus interiores veli anguli versus puppim trahuntur. Inde *pedibus æquis*, leni vento; Cic. Attic. xvi. 6. ubi vide Grævium; Æn. iv. 587. pro eo est, "æquatis classem procedere velis." Mirum ergo est, ipsum Burmannum hoc loco hæsisse.

Fertilis est Melite, sterili vicina Cosyræ
  Insula, quam Libyci verberat unda freti.
Hanc petit, hospitio regis confisa vetusto:
  Hospes opum dives rex ibi Battus erat.
Qui postquam didicit casus utriusque sororis;
  Hæc, inquit, tellus quantulacumque tua est.
Et tamen hospitii servasset ad ultima munus;
  Sed timuit magnas Pygmalionis opes.
Signa recensuerat bis sol sua: tertius ibat
  Annus; et exsulibus terra petenda nova est.
Frater adest, belloque petit: rex arma perosus,
  Nos sumus imbelles, tu fuge sospes, ait.
Jussa fugit; ventoque ratem committit et undis.
  Asperior quovis æquore frater erat.
Est prope piscosos lapidosi Crathidis amnes
  Purus ager: Cameren incola turba vocant.

567. *Melite*, insula inter Africæ litora et Siciliam, *Melite Africa* aut *Sicula* dicta; Diodorus, v. 12; hodie *Malta*. Colonia erat Phœnicum, qui ad Oceanum usque navigantes hanc insulam sibi perfugium esse voluerunt, quod et portubus commoda, et in medio mari sita esset; Bochart. Geogr. Sacr. i. 26. Inde *hospitium*, quod mox memoratur. Quidam male cogitarunt de Melita Illyrica in mari Adriatico, hodie *Meleda*. Ab illa altera stadiis quingentis distabat *Cosyra*, cujus ambitus non ultra centum quinquaginta stadia patebat. Hinc *parva* vocatur a Silio, xiv. 272. *Sterilem* cum Nostro dixit et Seneca Consol. ad Helv. 6. ubi asperrimis insulis annumeratur; hodie vocatur *Gozzo*. Vide Bochart. dict. loc. A Silio *Cossyra* scribitur; in nummis *Cossura*. *Verberat*, ut Æn. iii. 423. "sidera verberat unda."

570. Etiam apud Silium, ver. 51. Anna a *Batto* excipitur rege miti et lacrymas facile dante casibus humanis, sed is eum regem Cyrenes facit, de quo conf. Herodotus, iv. 135; Justinus, xiii. 7. *Tamen*, utique, certe; Livius, "Tenuere tamen arcem Sabini," ubi vide Bauer. De *Pygmalionis* et Elissæ odio mutuo vide Virgilium, Æn. i. 340; Justinum, xviii. 4.

575. Etiam apud Silium ibi manet, "dum flavas bis tondet messor aristas." *Bello petit*, bellum minatur; sumto verbo a gladiatoribus, ut in: *telis, insidiis petere*. *Imbellis* opp. et belli perito, et armis valido; Liv. xxii. 39; ix. 19. *Asperum* mare, commotum. Ea commotio cum ira hominum comparatur; unde vicissim mare *iratum*.

581. De his locis Silius nihil habet, sed Anna statim Laurentes in oras expellitur. *Crathis* Thuriorum in magna Græcia fluvius, vim rutilandi comas habens; Met. xv. 315. *Purus* ager etiam *patens* et *vacuus* dici solet;

Illuc cursus erat: nec longius abfuit inde,
Quam quantum novies mittere funda potest.
Vela cadunt primo, et dubia librantur ab aura:
Findite remigio, navita dixit, aquas.
Dumque parant torto subducere carbasa lino,
Percutitur rapido puppis adunca Noto:
Inque patens æquor, frustra pugnante magistro,
Fertur, et ex oculis visa refugit humus.
Adsiliunt fluctus, imoque a gurgite pontus
Vertitur, et canas alveus haurit aquas.
Vincitur ars vento: nec jam moderator habenis
Utitur, at votis: hic quoque poscit opem.
Jactatur tumidas exsul Phœnissa per undas;
Humidaque opposita lumina veste tegit.

Met. iii. 709: "Purus ab arboribus spectabilis undique campus;" Livius, i. 44. "Purum ab humano cultu solum;" xxiv. 14. "puro ac patenti campo;" Homerus Il. Ψ. 61. καθαρὸς χῶρος. *Quam quantum*, etc. Hanc mensuram jam Homer. Il. Π. 589. adhibuit; confer Metam. viii. 695. *Mittere* absolute positum, intellige lapidem.

585. *Cadunt* vela in locis vadosis, ut remis navis ad terram agatur. *Librantur*; a vento agitata varios motus dant. *Dubia*, quæ nunc hiuc spirat, nunc illinc, variabilis.

587. *Subducere*, in altum trahere. Subducta subnectuntur antennis; Metam. xi. 483. Inde *deducuntur*, quando iis opus est. Funes, quibus utrumque fit, h. l. *tortum linum*, ut alibi *torti funes*. *Magister*, rector navis, ut Æneid. i. 115; vi. 353: paulo ante *navita*. Poetæ ita loquuntur, quasi venti mare usque ad *imum gurgitem* movere valeant. *Canas* a spuma.

593. Sic et Met. ii. 185. navis: "cui victa remisit Frena suus rector, quam Dîs, votisque reliquit," ubi vide notam.

596. *Humida lumina*. Ergo et Ovidius hic et Metam. xi. 539. credidit, in tali periculo posse lacrymas prorumpere, ejusque auctoritas tuetur lectionem *siccis oculis* apud Horatium, I. Od. iii. 18. *Dido* ante *miserabilis* dicta ver. 545. nunc primum *felix*, quæ prædicatio usitata tali tempore; Homerus, Od. E. 299; Virgilius, Æn. i. 93. In fluctibus laborantes beatos prædicabant eos, quibus contigisset in terra mori, ubi rite sepeliri potuissent; Metam. xi. 540. Huc refer et nostra: *Et quæcumque aliquam corpore pressit humum*; quæ formula etiam Met. vii. 608. de mortuis legitur: *inhumata corpora premunt terræ*. Apud Silium, Anna "agitur pelago, Divis inimica sibique," quod "se non dederit comitem in suprema sorori."

Tum primum Dido felix est dicta sorori,
Et quæcumque aliquam corpore pressit humum.
Figitur ad Laurens ingenti flamine litus
Puppis; et expositis omnibus hausta perit.
Jam pius Æneas regno nataque Latini
Auctus erat, populos miscueratque duos.
Litore dotali, solo comitatus Achate,
Secretum nudo dum pede carpit iter,
Adspicit errantem, nec credere sustinet Annam
Esse: quid in Latios illa veniret agros?
Dum secum Æneas; Anna est, exclamat Achates:
Ad nomen vultus sustulit illa suos.
Quo fugiat? quid agat? quos terræ quærat hiatus?
Ante oculos miseræ fata sororis erant.
Sensit, et alloquitur trepidam Cythereius heros;
Flet tamen admonitu mortis, Elissa, tuæ.
Anna, per hanc juro, quam quondam audire sole-
Tellurem fato prosperiore dari; [bas
Perque Deos comites, hac nuper sede locatos,
Sæpe meas illos increpuisse moras.

599. *Figi, infigi, configi, affigi* de nave dici, quæ magno cum impetu litori, illidatur, docet Heinsius ad hunc locum. *Miscuerat populos.* Hoc explicat Liv. i. 2: "Æneas, ut animos Aboriginum sibi conciliaret, ne sub eodem jure solum, sed etiam nomine essent, Latinos utramque gentem appellavit." Cum solo *Achate*, comite fido, Æneas ambulat etiam Æn. i. 312. Apud Silium ver. 71. Annam Æneas videt *sacro comitatus Iulo. Quid*, scilicet petens, quo consilio, cur *veniret.*

609. *Quos terræ quærat hiatus?*] Silius, iv. 332: "Fugere infixum est, terræque optantur hiatus." Aliter hæc ficta a Silio ver. 73; ibi Æneas "terræ defixam oculos, et multa timentem, Ac deinde allapsam genibus lacrymantis Iuli, Attollit." De *fletu* heroum haud indecoro vide Heynium ad Æn. i. 92.

613. Italiam circumloquitur, quæ *fato* ei destinata: imitatus Nostrum est Silius ver. 105: "Tellurem hanc juro, vota inter nostra frequenter Auditam vobis." *Deos comites;* Penates, quos secum Troja elatos Latio intulit; Æn. i. 6; xii. 192. *Increpuisse*, signis quibusdam datis.

Nec timui de morte tamen; metus abfuit iste:
Hei mihi! credibili fortior illa fuit.
Ne refer: adspexi non illo pectore digna
Vulnera, Tartareas ausus adire domos.
At tu, seu ratio te nostris adpulit oris,
Sive Deus; regni commoda carpe mei.
Multa tibi memores, nil non debemus Elissæ:
Nomine grata tuo, grata sororis, eris.
Talia dicenti, neque enim spes altera restat,
Credidit, errores exposuitque suos.
Utque domum intravit Tyrios induta paratus,
Incipit Æneas; cætera turba silet:
Hanc tibi cur tradam, pia causa, Lavinia conjux,
Est mihi: consumsi naufragus hujus opes.
Orta Tyro, regnum Libyca possedit in ora;
Quam, precor, ut caræ more sororis ames.
Omnia promittit, falsumque Lavinia vulnus
Mente premit tacita, dissimulatque fremens:
Donaque quum videat præter sua lumina ferri
Multa palam, mitti clam quoque multa putat.
Non tamen exactum, quid agat: furialiter odit;
Et parat insidias, et cupit ulta mori.

619. Æneas quum in orcum descendisset, ibi etiam Didonem vidit recentem a vulnere, et cum ea collocutus est; Æn. vi. 450 sqq. Sed longiore oratione Anna nunc ei Didonis fata narrat apud Silium. *Non digna illo pectore*, quæ tale pectus non meruerat, quum tale pectus meliorem sortem meruisset. *Ratio*, consilium tuum certum. *Carpere*, frui. Etiam Dido quondam Æneæ sociis: "Urbem, quam statuo, vestra est;" Æn. i. 573. *Memores debemus*, grato animo meminimus, nos tibi debere. Burmannus e Servio notat, etiam ab Anna Æneam amatum esse. Verum de hoc nunc non est sermo, sed de beneficiis acceptis.

627. *Paratus*, apparatus, amictus, ornamenta corporis; Met. vi. 451: "Magno dives Philomela paratu, Divitior forma." *Tradere*, commendare. *Pia causa* refertur ad gratiam referendam.

633. *Vulnus*, dolor ex zelotypia. *Falsum*, quia temere angebatur. *Premit*, occultat; Æneid. iv. 332: "curam sub corde premebat." *Fremens*, indignans. *Ferri* præstat, quia MSS. veteres fere omnes sic habent, et quia bene convenit verbis *præter sua lumina*.

637. *Exigere*, perpendere quid agas,

Nox erat: ante torum visa est adstare sororis
Squalenti Dido sanguinolenta coma,
Et, Fuge, ne dubita, mœstum fuge, dicere, tectum.
Sub verbum querulas impulit aura fores.
Exsilit; et velox humili super arva fenestra
Se jacit: audacem fecerat ipse timor:
Quaque metu rapitur, tunica velata recincta,
Currit, ut auditis territa dama lupis.
Corniger hanc cupidis rapuisse Numicius undis
Creditur, et stagnis occuluisse suis.
Sidonis interea magno clamore per agros
Quæritur: apparent signa notæque pedum.
Ventum erat ad ripas: inerant vestigia ripis,
Sustinuit tacitas conscius amnis aquas.
Ipsa loqui visa est: Placidi sum Nympha Numicî;
Amne perenne latens, Anna Perenna vocor.
Protinus erratis læti vescuntur in agris;
Et celebrant largo seque diemque mero.

quid exsequaris. *Visa est adstare*, etc. Idem figmentum habet Silius ver. 165. ubi Dido plura verba facit. Etiam Didoni in somnis apparuerat Sychæus interfectus, eamque fugere jusserat; Æn. i. 353. *Mœstum* ab effectu dictum, quod mœrorem injicit; Livius, v. 43. *mœsta fortuna*.

642. *Sub verbum* id quod *ad verbum*, audito hoc verbo. *Querulas*, ut sonum ederent. *Recincta*, sine zona, quia e lecto exsilierat. Alias *succinctæ* currebant, quo expeditiores essent. Etiam Metam. vii. 182: *vestes induta recinctus*. Apud Silium, 188. Anna fugit, "tenui corpus velamine tecta." Cæterum Heins. conjicit *Quoque metus rapuit*.

647. *Numicium* amnem, qui inter Laurentum et Lavinium decurrebat, Noster describit Metam. xiv. 602 sqq. Lacubus multis interceptus erat, et leni motu similis *stagno*. Hinc etiam Æn. vii. 150. "fontis stagna Numici." *Corniger* solemne epitheton fluviorem, quibus vel propter mugitum aquarum, vel propter curvaturas earum, capita aut cornua taurina tribui solebant: *Corniger Tiberis*, Æneid. viii. 77; ipse Numicius *Corniger* Met. xiv. 602.

652. Clamantibus illis in ripa, tacet Numicius, loquitur Nympha. *Placidus* frequens epitheton fluviorum, etiam Numicii Metam. xiv. 601; idemque sæpe in laudibus Deorum hominumque ponitur. Si Nympha antea *Anna* dicta, non opus erat ab *amne* nomen suum deducere. *Celebrant se* Marsus explicat: se reddunt celebres ebrietate. Taubnerus: sua, vel genii sui causa frequentes adsunt. Immo, curant ut bene sibi sit, largiter genio suo indulgent.

Sunt quibus hæc Luna est, quia mensibus impleat annum:
Pars Themin; Inachiam pars putat esse bovem:
Invenies, qui te Nymphen Atlantida dicant;
Teque Jovi primos, Anna, dedisse cibos.
Hæc quoque, quam referam, nostras pervenit ad aures
Fama; nec a veri dissidet illa fide.
Plebs vetus, et nullis etiamnum tuta tribunis
Fugit; et in sacri vertice montis erat.
Jam quoque, quem secum tulerant, defecerat illos
Victus, et humanis usibus apta Ceres.
Orta suburbanis quædam fuit Anna Bovillis
Pauper, sed multæ sedulitatis, anus.
Illa, levi mitra canos redimita capillos,
Fingebat tremula rustica liba manu;

657. Aliæ opiniones de Anna Perenna. Ab *anno* utrumque Deæ nomen deduci potuit. *Inachiam bovem*, Isidem. Sed hoc nihili est. Anna haud dubie fuit una e Deabus veteris Italiæ. *Atlantida*. Taubnerus putat, quia nonnulli Jovem in Arcadia natum tradiderint, *Atlantida* ab Atlante rege dictam esse unam ex Arcadicis Nymphis, quæ Jovis fuisse nutrices perhibeantur. Verum in illis nulla *Anna* memoratur. Burmannus nomen *Atlantida* corruptum censet, quia Noster primam in *Atlante* corripere solet. Musæus tradiderat, Jovem a *Themide* et *Amalthea* Nympha nutritum esse, quibus eum Ops mater tradidisset: Hyginus, Poet. Astronom. ii. 13; Eratosth. Καταστ. 13. Confer Heyn. ad Apollodorum, II. vii. 5; et Munkerum ad Hyginum, fab. 182. ubi Amalthea Oceani filia. Secundum alios Jupiter ab Adrastea et Ida, Melissei filiabus, Amaltheæ lacte est nutritus.

661—674. Anna, mulier Latina, ob alimenta quondam populo præbita fit Dea. Quæ vera sunt, adeoque fidem merentur, *a veri fide non dissidere* dicuntur; alia sunt *veri majora fide*, Metam. iii. 660. aut *veri vix habitura fidem*. *Mons* trans Anienem, tria passuum millia ab urbe distans, in quem plebs anno U. C. 260. secessit, nec inde rediit, nisi *tuta tribunis*, id est, magistratibus suis sacrosanctis, quibus auxilii latio adversus consules esset; Livius, ii. 22; Dionysius, vi. 45. *Sacer* dictus est ex illo tempore. In *vertice* montis, ἐπὶ τῆς ἀκρωρείας, eos castra habuisse narrat et Dionys. cap. 90.

667. *Bovillæ* aut *Bovilla*, oppidum Latinorum haud procul ab urbe ad viam Appiam. Vide Brouckh. ad Propertium, IV. i. 33. quo loco et ipso *suburbanæ Bovillæ*. Horatius, I. Ep. vii. 77. *suburbana rura* in Sabinis. *Sedulitas* eorum est, qui alteri impigre officia præstant, adsunt, apparent; Gronovius, Obs. i. 23.

669. *Mitra.*] Etiam Metam. xiv.

Atque ita per populum fumantia mane solebat
  Dividere: hæc populo copia grata fuit.
Pace domi facta signum posuere Perennæ,
  Quod sibi defectis illa tulisset opem.
Nunc mihi, cur cantent superest obscæna puellæ
  Dicere: nam coeunt, certaque probra canunt.
Nuper erat Dea facta: venit Gradivus ad Annam;
  Et cum seducta talia verba facit:
Mense meo coleris; junxi mea tempora tecum;
  Pendet ab officio spes mihi magna tuo.
Armifer armiferæ correptus amore Minervæ
  Uror; et hoc longo tempore vulnus alo.
Effice, Dî studio similes coeamus in unum:
  Conveniunt partes hæ tibi, comis anus.
Dixerat: illa Deum promisso ludit inani;
  Et stultam dubia spem trahit usque mora.
Sæpius instanti; Mandata peregimus, inquit:
  Evictas precibus vix dedit illa manus.
Gaudet amans, thalamosque parat: deducitur illuc
  Anna tegens vultus, ut nova nupta, suos.

654. Vertumnus anum assimilans, *picta redimitus tempora mitra* venit; de qua fascia vide Salmasium ad Solinum, pag. 392. *Copiam* de alimentis capio; quemadmodum apud historicos *copiæ* de commeatu, frumento dicuntur.

673. *Signum* illud posuere haud dubie in vertice montis, in quo consecrato etiam Jovi Δειματίῳ aram exstruxerunt; Dionys. vi. 90. *Defectis*, deficientibus; vide Heinsium.

675. Redit ad festum geniale Annæ, quod 523—542 descripsit, atque causam reddit, cur eo tempore *puellæ obscæna cantent*. Vera origo sine dubio repetenda est ex moribus priscorum hominum rudibus, unde et Fescennina licentia; Horatius, II. Ep. i. 145 sqq. Sed Ovidius more suo fabulam petulantem intexere maluit. Atque ita Mars, quem initio hujus libri advocavit, ignominiam suam recognoscit. *Certa*, ejusdem semper generis et carmine consignata. *Seducere*, ut Metam. ii. 836. *sevocare*. Beneficium Martis verba *junxi mea tempora tecum* habent, pro quo vicissim aliquid petit. *Officium*, operam lenæ.

686. *Stulta spes*, spes ejus, qui non sentiebat se trahi.

689. *Gaudet* Heinsius dedit ex Mazar. Voss. Arond. et aliis. Cæteri *credit*, quod nec ipsum damnat. Etiam Burmann. dubitabat utrum præferret. Mihi *gaudet* placet; nam *stultam*, scil. credulam spem poeta jam

Oscula sumturus subito Mars adspicit Annam:
Nunc pudor elusum, nunc subit ira, Deum.
Ridet amatorem caræ nova Diva Minervæ;
Nec res hac Veneri gratior ulla fuit.
Inde joci veteres obscænaque dicta canuntur;
Et juvat hanc magno verba dedisse Deo.
Præteriturus eram gladios in principe fixos,
Quum sic a castis Vesta locuta focis:
Ne dubita meminisse; meus fuit ille sacerdos:
Sacrilegæ telis me petiere manus.
Ipsa virum rapui; simulacraque nuda reliqui:
Quæ cecidit ferro, Cæsaris umbra fuit.
Ille quidem cœlo positus Jovis atria servat;
Et tenet in magno templa dicata foro.
At quicumque nefas ausi, prohibente Deorum
Numine, polluerant pontificale caput,

ante notavit. *Deduci* solemne de feminis, quæ concubitus causa, ad aliquem in thalamum deducuntur. *Ridet.* Taubnerus tuetur vulgatam *Ludis*, ut poeta hac apostropha ad *elusum* alludat. Rectius nunc sensus Deæ memoratur. Ridebat et illa et *Venus*, cujus vetus amator sic deceptus.

697—710. *Cædes Julii Cæsaris* facta Idibus Martii anno 707; qui dies inde *parricidium* dictus; Suetonius Cæs. 88. Hanc rem ingeniose Ovid. tractavit, 1° quod cædi apotheosin Cæsaris substituit, quum ille etiam persuasione vulgi, propter stellam crinitam, quæ illo tempore fulsit, ad Deos abiisse crederetur; 2° quod *Vestam* loquentem, et tam Cæsaris divinitatem, quam parricidarum pœnas sibi tribuentem, Augusti denique laudes addentem, induxit. Apotheosin jam ver. 159. attigit.

699. *Meus sacerdos*, quia pontifex maximus præerat Vestalibus. Itaque et v. 419. Vestæ sacra et Augusti pontificatus conjunguntur. Figmentum non malum, quo non *vir*, Cæsar ipse interfectus, sed *simulacrum*, imago ejus, dicitur. *Umbra* autem et *simulacrum* ita junguntur. *Nuda*, mera. Cæterum Dii interdum homini, quem servare vellent, corpus substituebant, ut Diana Iphigeniæ immolandæ cervam Met. xii. 24.

703. Minores Dii nobilium *atria celebrant* Metam. i. 172; hinc Cæsar *Jovis atria servat*. *Servat* locum, qui ibi versatur, habitat; Æn. vi. 556. Tisiphone *vestibulum* Tartari *servat*. *Templum* Cæsari post triennium ab obitu positum anno 712.

705. *Prohibente*, prohibere volente, detestante; Metam. v. 45: *ea, se prohibente, moveri*. *Morte jacent merita*. Etiam rerum scriptores observant, parricidas illos triennio præterlapso omnes interiisse; Suetonius Cæs. 88: " Percussorum autem fere, neque tri-

Morte jacent merita: testes estote Philippi;
Et quorum sparsis ossibus albet humus.
Hoc opus, hæc pietas, hæc prima elementa fuerunt
Cæsaris, ulcisci justa per arma patrem.
Postera quum teneras Aurora refecerit herbas,
Scorpios a prima parte videndus erit.
Tertia post Idus lux est celeberrima Baccho.
Bacche, fave vati, dum tua festa cano:
Nec referam Semelen, ad quam nisi fulmina secum
Jupiter adferret; parvus inermis eras:
Nec, puer ut posses maturo tempore nasci,
Expletum patrio corpore matris onus.

ennio quisquam amplius supervixit, neque sua manu defunctus est. Damnati omnes, alius alio casu periit, etc." Memorabile prælium *Philippense* in Thessalia, in quo Brutus, Cassius, Cascæ fratres sua manu perierunt; Plutarchus Cæs. 26. *Albet humus ossibus*, ubi plures sepulti aut insepulti jacent; Æneid. xii. 36. "campi ingentes ossibus albent." Bellum Philippense autem *pro ultione paterna* suscepit *Cæsar* Augustus; Suetonius August. 29. *Prima elementa*, initia imperii et rerum gerendarum.

711. *Scorpii mediis occasus* cosmicus xvii. Kal. Aprilis. Sed Columella, xi. 2: "Idibus Martii Nepa incipit occidere." Plin. xviii. 65: "Cæsar et Idus Martias ferales sibi adnotavit Scorpionis occasu."

713—790. *Liberalia* tert. post Idus sive xvi. Kal. Aprilis. Præmissis Bacchi laudibus, vers. 715—724. poeta causas expromit, cur iis festis, et liba populo offerantur ab anu hedera cincta 725—770. et toga libera pueris detur 771—790.

715. Non hymnum canam in Bacchum. Hymnis enim natales, virtutes, res gestæ Deorum celebrabantur. Hymnum in Bacchum habes Met. iv. 11 sqq. Confer Horatium, ii. Od. 19. De *Baccho* universe disputat Heynius ad Apollodorum, iii. 5 init. De natalibus vide Metam. iii. 273. *Semele* quum Jovis *fulminibus* arderet, Jupiter utero ejus Bacchum eripit, femori suo insuit, ut materna tempora impleat, atque Nyseidibus educandum tradit. *Ad quam*, etc. ad Semelen, te utero ferentem, nisi Jupiter fulmina secum adtulisset, tu esses quid? Hic responderi non potest, *parvus inermis:* id enim nec latinum est, nec sensum habet justum. Nec multum proficitur, si ex Heinsii conjectura *partus inermis eras* legas. Quidam ex melioribus, *erat*, ut ad Jovem referatur; sed hæc lectio pari difficultate laborat. Locus igitur corruptus est. Difficultas non tolletur, quamvis interpungas, *parvus, inermis eras.* Lem. *Matris onus*, tu, quem mater aliquot menses utero tulerat, *patrio corpori*, femori, insutus, *expletus*, ad maturitatem perductus es, ut justo tempore nasci posses. *Maturus* et de ventre onus ferente, et de matre partui vicina, et de tempore ad pariendum idoneo dicitur.

Sithonas, et Scythicos longum enumerare trium-
  Et domitas gentes, turifer Inde, tuas. [phos;
Tu quoque Thebanæ mala præda tacebere matris,
  Inque tuum furiis acte, Lycurge, genu.
Ecce libet subitos pisces Tyrrhenaque monstra
  Dicere: sed non est carminis hujus opus.
Carminis hujus opus, causas expromere, quare
  Vilis anus populos ad sua liba vocet.
Ante tuos ortus aræ sine honore fuerunt,
  Liber, et in gelidis herba reperta focis.
Te memorant, Gange totoque Oriente subacto,
  Primitias magno seposuisse Jovi.
Cinnama tu primus, captivaque tura dedisti,
  Deque triumphato viscera tosta bove.

719. Res gestæ Bacchi. Furore ei a Junone injecto, Ægyptum, Syriam, Phrygiam peragravit, et inde per Thraciam ad Indos devenit, a quibus Thebas rediit. Hoc iter breviter narravit Apollodorus, III. v. 5; copiosius Diodorus Siculus, iv. et Nonnus in Dionysiac. *Sithones* sive *Sithonii*, gens Thraciæ ad pontum Euxinum, eaque compotationibus dedita; Horat. I. Od. xviii. 9. De *ture* Plin. xii. 30: "tura, præter Arabiam, nullis, ac ne Arabiæ quidem universæ." Nempe Saba regio turifera; v. sup. ad i. 341. Sed *India* antiquis omnis terra orientalis, inprimis in australibus partibus sita. Vide Cuperi Observat. iv. 7.

721. De *Pentheo*, *Thebanorum* rege, quem, quum Bacchi sacra nollet accipere, ipsa *mater* Agave, in furorem adacta, dilaceravit, vide Metam. iii. 511 sqq. *Præda*, nam Pentheus matri videbatur aper. *Lycurgus*, Edonum in Thracia rex, vites omnes excidit, Bacchique nutrices bipenni persecutus est. De pœna ei illata dictum ad Metam. iv. 22. Secundum nonnullos crura sibi amputavit falce: sic *actus* est in *genu* suum. *Subitos pisces*, etc. Tyrrhenos nautas subito in delphinas transformatos: Metam. iii. 597 sqq.

726. Varro lib. v. de Ling. Latina: "Liberalia dicta, quod per totum oppidum eo die sedent sacerdotes Liberi, hedera coronatæ anus, cum libis et foculo pro emtore sacrificantes." Horum igitur singulorum causæ hic expromuntur. De origine et progressu sacrorum cf. i. 337 sqq. quæ ab his discrepant. *Gelidis*, etc. In focis *herbæ* enascebantur, quia nunquam accendebantur. Pro *seposuisse* MSS. plurimi *supposuisse*; sed alterum eleganter de iis, quæ destinantur ad usum aliquem. Vide nos ad Plinium, panegyr. lvii. 4. *Cinnamum* mittebat Æthiopia; Plinius, xii. 19. De *bove* mactari cœpto conf. Metam. xv. 129 sqq.

Nomine ab auctoris ducunt libamina nomen,
  Libaque; quod sacris pars datur inde focis.
Liba Deo fiunt, succis quia dulcibus ille
  Gaudet, et a Baccho mella reperta ferunt.
Ibat arenoso Satyris comitatus ab Hebro:
  Non habet ingratos fabula nostra jocos;
Jamque erat ad Rhodopen, Pangæaque florida ven-
  Æriferæ comitum concrepuere manus. [tum;
Ecce novæ coeunt volucres tinnitibus actæ;
  Quaque movent sonitus æra, sequuntur apes.
Colligit errantes, et in arbore claudit inani
  Liber; et inventi præmia mellis habet.
Ut Satyri, levisque senex tetigere saporem,
  Quærebant flavos per nemus omne favos.
Audit in exesa stridorem examinis ulmo;
  Adspicit et ceras; dissimulatque senex:

733. Mira etymologia *libaminum* et *liborum*. Apud Plutarchum contra, Quæst. Rom. tom. vii. 161. ed. Reisk. nomen duxit Liber a *libis*, *ὅτι τὴν λοιβὴν παρέσχεν*, *quia liba exhibuit*. *Libis* lac et *mella* addebantur; Tibullus, I. vii. 54: "liba dulcia Mopsopio melle." Sic egreditur narratio in mellis inventionem, de qua variæ traditiones. Vide Intt. ad Virgilium, Georg. iv. init. et ad versum 150.

737. *Satyri* et *Silenus* perpetui atque fideles Bacchi comites. Eorum *manus ferebant* cymbala, *æra* concava, quæ inter se concussa *crepitum*, sive *tinnitum* acutum dabant. E tali sonitu voluptatem apes capere credebantur; Aristot. Hist. Anim. ix. 40; Plinius, xi. 22. Itaque et Curetum olim sonitum crepitantiaque æra secutæ erant; Virg. Georg. iv. 151. *Pangæa*, mons Thraciæ, *florida* propter herbas apibus gratas. Heinsius ex Trist. V. vi. 37. *florida Hyhla* comparat. *Actæ*, ductæ, impulsæ. Burmannus mallet *ictæ*, quia alterum posset de abactis, fugatis intelligi. *In arbore claudit inani*. Etiam apud Virgil. Georg. iv. 64. apes cymbalorum tinnitu colliguntur, et in alvearia coguntur.

745. E comitibus nunc quoque Silenus partes primas agit, *senex levis*, id est calvus, *vertice nudo*, ut mox vocatur; quemadmodum et imberbes *leves* dicuntur Horatio IV. Od. vi; Tibullo I. ix. 31. *Tangere*, gustare. *Flavos favos*. Ut *ὁμοιοτέλευτον* vitetur, Heins. et Taubnerus ex uno Vatic. *dulces favos* præferunt, quamquam ille et *niveos* suadet. Sed nil mutandum; talia enim optimo cuique poetæ excederunt, ut ad Metam. ii. 398 monuimus. Conf. et infra vi. 553.

747. *Exesa*, quæ ante *inanis*, mox

Utque piger pandi tergo residebat aselli,
Applicat hunc ulmo, corticibusque cavis.
Constitit ipse super ramoso stipite nixus;
Atque avide trunco condita mella petit.
Millia crabronum coeunt; et vertice nudo
Spicula defigunt, oraque summa notant.
Ille cadit præceps, et calce feritur aselli;
Inclamatque suos, auxiliumque rogat.
Concurrunt Satyri, turgentiaque ora parentis
Rident: percusso claudicat ille genu.
Ridet et ipse Deus; limumque inducere monstrat:
Hic paret monitis, et linit ora luto.
Melle pater fruitur; liboque infusa calenti
Jure repertori candida mella damus.
Femina cur præstet, non est rationis opertæ:
Femineos thryso concitat ille choros.
Cur anus hoc faciat, quæris? vinosior ætas
Hæc est, et gravidæ munera vitis amans. [cho:
Cur hedera cincta est? hedera est gratissima Bac-
Hoc quoque cur ita sit, dicere nulla mora est.
Nysiades Nymphæ, puerum quærente noverca,
Hanc frondem cunis apposuere novis.

cava. In *pandi aselli tergo* non fortiter hærere Silenus solebat; iv. 27. *Notare*, ut Tibullus, IV. iii. 10: "hamatis crura notare rubis." Pro *summa* olim vulgab. *prima*, quod Heinsius in *sima* mutari volebat. Puto, poetam denuo verticem indicare voluisse, spicula vertice defigunt, eumque notant.

759. *Limum inducere* bene se habet, dictumque, ut *inducere nubes, tenebras, pallorem, aurum*.

763. *Anus* liba illa præbebat. Noster igitur separatim et de sexu et de ætate ejus quærit. Revocavi antiquam lectionem *præstet*, id est exhibeat prætereuntibus. *Hoc faciat*. Burmannus ad *hoc* intelligit libum, monetque *facere* esse verbum culinarium. Immo: cur hoc faciat, ut liba præstet?

769. *Nysa*, urbs et mons Indiæ, ubi *Nyseides Nymphæ*, quæ Bacchum in antro quodam educarunt; Metam. iii. 314. *Apposuere*, Bacchus diligere hanc frondem cœpit, quia sibi *apposita* erat. *Noverca*, Juno.

Restat, ut inveniam, quare toga libera detur
  Lucifero pueris, candide Bacche, tuo.
Sive, quod ipse puer semper juvenisque videris,
  Et media est ætas inter utrumque tibi:
Seu, quia tu pater es, patres, sua pignora, natos
  Commendant curæ numinibusque tuis:
Sive, quod es Liber, vestis quoque libera per te
  Sumitur, et vitæ liberioris iter.
An, quia, quum prisci colerent studiosius agros,
  Et patrio faceret rure senator opus,
Et caperet fasces a curvo consul aratro,
  Nec crimen duras esset habere manus,

771. Quatuor causæ, cur toga virilis illo die detur. Quæ ut locum haberent, togam illam *liberam* potius dixit, quam virilem; *liberior* vocatur Trist. IV. x. 28. Datam eam sæpe esse Liberalibus, etiam e Cicerone ad Atticum, VI. Ep. i. p. 691. Ern. constat: "Quinto togam puram Liberalibus cogitabam dare; mandavit enim pater." *Candidus* solemne Bacchi epitheton ob virgineam oris pulchritudinem.

773. Metam. iv. 17: "tibi inconsumta juventas, Tu puer æternus:" id quomodo intelligendum sit, ex nostro loco cognoscitur: *media est ætas inter utrumque*. Etiam tempus, quo toga virilis sumebatur, medium erat inter pueritiam et juventutem. *Patres* omnes Dii dicebantur, sed Bacchus inprimis; idem *Liber Pater*. Sed Noster de utroque nomine separatim loquitur. *Numina* sæpe de uno Deo; Metam. iii. 290. *Stygii numina*. Conjungi autem cum mutatione illa togæ, ut re gravissima, regiones solebant.

778. *Liberioris*, quum, custode remoto, suo arbitrio vivunt.

779. De hoc *studio* priscorum Romanorum confer i. 204 sqq. *Patrio*, a majoribus hæreditate accepto, nullis accessionibus aucto; Horatius, I. Od. i. 11; Epod. ii. 3. *Opus facere* præcipue de agricolis dicitur. *Ab aratro*, stans ad aratrum, innixus aratro, aut, posito, relicto aratro; i. 207; Florus, I. xi. 12: "Lucius Quinctius, ille dictator ab aratro—patricium virum innixum aratro suo lictor in ipso opere deprehendit." Seriore tempore *duræ manus* crimini erant; sed Seneca de Vita beata cap. 7. virtuti *callosas manus* tribuit. De *rusticis* ad *ludos* in urbem venientibus confer Horatium, Art. Poet. 210 sqq. *Studiis*, arti poeticæ et musicæ. *Tædifera Dea*, Ceres, quæ tædam præ se ferens raptam filiam quæsivit; iv. 417 sqq; Metam. v. 442. *Tiro*, puer qui accipit togam virilem, unde et dies ille solemnis *dies tirocinii* dictus est. Eum *celebrat frequentia*; magna cognatorum, amicorum, clientum multitudo honoris causa deducit, aut comitatur in forum, et inde domum, qui dicebantur *in officio togæ virilis* esse. Ea frequentia id sine incommodo suo maxime tempore ludorum facere poterat. Verba *Sed Dis—honos* obiter tantum, et quasi per parenthesin addita.

Rusticus ad ludos populus veniebat in urbem?
Sed Dîs, non studiis ille dabatur honos.
Luce sua ludos uvæ commentor habebat,
Quos cum tædifera nunc habet ipse Dea.
Ergo ut tironem celebrare frequentia possit,
Visa dies dandæ non aliena togæ.
Mite, pater, caput huc placataque cornua vertas;
Et des ingenio vela secunda meo.
Itur ad Argeos, qui sint, sua pagina dicet,
Hac, si commemini, præteritaque die.
Stella Lycaoniam vergit proclinis ad Arcton,
Miluus: hæc illa nocte videnda venit.
Quid dederit volucri, si vis cognoscere, cœlum;
Saturnus regnis ab Jove pulsus erat.
Concitat iratus validos Titanas in arma;
Quæque fuit fatis debita, poscit opem.
Matre satus terra, monstrum mirabile, taurus
Parte sui serpens posteriore fuit.
Hunc triplici muro lucis incluserat atris
Parcarum monitu Styx violenta trium.
Viscera qui tauri flammis adolenda dedisset,
Sors erat, æternos vincere posse Deos.

789. Preces, sis mihi *mitis* et *placatus*, formæ Bacchi accommodare voluit, cui a poetis *cornua*, potentiæ symbolum, eaque parva tribuebantur; Metam. iv. 19. *Et des*, etc. sic et Propert. III. xv. 2: "Da mihi bacchato vela secunda pater."

791. Liv. i. 21. de Numa: "Multa alia sacrificia locaque sacris faciendis, quæ Argeos pontifices vocant, dedicavit." Cur ita dicta sint, certo dici nequit. Vide Conrad. ad Gellium, Noct. Attic. x. 15. ubi flamen *ire ad Argeos* dicitur. *Sua pagina dicet*, suo loco dicetur; *pagina* de fastis inprimis ponebatur. Vide Schwarz. ad Plinium, panegyr. 92.

793—803. *Milui sideris origo.*] De eo Plinius, xviii. 65: xv. *Kalend. April. Italiæ Miluum ostendi.*

796. Sequitur pars Titanomachiæ, celebratæ olim Eumeli, Thamyridis, Lini carminibus. Secundum Hyginum, fab. 150. Juno Titanas in arma concitat, ut regnum, Jove pulso, Saturno restituant.

801. Etiam Æneid. vi. 549. apud inferos *mœnia* (locus) *triplici circum-*

Immolat hunc Briareus facta ex adamante securi;
Et jam jam flammis exta daturus erat.
Jupiter alitibus rapere imperat: adtulit illi
Miluus; et meritis venit in astra suis.
Una dies media est; et fiunt sacra Minervæ;
Nominaque a junctis quinque diebus habent.
Sanguine prima vacat; nec fas concurrere ferro:
Causa, quod est illa nata Minerva die.
Altera tresque super strata celebrantur arena:
Ensibus exsertis bellica læta Dea est.
Pallada nunc pueri, teneræque ornate puellæ:
Qui bene placarit Pallada, doctus erit.

data muro, quæ Phlegethon flammis ambit torrentibus. Ibi Tisiphone sedem habet. *Sors*, vaticinium.

805. *Briareus*, unus e Centimanis, quem propter fortitudinem generum sibi sumsit Neptunus; Hesiodus, Theog. 816. *Adamas*, ferrum. Etiam Saturno Terra dedit *ἀδαμαντίνην ἅρπην*; Apollodorus, I. i. 3.

809—850. *Quinquatrus* aut *Quinquatria*, festum Minervæ, inde a xiv. Kalend. April. sive d. 18. Martii. Ovidius exponit, quid illis diebus fieri soleat, quæritque, 837—846. unde Minervæ cognomen *Captæ* sit inditum. Varro et Festus putant, quinquatrus *nomen* habere inde, quod celebrata sint hæc solemnia post diem quintum Iduum, similiterque apud Tusculanos *Triatrus*, *Septimatrus*, et apud Faliscos *Decimatrus* dictos.

812. Illa die *nata Minerva*, quatenus ei templum in Aventino dedicatum, quod notat Verrius. Etiam Kalendarium Vindob. *N. Minervæ*. Vide Gesenii Symbolas, pag. 32. *Sanguinis* pro ludis gladiatoriis. Idem denuo dicit, *concurrere ferro*, (quibus vocibus non, ut Neapolis putabat, prælusiones respexit, quæ rudibus fiebant,) et tertio, *super strata arena*; in amphitheatris enim solum *stratum* erat *arena*; Trist. ii. 282: "Martia quum durum sternit arena solum." Neapolis eo refert, quod principes quidam circum chrysocolla constraverint. At hoc serius factum, ab insanis tantum imperatoribus. Suetonius Calig. 18. Plures MSS. hoc loco *rasa*, ut sit æquata. De *altera* die Noster ait etiam Trist. IV. x. 13: "Hæc est armiferæ festis de quinque Minervæ, Quæ fieri pugna prima cruenta solet." Quarto variavit ludorum notionem *ensibus exsertis*, strictis.

815—834. Diebus illis plurimi Minervam precibus exposcebant, ut operum, quibus præesset, successus sibi daret. Sic multi eloquium et famam Demosthenis aut Ciceronis sibi totis Quinquatribus orabant; Juvenalis, Sat. x. 118. Hinc pendet hæc excitatio, quam poeta in fine exemplo suo comprobat. *Ornate* nempe coronis, quod fieri solebat diebus festis; Tibullus, II. i. 54: "Ornatos ante Deos carmen dicere." Male igitur in editis quibusdam *orate*. *Doctus*, peritus operis in suo genere.

Pallade placata, lanam mollire puellæ
Discant, et plenas exonerare colos.
Illa etiam stantes radio percurrere telas
Erudit; et rarum pectine denset opus.
Hanc cole, qui maculas læsis de vestibus aufers;
Hanc cole, velleribus quisquis ahena paras:
Nec quisquam invita faciat bene vincula plantæ
Pallade: sit Tychio doctior ille licet;
Et licet antiquo manibus collatus Epeo
Sit prior; irata Pallade mancus erit.
Vos quoque, Phœbea morbos qui pellitis arte,
Munera de vestris pauca referte Deæ.

817. Propter multitudinem inventorum Athenienses primi Minervam Ἐργάνην cognomento appellaverunt; Pausanias Attic. cap. 24; Diodorus Siculus, tom. i. pag. 340. Hinc eam et Arnobius adv. Gentes, iii. pag. 118. "Magisteriis artium et disciplinarum varietatibus eruditam" appellat. Eam ob causam opifices ei supplicasse, observat Lactantius de fals. Relig. I. xviii. 23. Inde pendet locus sq. In iis artibus prima est ὑφαντική, texendi ars; Ælianus, Histor. Anim. vi. 57. Quapropter *operari Minervæ* dicuntur puellæ operi textorio operam dantes; Tibullus, II. i. 65. *Mollitur* lana, quum trahitur ut tenuior fiat, hoc loco, quum trahitur in stamina.

819. Confer Metam. vi. 54 sqq. *Tela*, trama staminum, series duplex staminum. Dicitur *stans* et alibi *pendula*, quia stamina ad perpendiculum extendebantur. *Radius*. Ejus ope in transversum immittitur subtemen. Tum *opus* adhuc *rarum pectine* feritur, ut *densum* fiat. *Denset*, non *densat*, habent vetustiores, et est forma antiqua et poetica. Vide Giphanii Ind. Lucret. in *densere*.

821. Descriptio fullonis, qui et *læsas* sive sordidas vestes lavando atque calcando purgabat, et, creta sive cimolia adhibita, candidas reddebat. In *ahenis* infectores fucos ad lanam imbuendam coquere solebant; Metam. vi. 61. ubi *Tyrium ahenum*.

823. *Vincula plantæ*, calceamenta. Secundum Plinium, vii. 56. *Tychius*, Hyla Bœotius, *sutrinam* invenit. Ab Homero, Il. H. 221. idem σκυτοτόμων ὄχ' ἄριστος vocatur, qui Ajacis scutum fabricaverit; confer. Strabo, ix. pag. 408. Nempe σκυτοτόμος, quicumque coria tractat, sutor, lorarius, ephippiarius. Porro *Epeus* monitu Minervæ equum Trojanum miræ magnitudinis fecisse traditur. Virgilius, Æn. ii. 264; Hyginus, fab. 108. Paulo aliter Plinius, VII. lvii. pag. 416: "Equum (qui nunc aries appellatur) in muralibus machinis Epeus ad Trojam" reperit. *Manus*, opera manuum; qui iis minus valet aut excellit, *mancus* dicitur.

827. Etiam Minerva medicæ arti præerat, unde et ipsa *Medica* dici solebat, quod Neapolis e marmore quodam Placentino comprobat. *Nec vos—Spernite*. Hanc lectionem etiam Burmanno probatam non dubitavi e tribus

Nec vos turba Deam censu fraudata magistri
Spernite: discipulos adtrahit illa novos;
Quique moves cœlum; tabulamque coloribus uris;
Quique facis docta mollia saxa manu.
Mille Dea est operum: certe Dea carminis illa est,
Si mereor, studiis adsit amica meis.
Cælius ex alto qua mons descendit in æquum,
Hic ubi non plana est, sed prope plana via est;
Parva, licet, videas Captæ delubra Minervæ,
Quæ Dea natali cœpit habere suo.
Nominis in dubio causa est: capitale vocamus
Ingenium sollers: ingeniosa Dea est.

MSS. recipere, et *censu fraudatam* intelligo pauperem. Nam *fraudatus* omnino est privatus, destitutus, et *census*, opes; sic omnia mihi clara videntur. Vos magistri, licet pauperes sitis, ne dubitate Deæ munera afferre; adtrahet illa novos discipulos, atque ita pietatem vestram remunerabit. Nihilo tamen minus hic locus valde vexavit interp. Vulgatur: *Nec vos turba feri censu fraudata magistri Spernite.* Neapolis ex Macrobii i. Saturn. 11. notabat, hoc mense solutum esse didactrum a discipulis; deinde fingebat, pueros, qui illud didactrum sibi a parentibus datum tempore feriarum ludis et bellariis impenderint, postea metu et pudore non ausos esse ad scholam accedere; sic magistros *censu*, stipendio, esse fraudatos et Ovidium eos propterea consolari. Gronovius, de Pec. vett. iv. 2. emendabat: *Nec vos ture feri censum fraudare magistri Spernite*; Heinsius corrigebat: *Nec vos ære brevem censum fraudare magistri Spernite*, vel etiam *ære brevi*, i. e. stipe exigua novorum discipulorum; eam magistros Quinquatribus Minervæ consecrasse nomine Minervalis. Taubnero arridebat et ratio Neapolis, et lectio *sensu fraudata*; etenim *feros* magistros ferme esse *sensu fraudatos*, et in parvo honore fuisse plagosos Orbilios. Hinc satis intelligi arbitror, quo falsa lectio viros etiam doctos deducat.

831 sq. Sculptores, pictores, marmorarios complectitur. *Cælum*, instrumentum sculptorum, quamquam et aliorum artificum. Vide Heynium in *Antiq. Aufsaetzen*, P. II. pag. 136. Sed Taubnerus de cœli sphæra arte facta, qualis fuerit Archimedis, cogitabat. Encaustæ *tabulam urebant coloribus*, h. e. ceras inurebant expansas super loco pingendo; Plinius, xxxv. 4. *Mollia* signa etiam Cic. Brut. 18. sunt bene elaborata, polita.

835. *Cælius* mons, quem urbi addidit Tullus Hostilius; Livius, i. 30. Ibi Minervæ *Captæ* delubrum fuisse, etiam P. Victorius de Regionibus testatur. *Nominis causas* Ovidius miras proponit, et Heinsius miratur, eum non et capti Palladii meminisse. *Capitalis*, ingeniosus, etiam Cic. ad Quint. fratr. ii. 12. Vide Mureti Varr. Lect. ii. 11. *De capitis*, etc. Arnob. adv. Gent. iv. pag. 137: Minerva, "cui Coryfasiæ nomen est, vel ex Coryfæ

An, quia de capitis fertur sine matre paterni
Vertice, cum clypeo prosiluisse suo?
An, quia perdomitis ad nos captiva Faliscis
Venit, et hoc ipsum litera prisca docet?
An, quod habet legem, capitis quæ pendere pœnas
Ex illo jubeat furta reperta loco?
A quacumque trahis ratione vocabula, Pallas,
Pro ducibus nostris ægida semper habe.
Summa dies e quinque tubas lustrare canoras
Admonet, et forti sacrificare Deæ.
Nunc potes ad solem sublato dicere vultu;
Hic here Phryxeæ vellera pressit ovis.

matris signo, vel quod ex vertice summo Jovis parmam ferens emicuit, atque armorum acciucta terroribus."

843. *Falisci* se Camillo dediderunt ann. U. C. 361; Livius, v. 24. Capta urbe quadam, Dii ejus deduci solebant; ibid. 22. *Litera prisca*, libri antiqui, annales. *An, quod habet legem*, etc. Locus difficilis atque haud dubio corruptus. *Reperiri* esse deprehendi, satis docuit Heinsius; sed quid est *ex loco reperiri*? Illis verbis melius convenit vulgat. *recepta*. Neque apparet, quis *locus* intelligatur. Denique durissimum est illud: *furta reperta pendere pœnas capitis*. Festus habet hæc: "Capitalis lucus, ubi si quid violatum est, capite violatoris (duo MSS. *vigilatoris*, quod melius) expiatur." Itaque Burmannus conjicit voc. *vigil* latere in illis *ex illo*, pro quibus in plurimis cod. *exilio*. Præterea e Mazar. *pœnis* recipiendum putat, et subintelligend. *fures*; fures pendere sua furta pœna capitis. *A quacumque ratione*, undecumque.

849. *Tubilustrium* Kal. x. Aprilis sive die xxiii. Martii etiam in Kalendario notatur. Lustrabantur autem tubæ secundum Varronem et Festum in atrio Sutorio. Pro *Deæ* Ursin. Mazarin. et a manu prima Zulich. *Deo*, ut Mars intelligatur, cui sacra fuerint hæc priora tubilustria, ut altera mensis Maii Vulcano. Ei lectioni sane aliquantum auctoritatis addunt Verrius et Lydus, quorum ille, *Feriæ Marti*, hic, Καθαρμὸς σαλπίγγος, τιμαὶ Ἄρεος καὶ Νερίνης. Itaque Gesen. p. 33. non dubitat eam præferre vulgatæ: sed vir doctus in Ephem. Halens. ann. 1808. n. 74. hanc tuetur, ut *fortis Dea* sit vel Minerva, vel potius Nerine, Martis uxor. Eam enim e propria nominis sui Sabini potestate *fortem Deam* dici posse. Lydus: νερίνη γὰρ ἡ ἀνδρία. *Summa*, ultima.

851.—876. *Sol ingreditur arietem.*] Hujus sideris origo narratur. Ino, Cadmi filia, Athamantis uxor, quum Phryxum et Hellen, quos Athamas ex Nephele genuerat, odio haberet, dolis malis effecit, ut illi ad aram deducerentur immolandi. Ereptis Nephele mater dat arietem aureo vellere, quo per freta avehantur. Is, ubi litus attigit, fit sidus, vellusque ejus aureum deportatur in Colchida.

Nunc. Non est, ut Neapolis putabat, primo Quinquatruum die, sed ultimo, de quo in proximis sermo. Ergo

Seminibus tostis sceleratæ fraude novercæ,
  Sustulerat nullas, ut solet, herba comas.
Mittitur ad tripodas, certa qui sorte reportet,
  Quam sterili terræ Delphicus edat opem.
Hic quoque corruptus, pro semine nuntiat Helles
  Et juvenis Phryxi funera sorte peti.
Utque recusantem cives, et tempus, et Ino
  Compulerunt regem jussa nefanda pati;
Et soror, et Phryxus, velati tempora vittis,
  Stant simul ante aras; junctaque fata gemunt.
Adspicit hos, ut forte pependerat æthere, mater;
  Et ferit attonita pectora nuda manu:
Inque draconigenam nimbis comitantibus urbem
  Desilit; et natos eripit inde suos.
Utque fugam rapiant, aries nitidissimus auro
  Traditur: ille vehit per freta longa duos.

heri est xi. Kal. et Æquinoctium, quod ver. 877. memoratur, in viii. Kal. Aprilis, sive in diem xxiv. Martii incidit. Sic Noster consentit cum Kalend. vet. et Plinio, xviii. 26. Sol *premit* loca, ad quæ accedit, Metam. xiv. 416. atque adeo sidera, quæ ingreditur; Metam. ix. 286. quum *decimum premeretur sidere signum*.

853. Hæc de *seminibus tostis* Noster jam ii. 628. attigit. Ino mulieres impulit, ut clam maritis fruges, quas in sementem darent, torrerent, ne nascerentur, ita ut civitas tota fame periret. *Nullas sustulerat comas*, non creverat in aristas; Apollodorus *καρπὸς ἐτησίους γῆ οὐκ ἀνεδίδου*. Nuntio, quem eam ob causam Athamas Delphos misit, Ino præcepit, ut falsum responsum referret. Hinc *corruptus* vocatur, et quidem e vulgat. lectione, *cum semine*, quem Ino æque corruperat, ac ante semina: quod durum. Burmannus igitur unius cod. lectionem recepit, *pro semine peti funera*, semina recte surrectura esse, si Phryxus et Helle mactentur. Mitscherl. servavit alteram. Probavit et Krebs. *Cives* Athamanta cogunt etiam apud Apollodorum, sed juxta Hyginum Phryxus ultro ac libens pollicetur se unum civitatem ærumna liberaturum.

863. *Mater*, Nephele, quæ latinis mythographis *Nebula* dicitur. Nebulæ aut nubes *pendere* dicuntur; Virgilius, Georg. i. 214. Pro *forte* Mitsch. *sorte*. Apud Hyginum nuntius misericordia adolescentis tactus Inus consilium Athamanti aperit. Quos Cadmus in condenda urbe socios habuerat, e satis serpentis dentibus nati tradebantur; Metam. iii. 161 sqq. Hinc ibidem ver. 531. Thebani *anguigenæ* vocantur, atque nunc urbs eorum *draconigena*; Metam. vii. 212. *serpentigena* legitur. *Desilire*, ut *delabi*, de Diis in terram descendentibus.

867. *Nitidissimus auro*, *χρυσόμαλ-*

Dicitur infirma cornu tenuisse sinistra
Femina, quum de se nomina fecit aquæ.
Pæne simul periit, dum vult succurrere lapsæ
Frater, et extentas porrigit usque manus.
Flebat, ut amissa gemini consorte pericli,
Cæruleo junctam nescius esse Deo.
Litoribus tactis Aries fit sidus: at hujus
Pervenit in Colchas aurea lana domos.
Tres ubi Luciferos veniens præmiserit Eos,
Tempora nocturnis æqua diurna feres.
Inde quater pastor saturos ubi clauserit hædos,
Canuerint herbæ rore recente quater;
Janus adorandus, cumque hoc Concordia mitis,
Et Romana Salus, araque Pacis erit.
Luna regit menses: hujus quoque tempora mensis
Finit Aventino Luna colenda jugo.

λος. Jam Hesiodus et Pherecydes ei aureum vellus dederant; Hygin. Poet. Astr. dicto loco. Apud eumdem, fab. 3. mater arietem inauratum adducit, Neptuni et Theophanes filium. Purpureum illud vellus Acusilaus vocat in Schol. ad Apollonium, iv. 1147. Vide Vossii *Mythолog. Briefe*, tom. i. pag. 254: Apollodoro et Tzetze in Lycophr. pag. 7. auctoribus, aries dorso impositos *vexit* non *per freta*, sed per aera. Omnino hæc fabula maxima varietate relata est.

877. *Æquinoctium vernum* viii. Kalend. Aprilis. Vide ad ver. 851. Plinius, xviii. 66: "Æquinoctium vernum ad diem viii. Kal. Aprilis peragi videtur." Varie autem olim æquinoctia constituebantur: Columella, ix. 14. "Nec me fallit Hipparchi ratio, quæ docet solstitia et æquinoctia non octavis, sed primis partibus signorum confici. Verum in hac ruris disciplina sequor nunc Eudoxi et Metonis, antiquorumque fastos Astrologorum, qui sunt aptati publicis sacrificiis."

879. Circumloquitur v. Kalend. Aprilis sive diem xxvii. Martii, quo die *Festum Jani, Salutis, Concordiæ, Pacis. Salus*, valetudo. Augustus tres statuas posuit Ὑγίειας δημοσίας, καὶ Ὁμονοίας καὶ Εἰρήνης· Zonaras, x. 34. De *ara Pacis* vide i. 709.

883. *Lunæ* ædes in *Aventino*. Livius, xl. 2; Rufus in Regione xii. Etiam Tacitus Annal. xv. 41. templum *Lunæ* memorat, quod Servius Tullius condiderit.

LIBRI QUARTI

ARGUMENTUM.

Invocatio Veneris, 1—18. Germanici nobilitas et origo a Venere per Æneam; causa, cur Aprilis olim secundum locum habuerit, 19—60. De nomine Aprilis duæ sententiæ; de potentia Veneris, 61—132. Festum Veneris et Fortunæ Virilis; Venus Verticordia, 133—162. Occasus Scorpii, 163—164. Pleiadum occasus et numerus, 165—178. Megalensia; omnis mythologia de Matre Deûm, et quomodo e Phrygia Romam arcessita, 179—372. Fortunæ Publicæ ædes dedicata; Victoria Cæsaris de Juba; Libræ et Orionis occasus; imbres, 373—388. Cereris ludi et merita; raptus Proserpinæ, 389—620. Jovi Victori templum, et Libertati atrium datum, 621—624. Grando; Victoria Cæsaris ad Mutinam, 625—628. Fordicidia; eorum ritus et origo inde a Numa, 629—672. Augustus Imperator dictus, 673—676. Hyadum occasus, 677—678. Vulpium in Circensibus combustio, 679—712. Solis transitus ex Ariete in Taurum, 713—720. Palilia, 721—806. Natalis Urbis; ejus origo et Remi occasus, 807—862. Vinalia; auxilium Mezentii Turno latum, 863—900. Ver medium, Arietis occasus; imbres; exortus Canis, 901—904. Robigalia, 905—942. Floralia et Vestæ in Palatium translatio, 943—954.

P. OVIDII NASONIS

FASTORUM

LIBER QUARTUS.

ALMA, fave vati, geminorum mater Amorum :
  Ad vatem vultus rettulit illa suos.
Quid tibi, ait, mecum? certe majora canebas :
  Num vetus in molli pectore vulnus habes?
Scis, Dea, respondi, de vulnere : risit; et æther
  Protinus ex illa parte serenus erat.
Saucius, an sanus, numquid tua signa reliqui?
  Tu mihi propositum, tu mihi semper opus.

1—18. *Invocatio Veneris et colloquium poetæ cum Dea.*] Paulo petulantius hoc est, at convenientissimum poetæ, qui, amoribus deditus, familiaritatem quamdam cum Venere contraxit. Sensus : Te semper canere soleo; olim in rebus ludicris te cecini, nunc in seriis de te cogito; et justa mihi nunc causa te implorandi, tuus enim mensis describitur. *Amores gemini,* Cupido, Ἔρως, et Jocus, Ἵμερος. Hesiodus, Theog. 201; Anacr. li. 26. Inde Horatius, I. Od. ii. 33 : "Quam Jocus circumvolat et Cupido." *Vultus rettulit,* quod alibi *respexit;* vid. ad iii. 608. Nam etiam h. l. duo libri, *sustulit.*

3. *Certe* dubitanter affirmat, putabam te canere; Horatius, I. Sat. ix. 67 : " Certe nescio quid secreto velle loqui te Aiebas mecum." Pectus ad amorem proclive bene *molle* vocat; quo *mollius* corpus, eo facilius *vulneratur. De vulnere,* quod attinet ad vulnus, id scis. Vide Grævium ad Cic. Ep. ad Div. i. 2. Heins. volebat, *Scin Dea? Æther serenus.* Hanc vim habet etiam in Jove serenitas oris; Virgil. Æn. i. 255. ubi " vultu, quo cœlum tempestatesque serenat," oscula natæ libat. *Sanus,* integer, illæsus; nam opponitur *saucio. Tua signa reliqui;* Tibullus, II. vi. 6. ad Cupidinem : " iterum erronem sub tua signa voca." Militabat Noster sub Venere, atque in militiam ejus sacramento adactus erat. Itaque et canens scribensque de ea semper cogitabat.

8. *Propositum* et *opus,* materia,

Quæ decuit, primis sine crimine lusimus annis:
Nunc teritur nostris area major equis.
Tempora cum causis, annalibus eruta priscis,
Lapsaque sub terras, ortaque signa cano.
Venimus ad quartum, quo tu celeberrima, mensem:
Et vatem, et mensem scis, Venus, esse tuos.
Mota Cytheriaca leviter mea tempora myrto
Contigit; et, cœptum perfice, dixit, opus.
Sensimus; et subito causæ patuere dierum:
Dum licet, et spirant flamina, navis eat.
Si qua tamen pars te de Fastis tangere debet,
Cæsar, in Aprili, quo tenearis, habes.
Hic ad te magna descendit imagine mensis;
Et fit adoptiva nobilitate tuus.

quam tracto; abstracta sic solent de personis dici; exempla collegit Drakenb. ad Silium. xvi. 504. Primos ætatis annos *decere* putabant talem lasciviam: Amorum III. xv. 4: "Nec me deliciæ dedecuere meæ." Horatius, I. Ep. xiv. 36: "Nec lusisse pudet, sed non incidere lusum." Operam suam etiam ii. 360. cum decursu in circo comparat, cujus spatium *area* dicitur; III. Amorum, xv. 18. tragœdiam scribere aggressurus ponit hæc: *Pulsanda est magnis area major equis. Tempora—cano.* Hæc repetita e lib. i. 1 seqq.

15. Ut puellæ petulantes amatorem re levi, quam manu tenent, feriunt, sic Venus Ovidium *myrto contigit;* qui tactus vim institutionis habebat. Neque adeo erat, cur poetam ita instrueret, ut Janus, lib. i. Similem autem vim in animo poetæ, Art. iii. Amat. 53. folium habebat et grana de Veneris myrto data.

19—60. *Cæsari* Germanico, cui hoc opus consecratum, supra i. init. nobilitatem suam commendat, et causam simul aperit, cur Aprilis olim secundum locum habuerit. Hic seriem intexuit regum et Trojanorum et Albanorum. Locus est historicus et tenuiter scriptus. *Aprilis* Veneri sacer, cujus nepos Iulus, a quo originem repetebat Julia gens, in cujus *nobilitatem adoptatus* erat Augustus, post etiam Cæsar Germanicus, i. 10. Interpres Gallicus illum nunc intelligit; sed rectius hunc intelliges. Cæsari enim Germanico totum opus poeta consecravit, eumdemque etiam ver. 81: alloquitur. *Descendit ad te*, serie majorum deducitur ad te, apparet ad te quoque illum mensem pertinere. Sumtum hoc vocabul. nunc a stemmate, quod a primo gentis auctore *descendit* ad posteros. In stemmate Cæsaris nomen erat Veneris, quod, quia maximam nobilitatem dabat, poeta e sermone Romano *magnam imaginem* dixit. Aprilis igitur præ cæteris carus Cæsari esse debebat. Sed illud carum esse expressit verbis *tangere* et *teneri*, quæ passim oblectationis notionem habent.

Hoc pater Iliades, quum longum scriberet annum,
Vidit; et auctores rettulit ipse suos.
Utque fero Marti primam dedit ordine sortem,
Quod sibi nascenti proxima causa fuit;
Sic Venerem, gradibus multis in gente repertam,
Alterius voluit mensis habere locum:
Principiumque sui generis, revolutaque quærens
Sæcula, cognatos venit ad usque Deos.
Dardanon Electra nesciret Atlantide cretum
Scilicet; Electram concubuisse Jovi?
Hujus Erichthonius: Tros est generatus ab illo:
Assaracon creat hic: Assaracusque Capyn:
Proximus Anchisen; cum quo commune parentis
Non dedignata est nomen habere Venus.

23. *Pater Iliades*, Romulus, Iliæ filius, hoc *vidit*, respexit, spectavit. *Scriberet*, describeret in menses. *Longus* solemne anni epitheton. *Auctores suos*, quos ver. 57. *parentes suos* vocat, Martem et Venerem. Burmanno elegantior videbatur lectio in cod. Francofurt. *prætulit*, prodidit, tradidit posteris ordine illo et instituto parentes suos. *Ferus* et *sævus*, bellatorum sunt epitheta. *Sortem*, locum. *Gradibus multis;* ut a Venere prognatum se reperiret, per gradus multos adscendendum erat in stemmate. Cæterum de hac sententia confer Macrob. i. Saturn. 12. cujus verba ad ver. 61. dedimus.

29. Non a Venere tantum, sed longius adeo ab ipso Jove repetit Romuli originem. Principium generis *quærebat* sic, ut sæcula præterlapsa *revolveret*, per ea rediret ad principium; Æn. x. 256: "revoluta ruebat dies," revolvebatur, redibat. De gentis Juliæ progenitoribus Trojanis confer Virgil. Georg. iii. 35. ubi *demissa ab Jove gens* vocatur. Fons autem illius genealogiæ est Homer. Il. xx. 215. E serioribus adde Apollodorum, III. xii. 1. A *Jove* et *Electra*, *Atlantis* filia, (vide ver. 174.) omnes regum Trojanorum stirpem repetunt. *Dardanus*, relicta Samothrace, in Asiam trajecit, ubi a *Teucro*, Scamandri et Idææ Nymphæ filio, exceptus, partem regni accepit, urbemque Dardaniam aut Dardanon condidit. Teucro mortuo, omnis illa terra Dardania dicta. Dardano successit *Erichthonius*, ejus filius, rex opibus clarus. A *Troe* rege illa Troja dicta. Is Ilum, *Assaracum* et Ganymedem genuit. Ex Ilo Laomedon et deinceps Priamus, qui non pertinebant ad consilium nostri poetæ; Æneas enim ab *Assaraco*, cujus filius *Capys Anchisen* genuit. Itaque et apud Virgil. *Assaracus* potissimum memoratur inter Æneæ majores; Æn. i. 284; vi. 650; ix. 259. 643. Anchisæ δι' ἐρωτικὴν ἐπιθυμίαν Ἀφροδίτη συνελθοῦσα, Αἰνείαν ἐγέννησεν. Apollod.

Hinc satus Æneas, pietas spectata per ignes,
Sacra, patremque humeris, altera sacra, tulit.
Venimus ad felix aliquando nomen Iuli,
Unde domus Teucros Julia tangit avos.
Postumus huic; qui, quod silvis fuit ortus in altis,
Silvius in Latia gente vocatus erat.
Isque, Latine, tibi pater est: subit Alba Latinum:
Proximus est titulis Epitos, Alba, tuis.
Ille dedit Capyi recidiva vocabula Trojæ;
Et tuus est idem, Calpete, factus avus. [beret,
Quumque patris regnum post hunc Tiberinus ha-
Dicitur in Tuscæ gurgite mersus aquæ. [potem
Jam tamen Agrippan genitum, Remulumque ne-
Viderat; in Remulum fulmina missa ferunt.

37. De hac *pietate* Æneæ confer i. 527. Nunc ipse graviter *pietas* vocatur. Bene *spectata per ignes*; etenim Æn. iii. 148: "Phrygii penates, Quos mecum a Troja, mediisque ex ignibis urbis Extuleram." *Unde*, per quem. *Teucrorum* nomen apud Homerum non occurrit, nec frequentatur cæteris græcis poetis; latinis vero poetis admodum usitatum. Vide de eo paulo ante ad ver. 31; Livius, i. 3. ubi de Ascanio, Æneæ successore, loquitur: "Haud nihil ambigam, hiccine fuerit Ascanius, an major, quam hic, Creusa matre Ilio incolumi natus, comesque inde paternæ fugæ, quem Iulum eumdem Julia gens auctorem nominis sui nuncupat." Majorem fuisse etiam Virgilius et Dionys. i. 65. volunt. Ea origine valde lætabatur *Julia domus;* Virgilius, Æneid. i. 288: "Julius, a magno demissum nomen Iulo." Confer Dionysium, i. 70.

41. Seriem regum Albanorum habes etiam Metam. xiv. 609 sqq. De ea vide Ryckii Dissert. xi. p. 453. *Postumus* ille *Silvius* secundum Dionysium. i. 70. erat Ascanii frater, ex Lavinia post obitum Æneæ natus. Lavinia quum eum utero ferret, metueretque Ascanium, a pastore regio in *silvas* desertas deducta est, ubi *Silvium* clam peperit, quod nomen omnibus deinceps ejus posteris adhæsit. Livius vero eum vocat Ascanii filium, casu quodam in silvis natum. *Isque, Latini*, etc. Ovidius hic et Metam. dicto loco, *Æneam Silvium* omisit, patrem Latini. *Subit*, succedit *Alba Latino*. *Epitos* Livio *Atys*, Dionysio *Capetus* dicitur.

45. *Recidiva*, quæ, antea jam usurpata, ad rem novam adhibentur. *Capys* olim nominatus erat non modo Æneæ avus, Assaraci filius, sed et unus e sociis Æneæ; Æn. i. 183. De vocabulo *recidivus*, Heinsius qui id valde amabat, latius egit ad Claudianum, xliv. 66. Pro *Calpete* hic et Metam. xiv. 613. *Capete*, atque ita et Livius; sed Neapol. metri causa hoc loco e Dionysio et Eusebio invexit *Calpete*. *Tusca aqua*, Albula fluvius, qui inde Tiberis nomen accepit; confer ii. 389.

49. De *Agrippa* et *Remulo* aut *Ro-*

Venit Aventinus post hos; locus unde vocatus,
Mons quoque: post illum tradita regna Procæ;
Quem sequitur duri Numitor germanus Amulî:
Ilia cum Lauso de Numitore sati:
Ense cadit patruo Lausus; placet Ilia Marti;
Teque parit, gemino juncte Quirine Remo.
Ille suos semper Venerem Martemque parentes
Dixit; et emeruit vocis habere fidem.
Neve secuturi possent nescire nepotes,
Tempora Dîs generis continuata dedit.
Sed Veneris mensem Graio sermone notatum
Auguror; a spumis est Dea dicta maris.

malo sic etiam Livius: "Agrippa inde, Tiberini filius; post Agrippam Romulus Silvius, a patre accepto imperio, regnat." Dionysius Remulum *Alladem* vocat, nec memorat cujus filius fuerit. Sed Ovidius a se ipso Metam. xiv. 616. dissentit, ubi Remulus et Acrota sunt fratres, Tiberini filii. Remulus natu major, homo ferox, prior regnat, eique succedit moderatior Acrota. Itaque Gronovius ad Livium, d. l. hunc locum emendabat, *Remulumque priorem;* Heinsius vero *Remulumque ferocem.* Verum apparet, Ovidium nunc alios auctores esse secutum. Illo altero loco Remulus *imitator fulminis* vocatur; quod Dionysius pluribus narrat, hunc contemtorem Deorum, tyrannum Diis invisum, machinas excogitasse, quibus fulmina imitaretur, hominesque, tamquam Deus, terreret, sed inter imbres et fulmina diluvio ipsum periise cum domo.

51. De *monte*, ubi Aventinus sepultus est, consentiunt rerum scriptores: sed de alio *loco*, aut, ut unus Heinsii, Moreti et quinque alii habent, *lacu*, silent, etiam Ovidius Metam. d. l. *Numitorem* Dionysius et Eusebius omittunt. Secundum Livium, eo pulso, *Amulius* regnat; etiam apud Plutarchum Rom. 3. Numitor prior regnat. Amulius, iii. 49. *contemtor æqui* vocatur, nunc *durus*. *Lausus*, Dionys. lib. i. 76. Ægistus, quem in venatu Amulius ex insidiis interfici jusserit.

61. *De nomine Aprilis*, duæ erant veterum sententiæ, quum aliis a nomine Veneris Græco *Aphrodite*, aliis a verbo *aperire* ductum videretur; vide ad i. 39. Non mirum est, Nostrum, etiam Juliæ gentis causa, priorem amplexum esse, eamque acriter defendisse. Ne autem quis objiceret, parum credibile videri, antiquissimis temporibus Græcum nomen mensi Romano impositum esse, catalogum struit Græcorum, qui olim in Italiam migraverint. De ortu Veneris e *spuma maris* locus classicus apud Hesiodum Theogon. 190. sqq. Illa spuma circumdabat testiculos Saturni resectos et in mare dejectos. Inde Venus non modo Ἀφροδίτη; sed et Ποντία Ἀναδυομένη dicta. De hac autem, quam Noster affert, etymologia confer Macrobium Saturn. i. 12: "Secundum mensem nominavit (Romulus) Aprilem, ut quidam pu-

Nec tibi sit mirum Graio rem nomine dici :
  Itala nam tellus Græcia major erat.
Venerat Evander plena cum classe suorum ;
  Venerat Alcides ; Graius uterque genus.
Hospes Aventinis armentum pavit in herbis
  Claviger ; et tanto est Albula pota Deo.
Dux quoque Neritius : testes Læstrygones exstant ;
  Et, quod adhuc Circes nomina litus habet.
Et jam Telegoni, jam mœnia Tiburis udi
  Stabant, Argolicæ quod posuere manus.

tant, cum adspiratione, quasi Aprilem a spuma, quam Græci vocant *ἀφρόν*, unde orta Venus creditur. Et hanc Romuli asserunt fuisse rationem, ut primum quidem mensem a patre suo Marte, secundum ab Æneæ matre Venere nominaret, et hi potissimum anni principia servarent, a quibus esset nominis Romani origo."

64. Non omnis Italia, sed ejus ora *Græcia major*, scil. *magna* dicta, quæ, a colonis Græcis occupata, amplitudine Hellada, scil. Græciam proprie sic dictam, superabat. De coloniis Græcis in eam Italiæ partem deductis vide Heynii Prolusiones xv. in Opusculis Acad. vol. ii. Sed Ovidius viros tantum quosdam insignes, a poetis celebratos, memorat. De *Evandri* et *Herculis* adventu vide i. 470 sqq ; i. 543 ; v. 643. *Evander* sexaginta annos ante bellum Trojanum Arcadum coloniam in Latium deduxit, oppidumque in Palatino monte condidit; Dionysius Halic. i. 31. *Hercules* non ibi consedit, tantum boves Geryonis per illa loca egit. *Albulam*, scilic. Tiberim (ver. 48.) *armentum* præ se agens nando trajecit, locoque herbido, ut boves *pabulo* læto reficeret, procubuit; Livius, i. 7.

69. *Neritius*, Ulysses, a *Nerito*, monte Ithacæ, a quo et tota insula dicta ; Homerus, Od. ix. 22. Is et ad *Læstrygonas*, Gigantes et Antrophagos, Formias Campaniæ incolentes, pervenit, atque ex sociis ejus unus devoratus est ab Antiphate rege ; Homerus, Od. x. 120 sqq ; conf. Met. xiv. 233 sqq. *Circen*, Æetæ sororem ; Homerus, Od. x. 135. juxta litus Italiæ collocat, ubi postea *Circæum* promontorium. Ea ex Ulyssis sociis quosdam in sues mutavit. Conf. Metam. xiv. 244.

71. Omnium prope urbium Italicarum origines Romani repetebant a Græcis. Ad *Telegonum*, Ulyssis a Circe filium, Tusculi initia referebant. Is Ithacam petiit, sed, quum inscius patrem occidisset, redux in Italiam urbem illam condidit ; Hyginus, fab. 127. Inde Horatius, III. Od. xxix. 8 : "Telegoni parricidæ juga," Tusculum in colle situm. Apud eumdem Od. II. vi. 5 : "Tibur Argeo positum colono." Nempe Tiburnus, Catillus et Coras fratres eo deduxerunt coloniam Argivorum ; Plinius, xvi. 44 ; Heynius Exc. 8. ad Æn. vii. *Udum Tibur* etiam Horatius, Od. III. xxix. 6. propter Anienem, rivos et fontes ; ibi igitur et "uda mobilibus pomaria rivis." Od. I. vii. 13.

Venerat Atrides fatis agitatus Halesus;
A quo se dictam terra Falisca putat.
Adjice Trojanæ suasorem Antenora pacis,
Et generum Œniden, Appule Daune, tuum.
Serus ab Iliacis, et post Antenora, flammis
Adtulit Æneas in loca nostra Deos.
Hujus erat Solimus, Phrygia comes exsul ab Ida,
A quo Sulmonis mœnia nomen habent.
Sulmonis gelidi, patriæ, Germanice, nostræ.
Me miserum! Scythico quam procul illa solo est!
Ergo ego tam longe? sed supprime, musa, quere-
Non tibi sunt mæsta sacra canenda lyra. [las;

73. *Halesus* ex posteris *Atrei*, Agamemnone interfecto, patriam reliquit, Falerios in Italia condidit, atque incolas Junonia sacra docuit; Am. III. xiii. 31. Ut hic *Atrides*, sic Æn. vii. 723. *Agamemnonius* vocatur; quod tamen non ad patrem referendum, nam x. 417. a patre vate in si vis eductus traditur. Eum autem *Faliscorum* in Etruria conditorem faciunt etiam Solinus cap. 8; Servius ad Æn. vii. 695. Eorum oppidum *Falerii*, quod nomen facile ex *Haleso* fieri potuit. Vide Spanhemium de Usu et Præstant. Num. Diss. ii. p. 107; Heynii Excurs. ad Æneid. viii. p. 139.

75. De *Antenore* et *Æneа* etiam Livius, i. 1. "pacis reddendæque Helenæ semper auctores fuerant." Adde Horatium, Ep. I. ii. 9. Orationem, qua id suadet, habet Homerus, Il. H. 348 sqq. Is cum multitudine Henetum in intimum maris Hadriatici sinum venit, ibique Patavium condidit; Æn. i. 242. *Daunus*, rex Apuliæ, Diomedis socer; Strabo v. 283 sq. Ab eo Apulia *Daunias* dicta Horatio I. Od. xvi. 14; III. Od. xxx. 11. Diomedes *Œnides*, Œnei, regis Œtoliæ, nepos, Tydei filius. In Apulia olim *Diomedis campi*, item *Diomedea insula* contra litus Apulum, Diomedis tumulo et delubro nobilis; Plinius, iii. 30; x. 61. *Æneas* venit *serus*. Secundum Virgilium, septem fere annos per maria et terras erravit. Vide Heynii Excursum ii. ad Æn. iii. quamquam Virgilius ipse in tot annos ejus errores digessit.

79. Sulmonis origines. *Sulmo*, metropolis Pelignorum, distans ab urbe millia novies decem passuum, parva, sed irriguis salubris aquis; Trist. IV. x. 4; infra ver. 685 sqq; Amorum ii. 16, init. Eam conditam esse a *Solimo*, aut, ut alii quos Mitscherl. secutus est, scribunt, *Solymo*, Æneæ comite, narrat et Silius ix. 70 sqq. Glossæ in MSS. Vaticc. addunt, hunc Solymum uxorem duxisse filiam Æneæ; sed Cluverius, Ital. Antiq. ii. 14. fictam monet hanc fabulam e vocabulorum similitudine. *Gelidus Sulmo* etiam apud Silium viii; *gelidæ* Sulmonis *undæ* IV. Trist. x. 3. Commode delatus est rerum serie ad patriam; commode etiam ea gemitum expressit, quum in exsilio hæc retractaret. *Scythico solo*; I. Trist. iii. 61: "Scythia est, quo mittimur."

Quo non livor abit? sunt qui tibi mensis honorem
  Eripuisse velint, invideantque, Venus.
Nam, quia ver aperit tunc omnia, densaque cedit
  Frigoris asperitas, fœtaque terra patet,
Aprilem memorant ab aperto tempore dictum;
  Quem Venus injecta vindicat alma manu.
Illa quidem totum dignissima temperat orbem;
  Illa tenet nullo regna minora Deo;

85. Altera etymologia Aprilis mensis affertur, quam poeta *invidiæ* tribuit. Macrobius vero Saturn. i. 12. narrat, Cincium et Varronem argumentis non contemnendis Veneri hunc honorem eripuisse, quum nullum sacrificium insigne ei per hunc mensem a majoribus institutum esset, et quum nomen ei sub regibus nec Græcum, nec Latinum fuerit: "sed, quum fere ante æquinoctium vernum triste sit cœlum et nubibus obductum, sed et mare navigantibus clausum; terræ etiam ipsæ aut aqua, aut pruina, aut nivibus contegantur, eaque omnia verno hoc mense aperiantur; arbores quoque, nec minus cætera, quæ terra continet, aperire se in germen incipiant, ab his omnibus mensem Aprilem dici merito credendum, quasi Aperilem: sicut apud Athenienses *ἀνθεστηρίων* idem mensis vocatur ab eo, quod hoc tempore cuncta florescant." *Quo abit*, quousque progreditur; Metam. xv. 111: "Longius inde nefas abiit." *Honor mensis*, honor, quo tibi mensis consecratus est; ver. 115. "titulus mensis." *Quia ver—patet.* Frigus hibernum omnia *densat* et constringit; verno autem tepore solvitur terra, ut semina, quibus repleta est, e gremio ejus facile exire possint. *Fœta* autem, ut sup. i. 162: *seminibus fœtus ager*. *Injectio manus*, ritus quo Romani utebantur in vindiciis agendis; Servius ad Æn. x. 419: "Manus injectio, quoties, nulla judicis auctoritate exspectata, rem nobis debitam vindicamus." Suavitas autem est in *livore* grammaticorum et in hac *vindicatione* Veneris; cui et ver. 115. *spoliare* bene convenit.

91. Argumentum a *dignitate* Veneris. Lætitiam veris veteres Veneri tribuebant, quæ tunc terram revisere, choros agere, atque omnia exhilarare credebatur; Horatius, I. Od. iv. 7. Etiam Macrob. i. Saturn. 21: "Quum sol vernalis æquinoctii transgreditur fines, augendo diem, tunc et Venus læta, et pulchra virent arva segetibus, prata herbis, arbores foliis; ideo majores nostri Aprilem mensem Veneri dicaverunt." Secundum Hesiodum, Theog. 120. in principio rerum Chaos erat et *Eros*, qui omnium Deorum omniumque hominum animos domat; inde seriores effecerunt Venerem. Inprimis Lucretius, i. 1—20. hanc vim Veneris celebravit, quem locum longe suavissimum Noster ante oculos habuit. *Temperat*, regit. *Natalibus*, unde ipsa orta; ver. 131. "materna æquora." Dat autem illa jura amoris voluptate, quam omnibus cœli, terræ, undarum incolis instillat, qua eos *init*, perfundit, implet, et ad coitus impellit. *Inire* etiam mox de re venerea. Sed apud Lucretium, dicto loco, adventum notat. *Continere* de conservatione rerum etiam apud Ciceronem legitur. Lucretius: "Quæ mare na-

Juraque dat cœlo, terræ, natalibus undis;
Perque suos initus continet omne genus:
Illa Deos omnes, longum enumerare, creavit;
Illa satis causas, arboribusque dedit;
Illa rudes animos hominum contraxit in unum;
Et docuit jungi cum pare quemque sua.
Quid genus omne creat volucrum, nisi blanda vo-
Nec coeant pecudes, si levis absit amor. [luptas?
Cum mare trux aries cornu decertat; at idem
Frontem dilectæ lædere parcit ovis.
Deposita taurus sequitur feritate juvencam,
Quem toti saltus, quem nemus omne tremit.
Vis eadem, lato quodcumque sub æquore vivit,
Servat; et innumeris piscibus implet aquas.
Prima feros habitus homini detraxit: ab illa
Venerunt cultus mundaque cura sui.

vigerum, quæ terras frugiferentes Concelebras; per te quoniam genus omne animantum Concipitur visitque exortum lumina solis—per maria ac montes, fluviosque rapaces, Frondiferasque domos avium, camposque virentes, Omnibus incutiens blandum per pectora amorem, Efficis, ut cupide generatim sæcla propagent—rerum naturam sola gubernas, Nec sine te quidquam dias in luminis oras Exoritur, neque fit lætum, neque amabile quidquam." *Causæ*, ea, unde aliquid oritur aut alitur; vide Heynium, Observat. ad Tibullum, II. iv. 29.

97. *Contraxit in unum*, amore conjunxit; latiore sensu *contrahere* homines est ver. 811. *Levis amor* etiam Tibullus, I. vii. 44. ut *levis Venus* ibid. I. i. 73. quia amor levem ætatem decet. Etiam *jocosa* eamdem ob causam dicuntur quæ ad amorem pertinent. De vi amoris in bestiis confer Virgilium, Georg. iii. 217 sqq. Pugna *taurorum*, quæ ibi et Æn. xii. 715 sqq. describitur, ostendit, quam *tremendi* illi sint. *Parcit lædere* elegantius quam, non lædit; sic *parce nocere* Tibullus, III. v. 6.

107. Venus addocuit artes. *Habitus*, ad externam vivendi rationem, vestitum, supellectilem pertinet. Horatius, I. Od. x. 2. Mercurio hoc tribuit, quod "feros cultus hominum voce formarit et decoræ more palæstræ." Elegantia, quæ agresti illi et inhumanæ negligentiæ opponitur, *munditia*, *mundus cultus*, et hoc loco *cultus*, *mundaque cura sui* dici solet; namque et *cura* de studio ornandi corporis adhibetur. Vide Gronovii Observat. p. 143. *Carmen vigilatum*, nocte vigilata decantatum, ut I. Trist. i. 108. "vigilati labores." *Nox negatur* iis, qui noctu non admittuntur ab amata. Ab iis ad fores clausas κλαυσίθυρον canebatur, quale Metam. xiv. 718. legitur. *Pro sua causa*, non, ut oratores forenses,

Primus amans carmen vigilatum nocte negata
  Dicitur ad clausas concinuisse fores;
Eloquiumque fuit duram exorare puellam:
  Proque sua causa quisque disertus erat.
Mille per hanc artes motæ; studioque placendi,
  Quæ latuere prius, multa reperta ferunt.
Hanc quisquam titulo mensis spoliare secundi
  Audeat? a nobis sit procul iste furor.
Quid? quod ubique potens, templisque frequentibus aucta,
  Urbe tamen nostra jus Dea majus habet.
Pro Troja, Romane, tua Venus arma ferebat,
  Quum gemuit teneram cuspide læsa manum;
Cœlestesque duas Trojano judice vicit:
  Ah! nolim victas hoc meminisse Deas!
Assaracique nurus dicta est, ut scilicet olim
  Magnus Iuleos Cæsar haberet avos.
Nec Veneri tempus, quam ver, erat aptius ullum:
  Vere nitent terræ; vere remissus ager:

pro aliena. *Moveri* etiam incipere notat; iii. 11; hinc artes *moventur* quando initia capiunt, inveniuntur. *Titulo mensis:* denominatio mensis a Venere.

117—124. Veneris merita de Romanorum majoribus. *Potentes* Dii, qui summa religione coluntur: Venus *diva potens Cypri;* Horatius, I. Od. iii. 1. Itaque interpretationem habent verba *templis frequentibus aucta:* nam *augetur* Dea *templis,* ut homo honoribus, commodis, augeri dicitur. *Urbe,* scil. in. *Jus* poscendi cultum. *Tua* Troja, quæ ad te quoque pertinebat, quia inde originem ducis; vide ad iii. 9. *Veneris,* quum Æneæ periclitanti opem ferret, *manum* summam Diomedes hasta vulneravit; quo vulnere accepto, valde illa clamavit; Homerus, Il. E. 335 sqq. Causa, cur pro Trojanis staret, quod *cœlestes duas,* Junonem et Minervam, forma vincere *judicata* erat a Paride, qui inde *fatalis judex* ab Horatio iii. Od. 3. vocatur. Hoc judicium Junoni inprimis alta mente repostum manebat, Æn. i. 27; unde magnæ calamitates, etiam Æneæ; et verendum erat, ne odii illius vis etiam ad Cæsares aliquando redundaret; hinc illa averruncandi formula, *Ah! nolim,* etc. De *Assaraco* vide versum 34.

125—332. Argumentum a veris suavitate. *Nitere* de læto colore et jucunda facie terræ verno tempore. *Remissus,* qui remittit, relaxat sinum suum, quem frigus contraxerat. Cum sqq. confer iii. 238—240. *Tumido,* etc. ut Virgilius, Ecl. vii. 48: "læto turgent in pal-

Nunc herbæ rupta tellure cacumina tollunt;
  Nunc tumido gemmas cortice palmes agit:
Et formosa Venus formoso tempore digna est;
  Utque solet, Marti continuata suo.
Vere monet curvas materna per æquora puppes
  Ire; nec hibernas jam timuisse minas.
Rite Deam Latiæ colitis matresque nurusque,
  Et vos, quîs vittæ longaque vestis abest.
Aurea marmoreo redimicula solvite collo:
  Demite divitias: tota lavanda Dea est.
Aurea siccato redimicula reddite collo:
  Nunc alii flores, nunc nova danda rosa est.
Vos quoque sub viridi myrto jubet illa lavari;
  Causaque, cur jubeat, discite, certa subest.

mite gemmæ," idemque Georg. ii. 363: "se lætus ad auras Palmes agit." De *continuata* vide versum 60. *Vere monet*, etc. A iii. Iduum Novemb. ad vi. Iduum Martii, maria clausa erant, id est, non navigabant veteres, navibus in litus subductis. Vere redeunte, siccas carinas machinæ trahebant in mare; Horatius, I. Od. iv. 3. Et quia Venus e mari orta, propterea imperium quoddam in mare ei tribuebatur. Tempestates etiam Virgilius *minas cæli* et *maris* dixit.

133—162. *Festum Veneris et Fortunæ Virilis Kalend. Aprilis;* quod etiam in Kalendario vet. memoratur. Hoc est illud ipsum, quod veteres nonnulli docebant, Aprilem a Venere nomen traxisse; Plutarchus, Numa, cap. 19. *Quîs vittæ*, etc. Ita meretrices etiam Trist. ii. 248. et ex Ponto III. iii. 54. circumloquitur. Eæ togam gestabant, non *longam vestem*, nempe stolam, vestem matronarum usque ad talos demissam, cujus oram limbus aut instita cingebat; Tibullus, I. vi. 67: "Sit modo casta, doce, quamvis non vitta ligatos Impediat crines, nec stola longa pedes." In uno adeo Kalend. meretrices solæ memorantur, quæ se sub myrto laverint.

136. De *lotionibus* statuarum divinarum, et ornamentis, quibus illæ tectæ apud Græcos vide Spanhem. ad Callim. hymn. Pallad. init. Etiam in Kalendario Romano plures lotiones ejus generis notatæ. De hoc Veneris festo Plutarchus Num. 19. tantum: *θύουσι τῇ θεῷ:* sed addit: *ταῖς καλάνδαις ἐστεφανωμέναι αἱ γυναῖκες μυρσίνῃ λούονται. Redimicula*, fimbriæ aut fasciæ e mitra descendentes, quæ subter mentum colligari solebant; Æn. ix. 616. Vide Servium ad Æn. iv. 216. *Divitiæ*, ornamenta pretiosa, quibus Veneris statua locupletata fuisse videtur; confer Lenzium.

139. *Sub myrto*, myrto coronatæ lavabantur, ut e Plutarchi dicto loco apparet. *Siccare capillos* solemne negotium Dearum marinarum, etiam aliarum post lotionem. *Opposita;* Heinsius *apposita* dedit. Sed arbor, post quam quis latere vult, non bene *apponi* dicitur. *Referre*, repetere, ut i. 618; ii. 512.

Litore siccabat rorantes nuda capillos:
  Viderunt Satyri, turba proterva, Deam.
Sensit, et opposita texit sua corpora myrto.
  Tuta fuit facto; vosque referre jubet.
Discite nunc, quare Fortunæ tura Virili
  Detis eo, calida qui locus humet aqua.
Accipit ille locus posito velamine cunctas;
  Et vitium nudi corporis omne videt.
Ut tegat hoc, celetque viros, Fortuna Virilis
  Præstat; et hoc parvo ture rogata facit.
Nec pigeat niveo tritum cum lacte papaver
  Sumere, et expressis mella liquata favis.
Quum primum cupido Venus est deducta marito;
  Hoc bibit: ex illo tempore nupta fuit.
Supplicibus verbis illam placate: sub illa
  Et forma, et mores, et bona fama manet.
Roma pudicitia proavorum tempore lapsa est:
  Cumæam, veteres, consuluistis anum.

145. *Fortunæ* sub variis cognominibus Servius rex plura templa posuit, *Virili* unum in ripa Tiberis: Plutarchus, Quæst. Rom. tom. vii. p. 135; Dionysius Halicarn. iv. 27. Anco Martio consecrationem illius templi Plutarchus de Fortuna Roman. p. 265. tribuit. *Accipit* melius est, quam aliorum *adspicit*. *Accipere* nos locus dicitur quem adimus. Pro *parvo*, Heins. suadet *parco*; vide ii. 538.

157. De *Venere Verticordia* obiter. Anno U. C. 639. M. Acilio Balbo, M. Porcio Catone coss. Elvia virgo, Elvii, equitis Romani filia, equo vehens fulmine icta est, ut non modo ipsa cum equo exspiraret, sed et utriusque corpus nudum, omnibus tegumentis et ornamentis disjectis, reperiretur. Vates consulti responderunt, eo infamiam virginum Vestalium, equitumque Romanorum portendi; et mox servus quidam indicavit, Vestales tres, Æmiliam, Liciniam et Martiam, diu jam consuetudinem cum equitibus quibusdam incestam habuisse. Patres inde non supplicia modo ab illis sumserunt, sed et libros Sibyllinos consuli jusserunt. Ii vero monebant, ut mali avertendi causa, primum peregrinis quibusdam Diis duo Græci totidemque Galli vivi defoderentur, deinde *Veneri Verticordiæ* simulacrum consecraretur, quo facilius mulierum mentes a libidine ad pudicitiam converterentur. Simulacrum dedicavit Sulpicia, Fulvii Flacci uxor, quæ omnibus aliis sanctitatis laude antecellebat; vid. Plutarch. Quæst. Roman. tom. vii. pag. 144; Plinius, Hist. Nat. viii. 35; Valerius Maximus, viii. 15; Julius Obsequens cap. 97; Orosius, vi. 12.

Roma—lapsa est, Romani aut Romanæ a pudicitia lapsæ sunt; mores

Templa jubet Veneri fieri: quibus ordine factis,
Inde Venus verso nomina corde tenet.
Semper ad Æneadas placido, pulcherrima, vultu
Respice; totque tuas, Diva, tuere nurus.
Dum loquor: elatæ metuendus acumine caudæ
Scorpios in virides præcipitatur aquas.
Nox ubi transierit, cœlumque rubescere primo
Cœperit, et tactæ rore querentur aves;

eorum corrupti sunt ad libidinem. *Labi* de rebus, quæ in deterius mutantur; Cicero, Leg. ii. 15: *mores lapsi ad mollitiem;* Livius præfat. "labente paulatim disciplina," et paulo post: "ut mores magis magisque lapsi sint." Neque *labi a pudicitia* vitiose dictum; Plinius, v. Epist. 10: *ab hoc archetypo labor et decido.* Sic igitur ferri hæc lectio potest. Multo minus offendere quemquam debet apostrophe, quæ est in voce *veteres.* De *Cumæa anu* vide ad Met. xiv. 101. *Jubet,* nempe Sibylla. *Ordine,* rite. Cæterum Pausanias Bœot. cap. 16. pag. 742. perantiquum signum Veneris Apostrophiæ memorat, additque, eam sic dictam, ut homines a libidine inconcessa impurisque factis averteret.

163. *Occasus Scorpii matutinus.*] Occidere cœperat jam ad diem xvii. Kal. Aprilis; vide iii. 711. De hoc sidere accommodate ad scorpii animalis naturam loquitur. Cauda enim ejus elata in curvatam cuspidem desinit, et semper in motu est, ne quando desit occasioni; Plinius, xi. 25. Etiam Metam. ii. 199: *vulnera curvata minitatur cuspidi.* Pro, hoc ipso die, maluit varietatis causa, *dum loquor.*

165. Nonar. iv. *Pleiadum occasus vel heliacus, vel vespertinus.* Illud vult Neapolis, hoc Taubnerus, qui heliacum post tertium demum diem fieri contendit. *Pleiades,* Latine *Vergiliæ,* septem stellæ in dorso Tauri, Atlantis filiæ; Hyginus, fab. 192. *Nox—opus.* Pluribus tempus matutinum designat. *Queri* de cantu avium; Horat. Epod. ii. 26. *Queruntur in silvis aves.* Etiam de molli et suavi tibiæ sono dicitur; Lucretius, iv. 588; Horatius, III. Od. vii. 30. De *facibus* viatorum vide ad ii. 500. *Humeros,* etc. Atlas, Pleiadum pater, humeris gestat cœlum. Ubi igitur filiæ occidunt, paterni humeri relevantur. Contra, quum novum sidus cœlo additur, *Atlas sentit pondus;* Metam. ix. 273. Quæ jam de nominibus et numero Pleiadum memorantur, in iis consentit Noster cum reliquis mythologis et astronomis; vide Hyginum, fab. 192.; Poet. Astr. ii. 21. et, quæ ad priorem locum Munkerus collegit. Hyginus ipse: "Nec unquam ullius oculis certum est, sex an septem existimentur." Schol. Pindari ad Nem. 13. ait κατὰ τὴν ἱστορίαν esse *septem,* sed κατὰ τὴν ὄψιν *sex.* Inde hoc sidus etiam ἑξάστερον dictum. Omnes porro dubitabant, obscurata stella Electra esset, an Merope. *Sterope* nonnullis *Asterope* scribitur. *Quod Trojæ spectare ruinas non tulit,* aut, quod, mœrens Ilii excidium, a choreis sororum se removit, atque in circulo Arctico passis capillis constitit, unde ei Cometæ nomen inditum; Hyginus.

Semustamque facem vigilata nocte viator
  Ponet; et ad solitum rusticus ibit opus:
Pleiades incipiunt humeros relevare paternos;
  Quæ septem dici, sex tamen esse solent.
Seu quod in amplexum sex hinc venere Deorum;
  Nam Steropen Marti concubuisse ferunt;
Neptuno Halcyonen, et te, formosa Celæno;
  Maian, et Electran, Taygetenque Jovi.
Septima mortali Merope tibi, Sisyphe, nupsit:
  Pœnitet; et facti sola pudore latet.
Sive quod Electra Trojæ spectare ruinas
  Non tulit; ante oculos opposuitque manum.
Ter sine perpetuo cœlum versetur in axe;
  Ter jungat Titan, terque resolvat equos:
Protinus inflexo Berecyntia tibia cornu
  Flabit; et Idææ festa parentis erunt.

179—372. *Megalensia aut Megalesia* in honorem Matris Deûm *pridie Non.* Hic primum sacra illa describit 181—188.; tum a musa edoctus originem rituum in illis repetit, 189—244; post, unde cultus Deæ apud Romanos venerit, enarrat 247—349. Adduntur alia nonnulla de ritibus 350—372. De Matre Deûm ejusque cultu confer Lucretium, ii. 598—623; Virgil. Æneid. iii. 104; vi. 785; x. 252. Sed loca classica sunt apud Strabonem, lib. x. pag. 466; Diodorum, v. cap. 64; Dionys. Halicarn. ii. 19; unde apparet, prætores Romæ ista sacra quotannis instituisse, et Phrygios solos, non Romanos peregisse.

Ter—equos. Ab initio non hoc die, sed pridie Idus celebrabantur, auctore Livio, xxix. 14. quamquam Neapol. ibi quoque *pridie Nonas* scribi vult. *Cœli versationem* aut inversionem et alii poetæ habent ad temporis decursum notandum; Æn. ii. 250: *Vertitur interea cælum.* Vide Heynii Excurs. ii. *Perpetuum axem* Noster etiam currui tribuit Metam. xv. 522.

181. In medium festi strepitum nos rapit. *Idæa Parens* aut *Mater* passim vocatur. Lucretius, dicto loco: "Hanc variæ gentes antiquo more sacrorum Idæam vocitant matrem." Sed *Ida* mons et Cretæ et Trojæ; nec satis constat, ab utro sit dicta. Etenim aut in Cretam sacra ejus Dactyli Idæi transtulerunt e Phrygia, aut Phryges accepere religiones illas a Curetibus ex Creta. Omnino Cretenses et Phryges communes habuerunt origines. Vide Heynii Excurs. v. ad Æneid. iii. Sed eadem et in *Berecynto*, Phrygiæ monte colebatur, unde et ipsa *Berecyntia mater*, Æneid. vi. 785. et *Berecyntia tibia* in sacris ejus adhibita; Horatius, IV. Od. i. 24. Ea erat tibia Phrygia, inventa a Mida rege, incurva, cornu addito; quo sonus ejus augebatur; Met. xi.

Ibunt semimares, et inania tympana tundent;
Æraque tinnitus ære repulsa dabunt.
Ipsa sedens molli comitum cervice feretur
Urbis per medias exululata vias.
Scena sonat, ludique vocant: spectate, Quirites;
Et fora Marte suo litigiosa vacent.
Quærere multa libet: sed me sonus æris acuti
Terret, et horrendo lotos adunca sono.
Da, Dea, quas sciter, doctas, Cybeleia, neptes.
Audit; et has curæ jussit adesse meæ.
Pandite, mandati memores, Heliconis alumnæ,
Gaudeat assiduo cur Dea magna sono.

16.; Horatius, I. Od. xviii. 13. *Berecyntium cornu.* Sonus ejus erat acer et veluti pungens, unde ver. 341. *furiosa* vocatur. Vide Vulp. ad Catullum, lxii. 22. *Semimares,* Galli, sacerdotes exsecti; vide ver. 242. Ab iis et *tympana,* orbes intenti corio maxime bobulo, (hinc ver. 342. *taurea terga*) manibus tundebantur, unde sonus raucus, et *æra ære,* cymbala concava inter se, concutiebantur, quæ *tinnitum* acutum dabant: vide Bentleium ad Horatium, Od. I. xvi. 8. Sonum et vim horum instrumentorum bene expressit Lucretius, ii. 618—620. Eadem in sacris Bacchicis adhibebantur; Metam. iii. 532 sqq. Et omnino multæ religiones utrique numini communes.

185. Vir Phrygius et mulier Phrygia circumferebant Cybeles signum, (Dionysius, ii. 19.) idque a turba concursante cum *ululatu, ἰαχαῖς, ὀλολυγμοῖς,* furibundo clamore, excipiebatur; Herodianus, I. x. 5. Signum autem erat ipse ille lapis, quem Attalus miserat, inclusus muliebris oris argento; Arnob. p. 253; Prudent. Perist. x. 156; de quo lapide vide ad ver. 276. *Mollem* cervicem Lenzius eo refert, quod Galli semimares ver. 243. *molles ministri* dicuntur. Potest et naturam cervicis exprimere; ver. 342. *molles manus.* De *ludis scenicis* consentit et Livius, xxix. 14. et xxxvi. 36. ubi *hos primos scenicos* fuisse monet. *Marte suo,* disceptationibus forensibus. Hæc quoque postrema concursationem et studia populi bene notant.

189. *Quærere* e Dea, ut in libris superioribus, e Jano, Marte et Venere. *Lotos,* tibia e loti, Libycæ inprimis, arundinibus. Vide Gronovium, Observat. iv. 15. In illo strepitu bene sibi consulit poeta. *Neptes,* Musæ, nam Cybele eadem, quæ Rhea, Jovis mater. Ut hic *doctæ neptes,* sic Metam. v. 255. Musæ, *doctæ sorores. Cura,* cupido cognoscendi causas illorum rituum. *Cybeleia* a monte Phrygiæ, qui et *Cybelus,* et *Cybele,* et *Cybelon* scribitur; notissimus fuit Matris Deûm religione. Vide Hemsterhus. ad Lucianum. tom. i. pag. 308 sqq. edit. Bipontinæ.

Sic ego: sic Erato; mensis Cythereius illi
Cessit, quod teneri nomen amoris habet:
Reddita Saturno sors hæc erat: optime regum,
A nato sceptris excutiere tuis.
Ille suam metuens, ut quæque erat edita, prolem
Devorat; immersam visceribusque tenet.
Sæpe Rhea questa est toties fecunda, nec unquam
Mater, et indoluit fertilitate sua.
Jupiter ortus erat: pro magna teste vetustas
Creditur: acceptam parce movere fidem.
Veste latens saxum cœlesti viscere sedit:
Sic genitor fatis decipiendus erat.
Ardua jamdudum resonat tinnitibus Ide,
Tutus ut infanti vagiat ore puer.

195. *Erato* a Virgilio, Æn. vii. 37. pro quacumque Musa invocatur; sed Noster de industria eam elegit, ejusque delectus causam reddit probabilem. Propter *nomen amoris* eamdem et Art. Amat. ii. 16. sibi adesse vult. *Sortem* illam Cœli et Terræ, antiquissimorum vatum, qua fatale *Saturno* erat a filio domari, habet Hesiodus Theog. 464.; confer Apollodorum, I. i. 3. *Excuti sceptris*, ut Metam. xv. 524. *exeuti curru*. *Immergere, demergere, mergere*, solemnia de cibis, qui devorantur; vide ad Metam. vi. 646. Devoravit autem Saturnus Vestam, Cererem, Junonem, Plutonem, Neptunum.

203. Metam. i. 400: "Quis hoc credat, nisi sit pro teste vetustas?" ubi adi not. *Magna*, gravi. *Fides* etiam id, quod facit, ut aliquid pro vero habeamus, inde hoc loco, traditio. Ea *movetur*, quando dubia redditur. *Parce*, noli. *Veste—sedit*; in re nota usus est summa brevitate. Pro Jove Rhea saxum ei obtulit, quod ille devoravit. Sed poeta pro antecedente posuit consequens, *viscere sedit*; *viscere* Heinsius ex uno Zulich. dedit. Si quid mutandum esset, equidem cum Mazarinæo et duobus aliis *gurgite* præferrem. Cum *gurgite* enim non male componitur venter, qui tot jam liberos hausit. Sic *vorago ventris*, Metam. viii. 843. *Veste latens saxum* Hyginus, fab. 139. *lapidem involutum* vocat, Græci λίθον ἐσπαργανωμένον. Præiverat Hesiodus Theog. 485. Nomine proprio lapis ille dictus βαίτυλος et *Abadir*. Vide Burmannum.

207. De Jovis patria disputabant veteres, quum et Cretenses et Arcades ejus natales ad se traherent, quin et Phryges in certaminis societatem venirent. Ne Cretenses quidem de monte consenserunt; namque aliis in Dicta, aliis in *Ida* natus dicebatur; unde mox Dictæus, mox Idæus vocatur. Fluctuat etiam Callimachus hymno Jov. iv. 6. Hanc litem nonnulli ita dirimere voluerunt, ut Jovem in Dicta natum, in Ida educatum esse contenderent. Et jam apud Hesiodum Theog. 482. primum absconditur in antro Lycti, deinde educatur in

Pars clypeos sudibus, galeas pars tundit inanes:
Hoc Curetes habent; hoc Corybantes opus.
Res latuit patrem; priscique imitamina facti,
Æra Deæ comites raucaque terga movent.
Cymbala pro galeis, pro scutis tympana pulsant:
Tibia dat Phrygios, ut dedit ante, modos.
Desierat; cœpi: Cur huic genus acre, leones,
Præbent insolitas ad juga curva jubas?
Desieram; cœpit: Feritas mollita per illam
Creditur: id curru testificata suo est.
At cur turrita caput est ornata corona?
An Phrygiis turres urbibus illa dedit?

Ægeo, qui fuit collis montis Idæi. Sed et ambiguitas vocis *Ida* magnam in omni hac fabula confusionem peperit. Vide Spanhem. ad Callim. dicto loco. *Jamdudum*, continuo.

210. *Curetes* nonnulli eosdem cum *Corybantibus* et Idæis Dactylis faciebant, alii pro cognatis habebant. Vide quos Spanhem. ad Callimachum hymn. Jov. ver. 52. et Munkerus ad Hygini fabul. 139. laudant. Eorum historiam Epimenides Cretensis carmine complexus erat. Primi armatam saltationem instituerunt, quam Græci πυῤῥίχην vocant: Dionysius Halicarn. ii. 70.; vii. 72.; Strabo, x. p. 466.; Callimach. hymn. Jov. 52. ibique Spanh. *Clypeos τοῖς δόρασι, ἐγχειριδίοις, hastis* pulsasse Apollodoro I. i. 3.; Dionysio, ii. 70.; Hygino fab. 139. dicuntur. *Inanes*, non capiti impositas.

211. Res mansit, tantum instrumenta sunt mutata. Lactantius, Inst. xxi. 39: "Quidquid est gestum in abscondendo puero, id ipsum per imaginem geritur in sacris." Vide tamen et Lucretium, ii. 640 sqq. Facile subintelligi potest, quæ sint *imitamina*, ad imitationem. Hoc elegantius, quam alterum Metam. iv. 445: "Pars alias artes" celebrant, "antiquæ imitamina vitæ," idque faciunt ad imitationem prioris vitæ. *Terga*, tympana, quibus raucus sonus. *Phrygios modos*; Lucretius dicto loco, "Phrygio stimulat numero cava tibia mentes;" Tibullus, II. i. 86.: "Phrygio tibia curva sono." Nullos autem ille sonus modulos habebat. Aristot. Probl. xix. sect. 49. Vide ad Metam. xi. 162. ubi *barbaricum carmen* est cantus Phrygius. De *tibia* illa dictum supra ad versum 181.

215. Insignia Deæ, de quibus consule Pignorii libr. de Magnæ Deûm matris et Attidis initiis. De *leonibus* Lucretius dicto loco: "Hanc veteres Graium docti cecinere poetæ Sublimem in curru bijugos agitare leones," causamque addit hanc: "Adjunxere feras, quia quamvis effera proles Officiis debet molliri victa parentum." Aliis Cybele symbolum naturæ videtur, cujus vim *leones* indicent.

219. Magna Mater est Terra, cui curæ *turrigeræ* urbes (Æn. x. 253.) quas sustinet, unde et ipsa *turrita* dicitur Æneid. vi. 786; Lucretius dicto loco: "Muralique caput summum cinxere corona, Eximiis munita locis quod sustinet urbeis."

Annuit: Unde venit, dixi, sua membra secandi
  Impetus? ut tacui, Pieris orsa loqui:
Phryx puer in silvis, facie spectabilis, Attis
  Turrigeram casto vinxit amore Deam.
Hunc sibi servari voluit, sua templa tueri;
  Et dixit, Semper fac puer esse velis.
Ille fidem jussis dedit; et, Si mentiar, inquit,
  Ultima, qua fallam, sit Venus illa mihi.
Fallit; et in Nympha Sagaritide desinit esse,
  Quod fuit: hinc pœnas exigit ira Deæ.
Naïda vulneribus succidit in arbore factis.
  Illa perit: fatum Naïdos arbor erat.
Hic furit; et, credens thalami procumbere tectum,
  Effugit, et cursu Dyndima summa petit.

221. Lubricam de *mutilatione* Gallorum quæstionem Musæ virgini proponit; neque tamen illa dubitat eam expedire. Initium fit ab *Atti*, puero Phrygio, de quo confer Pausan. Achaic. p. 566; Lucianum de Syria Dea 15; Arnobium adv. Gentes, i. p. 24; v. p. 159 et 184. Carmine etiam celebratus est a Catullo. In MSS. quibusdam male *Atthys* scribitur. Pausaniæ et Luciano est Ἄττης. Hesych. Ἄττης, τὸν λέγουσιν Ἄττιν οἱ Λάκωνες. Arnobius nomen deducit a Phrygia voce *attagus*, hircus. Fabula de eo varie narratur. In *facie* ejus consentiunt scriptores; fuit ei κάλλος πλέω ἢ κατὰ εἶδος ἀνθρώπου. Pausan. *Lydam* eum facit Lucianus, sive e frequenti illarum gentium confusione, (confer Neapol.) sive, quia Attis, ut Hermesianax in elegis scripserat, adultus in Lydiam migravit, ibique Matris Idææ mysteria docuit. In *silvis* educatus est, et a capella nutritus. Formulam *vincire amore* comprobat Heinsius. *Hunc sibi servari*, hunc abstinere ab amore aliarum, suo cultui addictum. De conjuge fida Metam. vii. 735: *Ego uni servor, ubicumque est. Templa tueri*, est ædituum esse, ut Metam. viii. 707. 710. Secundum Lucianum dicto loco, primus orgia Rheæ docuit. *Esse velis* urbanius quam, sis. *Puer*, castitatis notionem nunc habet.

228. Formulæ solemnes jurantum, *si mentiar, si sciens fallam. Sagaris* id. quod *Sangarius*, amnis ex Adorco monte per Phrygiam fluens; Solinus, cap. 43: "Sagaris fluvius, dictus a plerisque Sangarius." Apud Pausan. et Arnobium, Nana Sangarii amnis filia, mater est Attidis, quem miro modo concepit, quum amygdali, ex virilibus Agdestis resectis enatæ, fructus in sinum collegisset; sed et reliqua ab his Ovidianis discrepant. Nympha fuit una ex Hamadryadibus, quæ una cum arboribus suis interire credebantur; Met. viii. 761—773. Igitur et hæc, vulnerata arbore, *succiditur* ipsa. *Arbor fatum erat*, fatum ejus pendebat ab arbore.

233. *Furorem* ei injecit secundum

Et modo, Tolle faces; Remove, modo, verbera,
Sæpe Palæstinas jurat adesse Deas. [clamat:
Ille etiam saxo corpus laniavit acuto;
Longaque in immundo pulvere tracta coma est,
Voxque fuit, Merui: meritas do sanguine pœnas.
Ah pereant partes, quæ nocuere mihi!
Ah pereant! dicebat adhuc: onus inguinis aufert;
Nullaque sunt subito signa relicta viri.
Venit in exemplum furor hinc, mollesque ministri
Cædunt jactatis vilia membra comis.
Talibus Aoniæ facunda voce Camenæ
Reddita quæsiti causa furoris erat.
Hoc quoque, dux operis, moneas, precor; unde
Venerit: an nostra semper in urbe fuit? [petita

Pausan. et Arnobium Agdestis, qui ante amore ejus arserat, eo quidem tempore, quo Attis Pessinunte erat, Midæ regis filiam ducturus. *Palæstinas Deas* Furias intelligi vix dubium est; earum enim sunt *faces* et *verbera*, scilicet flagella; sed quæritur, quo jure sic sint dictæ. Marsus e codice antiquo Julii Cæsaris ostendit, *Palæsten* urbem fuisse Epiri; in Epiro autem Furias habuisse templum. Equidem vocabulum *Palæstinas* corruptum arbitror; codices vero non adjuvant nos ad verum inveniendum. Neque facile sit conjectura consequi, quo vocabulo furens puer usus sit. *Ille etiam*, idem, ponitur quum de eodem plura prædicantur. *Saxo acuto.* Apud Arnobium *testulam* rapit. *In immundo*, etc. Talia fere leguntur de iis, qui humi jactantur; Æneid. xii. 611: "Canitiem immundo perfusam pulvere turpans." Ibid. 99: "Semiviri Phrygis fœdare in pulvere crines." Et Attis *longa* coma conspicuus erat. *Onus*, quidquid gestatur, etiam pars corporis. In *subito* hærebat Heinsius, forte quia negationi additum; suadebat: *subito viro*, quod recte refutatum a Burmanno. Hermesianacte auctore, ipsa mater Attin filium sic mutilavit. Apud Arnobium ipse sub pinu genitalia sibi desecat; hinc Mater Deûm in solatium mœroris sui pinum consecrat.

243. *Veniunt in exemplum*, quæ ab aliis imitatione exprimuntur. Heinsius sine causa malebat, *ivit in exemplum*. Alibi, *ire per exempla* aut *ire exemplis*, idem vel pati, vel facere, quod alii; vide ad Metam. iv. 430. *Molles* sæpe cinædi, pathici, nunc semimares. *Vilia*, quæ vilia ipsis videntur, quia cædunt. A Lucretio dicto loco alia hujus mutilationis causa affertur: "Gallos attribuunt, quia numen qui violarint Matris, et ingrati genitoribus inventi sint, Significare volunt indignos esse putandos, Vivam progeniem qui in oras luminis edant."

247. *Cybele Romam deducta.*] Confer Livium, xxix. 11. 14; xxxvi. 36. et e poetis Silium, xvii. initio. Conf. etiam similis deductio Æsculapii Metam. xv. 622—744. *Petita venerit* plenius quam, arcessita sit; Horatius,

Dindymon, et Cybelen, et amœnam fontibus Iden
Semper, et Iliacas mater amavit opes.
Quum Trojam Æneas Italos portaret in agros,
Est Dea sacriferas pæne secuta rates.
Sed nondum fatis Latio sua numina posci
Senserat; adsuetis substiteratque locis.
Post, ut Roma potens opibus jam sæcula quinque
Vidit, et edomito sustulit orbe caput,
Carminis Euboïci fatalia verba sacerdos
Inspicit: inspectum tale fuisse ferunt:
Mater abest; matrem jubeo, Romane, requiras:
Quum veniet, casta est accipienda manu.
Obscuræ sortis patres ambagibus errant,
Quæve parens absit, quove petenda loco.
Consulitur Pæan; Divûmque arcessite matrem,
Inquit: in Idæo est invenienda jugo.
Mittuntur proceres: Phrygiæ tum sceptra tenebat
Attalus: Ausoniis rem negat ille viris.

I. Sat. iv. 79: "Unde petitum Hoc in me jacis?" *Ide* a *fontibus* nobilis; Met. ii. 218. ubi vide not. *Iliacas opes*, regnum Trojanum. Hic mirari quis poterat, quod non Æneam *secuta* sit. *Quum Trojam*, etc. ex Æn. i. 68: "Ilium in Italiam portans, victosque Penates." *Sacriferas*, quæ Penates et Vestam ferebant.

255. Anno 549. P. Cornelio Scipione, P. Licinio Crasso coss. tempore belli Punici secundi, quum crebrius de cœlo lapidatum esset, in libris Sibyllinis id carmen inventum est: "Quandoque hostis alienigena terræ Italiæ bellum intulisset, eum pelli Italia vincique posse, si mater Idæa a Pessinunte Romam advecta foret." Hinc patres id cogitare, quæ ratio transportandæ Romam Deæ esset, præsertim quum Delphicus quoque Apollo monuisset, magnam victoriam adesse populo Romano. Legati Asiam petentes in itinere oraculum Delphicum denuo consuluerunt, a quo responsum tulerunt: "Per Attalum regem compotes ejus fore, quod peterent. Quum Romam Deam devexissent, tum curarent, ut eam, qui vir optimus Romæ esset, hospitio exciperet." Sic Livius, a quo in nonnullis dissentit Ovidius. *Carmen Euboicum*, libri Sibyllini. Nota erat Sibylla Cumæa; vide ver. 158. Cumæ autem originem trahebant a Chalcide Euboica; vide ad Metam. xiv. 155. *Sacerdos*, Decemviri.

261. *Ambages* sæpe de oraculorum ambiguitate; ver. 668; Metam. vii. 761. De *consulto Pæane* modo dictum ad versum 255.

265. *Proceres* illi erant M. Valerius

Mira canam: longo tremuit cum murmure tellus;
  Et sic est adytis Diva locuta suis:
Ipsa peti volui: ne sit mora; mitte volentem:
  Dignus Roma locus, quo Deus omnis eat.
Ille soni terrore pavens, Proficiscere, dixit;
  Nostra eris: in Phrygios Roma refertur avos.
Protinus innumeræ cædunt pineta secures
  Illa, quibus fugiens Phryx pius usus erat.
Mille manus coeunt: et picta coloribus ustis
  Cœlestum matrem concava puppis habet.
Illa sui per aquas fertur tutissima nati;
  Longaque Phryxeæ stagna sororis adit;

Lævinus consularis, M. Cæcilius Metellus prætorius, Sulpicius Galba ædilitius, et duo quæstorii. *Attalus*, Pergami rex, quocum propter commune adversus Philippum bellum cœpta jam Romanis erat amicitia, legatos comiter acceptos Pessinuntem in Phrygiam deduxit, sacrumque iis lapidem, quem Matrem Deûm incolæ esse dicebant, tradidit; Livius. *Phrygiam* Noster latiore sensu ponere potuit, sed, quum Attalum rem negasse Romanis ait, alios auctores secutus est. Nec miror, miraculum ab eo in hac narratione prælatum.

272. *Nostra eris*, scilicet sic quoque. Quod supra ver. 32 sqq. docuit, a Phrygibus originem suam repetere Romam, id hic repetit. Etiam Herodianus, i. 11. ait, Romanos, propter *τὴν συγγενείαν καὶ τὴν ἀπ' Αἰνείου τοῦ Φρυγὸς εἰς αὐτοὺς διαδοχήν*, facile impetrasse Cybeles simulacrum. Secundum Livium Romanæ naves Matrem deduxerunt; sed Ovidius eam maluit suæ arboris nave avectam. Respexit autem Æn. ix. 80 sqq. ubi Dea Æneæ, *Phrygi pio*, quum classe indigeret, pineam silvam sibi sacram dedit, Jovem precata, ut ne naves inde factæ vento ullo vincerentur; conf. Metam. xiii. 535. Et Ida magnum habebat materiæ proventum. *Idæis navibus* etiam Paris vehitur apud Horatium I. Od. xv. 2. Sæpe *picta* navis occurrit; hoc loco explicatur, qualis pictura illa fuerit. Nempe ceræ liquefactæ et colore tinctæ penicillo illinebantur navibus; Plin. xxxv. 41: "Tertium accessit, resolutis igni ceris penicillo utendi, quæ pictura in navibus nec sole, nec sale, ventisque corrumpitur." Quid autem Attalus miserit Romanis, narrat Arnobius, p. 253: "Ex Phrygia nihil quidem aliud scribitur missum rege ab Attalo, nisi lapis quidem non magnus, ferri manu hominis sine ulla impressione qui posset coloris furvi, atque atri, angellis prominentibus inæqualis."

277. Iter describitur. *Longaque*, etc. Hellespontus, sic dictus ab Helle, *Phryxi sorore*: iii. 870. Ejus sinus quidam non longe ab Ilio litus incurvabat. Ibi *Rhœteum* et *Sigeum*, duo promontoria cum oppidis cognominibus; confer Metam. xi. 197. Sigeo adversa protenditur *Tenedos* insula, xl. stadiis a continente distans; Stra-

Rhœteumque rapax, Sigeaque litora transit;
Et Tenedum, et veteres Eetionis opes.
Cyclades excipiunt, Lesbo post terga relicta;
Quaque Carysteis frangitur unda vadis.
Transit et Icarium, lapsas ubi perdidit alas
Icarus, et vastæ nomina fecit aquæ.
Tum læva Creten, dextra Pelopeïdas undas
Deserit; et Veneri sacra Cythera petit:
Hinc mare Trinacrium, candens ubi tingere ferrum
Brontesque, et Steropes, Acmonidesque solent,
Æquoraque Afra legit, Sardoaque regna sinistris
Prospicit a remis; Ausoniamque tenet.
Ostia contigerat, qua se Tiberinus in altum
Dividit, et campo liberiore natat.

bo, xiii; Plinius, v. 39. *Eetion*, Andromaches pater, Thebeu habebat, a Troade ad austrum versus Adramyttum sitam; Homer. Il. A. 336; Z. 395; X. 480.

282. *Carystus* in litore australi Eubœæ insulæ. Ex Hellesponto autem venientibus Eubœa prius adeunda, quam *Cyclades*. De *Icaro* et *Icario* scilicet mari, vide Metam. viii. 183 sqq. Pro *lapsas*, plurimi codd. *lassas*, quod Mitscherl. placuit; Bersmanno *laxas*, id est, a sole laxatas. Verum *lassitudine* minime victus est Icarus audaci volatu gaudens; sed *labi* dicuntur, quæ vel intereunt, vel in pejus mutantur. Itaque alæ, quarum ceræ liquefactæ sunt a sole, bene et *dilapsæ* et *lapsæ* dici possunt. *Vasta aqua* circumlocutio maris. *Cythera* insula eo ipso loco, quo Pelopeides undæ adeuntur.

287. Nomina Cyclopum etiam Hesiodus Theog. 140. habet, sed tertius ei est *Arges;* sic et Callimachus, hymn. Dian. 68; Apollodorus, I. i. 2; Plinius, xxxv. 36. Qui *Pyracmon* Virgilio Æn. viii. 425. Nostro *Acmonides* dicitur aut *Agmonides*, id est, Acmonis filius. *Tingentes* ferra lacu sæpe Cyclopes et fabri inducuntur, ut docet Heinsius. Quum non auderent illi fretum Siculum transire, legunt *æquora Afra*. *Legere æquora* æque recte dici ac *legere* litora, contra Heinsium docet Burmannus.

291. *Ostia* Lenzius Ostiam urbem intelligit; sic insolenter locutus esset Ovidius; Livius, xxix. 14. de hac ipsa re: "postquam navis ad ostium amnis Tiberini accessisset." Idem Lenzius verbum *dividit* ad duo ostia refert, quibus Tiberis se exoneravit in mare. Putem, etiam fluvium, qui ex unius ostii angustiis exeat, et jam latius diffundatur, *dividere se in altum* dici posse. Quod nisi voluisset poeta, non addidisset *in altum*, nec *campo liberiore* (ut Metam. i. 41.) *natat*. Vide omnino ad versum 330. Advenienti navi omnem effusam fuisse civitatem obviam, etiam Livius dicto loco nar-

Omnis eques, mixtaque gravis cum plebe senatus
Obvius ad Tusci fluminis ora venit.
Procedunt pariter matres, natæque, nurusque;
Quæque colunt sanctos virginitate focos.
Sedula fune viri contento brachia lassant:
Vix subit adversas hospita navis aquas.
Sicca diu tellus fuerat: sitis usserat herbas:
Sedit limoso pressa carina vado.
Quisquis adest operi, plus quam pro parte laborat;
Adjuvat et fortes voce sonante manus.
Illa velut medio stabilis sedet insula ponto:
Attoniti monstro stantque paventque viri.
Claudia Quinta genus Clauso referebat ab alto;
Nec facies impar nobilitate fuit.
Casta quidem; sed non et credita: rumor iniquus
Læserat, et falsi criminis acta rea est.

rat; nam Valerius, unus ex legatis, prægressus, actutum Deam in Italia fore nuntiaverat. *Os*, de ostio fluvii non minus, quam de fonte dicitur; Virgilius, Georg. iv. 292.

298. *Hospita*, peregrina. *Sitis usserat herbas;* marcidas herbas, quibus succi ademti, describit. Virgil. Georg. i. 77. *urit lini campum seges*, exsiccat. *Pressa* navigia alias sunt mercibus onerata, ut Virg. Georg. i. 303; nunc potius impressa limo, hærentia in limo; sic *pressum aratrum* alibi, impressum. *Quam pro parte;* Liv. vii. 7: "plus sibi, quam pro virili parte, adnitendum scirent." Vide Bauer. ad præfat. p. 2. *Monstrum*, mira res prodigii vim habens.

305. Locus satis moratus sequitur, idemque singula diligenter persequitur. *Atta* aut *Attus Clausus*, quinto a regibus ejectis anno, Regillo in Sabinis Romam migravit, ubi inter patres lectus est; tum *Appio Claudio* ei fuit nomen; Livius, ii. 16. *Alti* et antiqui et nobiles dicuntur. *Referebat*, repetebat. Erat Appii Cæci neptis, ut docet Abram. ad Ciceronem pro Cælio, 14. Virgo e *Clausorum* gente etiam infra v. 155. occurrit. Vocabula *par* et *impar* etiam ablativo jungi, docet Burmannus. Quæ de *Claudia Quinta* hic narrantur, ea et Livius, dicto loco attingit: "Matronæ primores civitatis, inter quas unius Claudiæ Quintæ insigne est nomen, signum accepere: cui dubia, ut traditur, antea fama, clariorem ad posteros tam religioso ministerio pudicitiam fecit." Pudicitia ejus etiam a Cicer. Harusp. 13. memoratur, et a Suetonio, Tib. 2. ubi multa de ejus gente. Cum sqq. confer Silium, xvii. 33. *Læserat* famam ejus, infamiam contraxerat; Horatius, I. Sat. iv. 78: *lædere gaudes. Agi ream*, accusari.

Cultus, et ornatis varie prodisse capillis,
Obfuit; ad rigidos promptaque lingua senes.
Conscia mens recti famæ mendacia risit:
Sed nos in vitium credula turba sumus.
Hæc ubi castarum processit ab agmine matrum,
Et manibus puram fluminis hausit aquam,
Ter caput irrorat, ter tollit in æthera palmas;
Quicumque adspiciunt, mente carere putant:
Submissoque genu, vultus in imagine Divæ
Figit, et hos edit, crine jacente, sonos:
Supplicis, alma, tuæ, genitrix fecunda Deorum,
Accipe sub certa conditione preces.
Casta negor: si tu damnas; meruisse fatebor;
Morte luam pœnas judice victa Dea.
Sed, si crimen abest, tu nostræ pignora vitæ
Re dabis; et castas casta sequere manus.

309. *Varietas* illa ornatus erat a positu capillorum. Etiam *prodire* in publicum maxime ad rem pertinet, quum castæ mulieres fere essent domisedæ. *Promta*, præceps, libera et ad quælibet expedita; Livius, xxii. 44. extr. "Videret, ut quibus lingua tam promta ac temeraria, æque in pugna vigerent manus." Sallustius Catil. x. 5: "in lingua promtum habere." Cicer. Planco, 14. "et vultu promtum habuit et lingua. *Ad rigidos*, apud severos. *Nos turba sumus*, ex ironia Socratica, turba est; Horat. I. Ep. ii. 27: *Nos numerus sumus;* Art. Poet. "Maxima pars vatum decipimur specie recti."

314. *Purum*, quod habet vim purificandi; vide i. 338. In rebus puris etiam aqua fluvialis propter sanctitatem fluviorum. Aqua autem lustralis, qua Deos adituri caput et vestes conspergere solebant, *ros* dicebatur; Metam. i. 371: "ubi libatos irroravere liquores Vestibus et capiti;" ubi vide not. et infra ad ver. 778. *Crinis* in collo *jaceus* signum amentiæ; Heroid. xv. 140: "Illuc mentis inops, ut quam furialis Erichtho Impulit, in collo crine jacente feror;" Metam. ii. 673. de muliere vaticinantis furore correpta, "utque vagi crines per colla jacebant. *Jacentibus* opponitur *adstricti* Art. Amat. iii. 146.

323. *Pignus*, argumentum, signum, quo comprobatur aliquid. In paregmeno illo *castas casta* vis inest. *Scenicam* fabulam fuisse, qua argumentum illud esset tractatum, ex hoc loco apparet. Acta forsan Megalesibus. *Sequitur ducem*, facit, ut navis pareat mulieris trahentis conamini, *laudatque* eam, sequendo dat testimonium pudicitiæ ejus. *Laudationes* etiam in judiciis testimonia dicebantur. *Sonus*, acclamatio adstantium. *Index lætitiæ*, ut Liv. vii. 37: "Clamor omnium assensus index;" xxiii. 46. "Clamor favoris index."

Dixit; et exiguo funem conamine traxit:
Mira, sed et scena testificata loquar:
Mota Dea est; sequiturque ducem, laudatque se-
Index lætitiæ fertur in astra sonus. [quendo.
Fluminis ad flexum veniunt: Tiberina priores
Ostia dixerunt, unde sinister abit.
Nox aderat: querno religant a stipite funem;
Dantque levi somno corpora functa cibo.
Lux aderat: querno solvunt a stipite funem;
Ante tamen posito tura dedere foco.
Ante coronatam puppim sine labe juvencam
Mactarunt, operum conjugiique rudem.
Est locus, in Tiberin qua lubricus influit Almo,
Et nomen magno perdit ab amne minor.

330. *Sinister abit* bene dictum, flexus ad sinistrum latus relinquit terram et in mare exoneratur. Nempe Tiberis per duos alveos in mare effluit, dextrum et sinistrum. Navigantes priscis temporibus cum maxime, qui mare prospectanti *sinister* esset, frequentasse videntur, ita ut hic potissimum *Ostia* diceretur; vide Wernsdorf. ad Rutilii Itin. i. 179. *Tiberina Ostia* tamquam nomen proprium sæpe; Metam. xv. 728. *Querno religant a stipite*, quum alias saxa perforata, εὐνὰς, ejicerent, atque ab iis funes religarent; Homerus, Il. A. 436. Nota similitudinem, quæ est in versibus 331 et 333.

335. *Coronari* puppis in re læta aut sacra, salvo reditu, die festo solebat; Virg. Georg. i. 304. *Operum rudis*, nullum jugum passa. *Conjugium* de coitu; vide ad Metam. i. 490 et 660.

337. *Almo*, fluviolus, quem Tiberis recipit prope Romam; Metam. xiv. 329. *cursu brevissimus* vocatur. Hunc Cybele Phrygiæ amnibus prætulisse fertur; Claudian. xv. 119. *Lubricus* omnino amnium epitheton; vi. 238. *lubricus Tiberis*. Adde Amor. III. vi. 81. *Perdit a magno*, perdit propter magnitudinem ejus, in quem influit. *A* sæpe causam indicat. Vid. Ern. Gloss. Liv. *Canus sacerdos*, Archigallus senex, quem *purpurea veste* indutum fuisse Neapolis docet. Per *dominam* et *sacra* Neapolis et Taubnerus eamdem rem intelligunt, ipsam Deam, ipsum illum lapidem sacrum. Sed *sacra* sæpe sunt, quæ cultui Deorum inserviunt, Diis consecrata sunt. Ex Ammiano, xxiii. 4. apparet, et simulacrum et carpentum Magnæ Matris ablui solitum; *lotio* enim illa quotannis repetebatur Phrygio more in Almone, quo Dea essedo vehebatur; Prudentius Perist. x. 156; Silius, viii. 365. Vide omnino Cluverium Ital. Antiq. II. x. p. 718. ubi et de Almone, et de hoc festo agit. Adde Spanhemium ad Callimachum Pal. init. *Furiosa*, furorem incutiens. *Molles manus;* vide ad ver. 185. ubi *mollis cervix* comitum. *Taurea terga*, tympana.

Illic purpurea canus cum veste sacerdos
  Almonis dominam sacraque lavit aquis.
Exululant comites, furiosaque tibia flatur ;
  Et feriunt molles taurea terga manus.
Claudia præcedit, læto celeberrima vultu ;
  Credita vix tandem teste pudica Dea.
Ipsa sedens plaustro porta est invecta Capena ;
  Sparguntur junctæ flore recente boves.
Nasica accepit ; templi tunc exstitit auctor.
  Augustus nunc est ; ante Metellus erat.
Substitit hic Erato : mora fit, si cætera quæram.
  Dic, inquam, parva cur stipe quærat opes ?

345. *Capena porta* ea, unde via Appia ducebatur. *Boves* jungi solebant Matri Deûm. Orpheus hym. xiii. 2. ubi *ταυροφόρον ἅμμα* ejus. De *floribus* sparsis Lucretius, ii. 627 : "Ningunt rosarum Floribus, umbrantes Matrem comitumque catervas." Secundum Livium, xxix. 14. P. Cornel, Scipio, adolescens nondum quæstorius, quem virum bonorum optimum in tota esse civitate judicarant (ad ver. 255.) cum omnibus matronis obvius ire jussus Deæ, signum ejus a sacerdotibus *accepit*, extulitque in terram. Perlatum est in ædem Victoriæ, quæ erat in Palatio, pridie Idus Aprilis, isque dies festus fuit. Lectisternium et ludi fuere, Megalesia appellata. Anno seq. M. Cornelio Cethego, P. Sempronio Tuditano coss. ædem ei faciendam ex senatus consulto locaverunt censores, quam tredecim annis post dedicavit M. Junius Brutus. Ludi ob eam dedicationem facti, quos primos scenicos fuisse, Antias auctor fuerat ; Megalesia appellata ; Livius, xxxvi. 36. *Templi exstitit auctor.* Fortasse eo auctore senatus consultum factum est de templo exstruendo. *Augustus* de se ipse in Mon. Ancyr. "Ædem Matris Magnæ in Palatio feci." *Metellum* ; puto L. Metell. Dalmaticum intelligi, an. U. C. 634. cos. eumdemque censorem, a quo et porticus et Castoris ædes exstructa. Cæterum de P. Scipione, viro optimo, sacra illa sanctissimis manibus accipiente, vide Ciceronem, Harusp. 13 ; Valerium Max. vii. 5 ; viii. 15 ; Silium, xvii. 5.

350. *Stipem* vir Phrygius et mulier Phrygia, Deam circumferentes, et imagunculas pectori alligatas gestantes, colligebant ; quod proprio verbo *μητραγυρτεῖν*, de quo vide Ruhnkenium ad Timæi Gloss. pag. 6. Meminit Noster hujus *stipis* etiam I. ex Ponto i. 40. ubi addit : "Unde tamen vivat, vaticinator habet." Non adeo *parvam* illam stipem facit Lucretius, ii. 626 : "Ære atque argento sternunt iter omne viarum, Largifica stipe ditantes." Sed errat Ovidius, quum inde *dandæ stipis morem mansisse* ait ; etenim *ἀγείρειν θεῷ*, stipem Deo alicui colligere, admodum solemne erat, ut apparet e Ruhnkenii dicto loco.

Contulit æs populus, de quo delubra Metellus
Fecit, ait: dandæ mos stipis inde manet.
Cur vicibus factis ineant convivia, quæro,
Tum magis, indictas concelebrentque dapes.
Quod bene mutarit sedem Berecyntia, dixit; 355
Captant mutatis sedibus omen idem.
Institeram, quare primi Megalesia ludi
Urbe forent nostra: quum Dea, sensit enim,
Illa Deos, inquit, peperit: cessere parenti,
Principiumque dati mater honoris habet. 360
Cur igitur Gallos, qui se excidere, vocamus,
Quum tanto Phrygia gallica distet humus?
Inter, ait, viridem Cybelen, altasque Celænas
Amnis it insana, nomine Gallus, aqua. [est
Qui bibit inde, furit: procul hinc discedite, quîs
Cura bonæ mentis: qui bibit inde, furit. 366
Non pudet herbosum, dixi, posuisse moretum
In dominæ mensis? an sua causa subest?

353. Megalensibus principes civitatis *mutua* inter se convivia agitare solebant, quod verbo proprio *mutitare* dictum; Gellius, Noct. Attic. ii. 24. ubi lex sumtuaria memoratur mutitantibus olim lata. Cato apud Cicer. de Senect. 13: "Sodalitates autem, me quæstore, constitutæ sunt sacris Idææ Magnæ Matris acceptis. Epulabar igitur cum sodalibus modice." *Tum magis* intellige, eo festo potius, quam alio tempore. *Indictas*, ad quas non vocantur, sed quas ipsi convivæ indicunt; vide Burmannum.

357. *Institeram*, institueram, quærere volebam. *Deos peperit*, nempe sex Deos majorum gentium; Virgilius, Æn. vi. 787: "Læta Deûm partu, centum complexa nepotes, Omnes cœlicolas, omnes supera alta tententes."

361. *Se excidere*, virilia sua exsecuerunt. *Celænæ* mons et urbs, caput quondam Phrygiæ, e cujus arce summa Mæander fluvius oriebatur; nec procul inde Marsyas amnis. Fama tenebat, Celænis Marsyam cum Apolline tibiarum cantu certasse; Livius, xxxviii. 13; Strabo, xii. p. 612. *It*, decurrit; plenius Metam. ii. 456. *labens ibat rivus. Gallum*, Phrygiæ fluvium Plinius, xxxi. 5. auctore Callimacho, in iis numerat, qui calculosis medeantur. Tum addit: "Sed ibi in potando necessarius modus, ne lymphatos agat." Vibius Sequester de Flumin. "Gallus in Phrygia, unde qui bibit, insanit more fanatico." Inde Gallos nomen accepisse, testatur etiam Stephanus Byzantinus ubi de hoc fluvio agit: *ἀπὸ ἐκείνου γὰρ τοὺς τεμνομένους τὰ αἰδοῖα Γάλλους καλοῦσιν.*

367. *Moretum*, *μύττωτον*, edulii rustici genus ex allio, apio, ruta, corian-

Lacte mero veteres usi memorantur, et herbis,
  Sponte sua si quas terra ferebat, ait.
Candidus elisæ miscetur caseus herbæ,
  Cognoscat priscos ut Dea prisca cibos.
Postera quum cœlo motis Pallantias astris
  Fulserit, et niveos Luna levarit equos,
Qui dicet, quondam sacrata est colle Quirini
  Hac Fortuna die Publica, verus erit.
Tertia lux, memini, ludis erat: at mihi quidam
  Spectanti senior, contiguusque loco,

dro, bulbo, caseo, oleo et aceto confectum, quo stomachus vellicaretur; vide Scholiast. Aristophan. ad Vesp. 312. et Virgilii Moretum. Etiam Neapolis hoc loco quædam de hoc cibo collegit. *Sua*, justa aut propria. *Si quas* non dubitantis est, sed affirmantis pro, quas. *Elisæ*, contritæ pastillo. Vide Heinsium. In temporis antiqui memoriam multa servata sunt in sacris veterum.

373—388. Hæc quoque ad tempus Megalensium pertinent, ad dies v. et vi. Aprilis, obiterque res duas narrant olim istis diebus gestas: *dedicationem templi Fortunæ Publicæ*, et *victoriam Cæsaris de Juba, tum Libræ imbres* et *Orionis occasum*. *Pallantias*, Aurora; Metam. ix. 420. Ea oriente *diffugiunt stellæ*, Metam. ii. 114; pro quo nunc *moventur*, scil. statione in cœlo expelluntur, ut hostes *moveri* dicuntur quum e castris ejiciuntur; vide Drakenb. ad Liv. x. 4. *Levare* scilicet jugo, solvere. An. U. C. 549. Sempronius cos. principio pugnæ adversus Hannibalem, ædem *Fortunæ Primigeniæ* vovit, eamque decem annis post, *colle Quirinali sacravit*, dedicavit Q. Martius Ralla duumvir ad id ipsum creatus; Liv. xxix. 36; xxxiv. 53; sed Noster etiam v. 720. viii. Kalend. Jun. *Fortunæ Publicæ* templum datum narrat; atque ita, et eodem die Kalendarium vetus, ubi FORTVN. PVBLIC. PR. IN COLL. id est, Fortuna Publica Primigenia in colle. Hinc Neapolis conjicit, duas Fortunas intelligi, quarum altera *Publica* tantum sit dicta, altera et *Primigenia* et *Publica*; hujus ædem mense Maio esse dedicatam, illius Aprili. Verrius: *Ludi Fortunæ Publicæ citerio—in colle*. Foggin. supplet *citeriori*, idque refert ad *Fortunam*; *Fortunam* autem *citeriorem* intel. eam, quam Plutarchus, Quæstion. Roman. ex voce latina *Brevis* Βρέβεμ vertit.

377. Locum seq. bene explicuit Masson. in Vita Ovidii ad an. U. C. 732. *Tertia lux*. dies tertius Megalensium sive vi. dies Aprilis, non autem tertius ab ipsis Nonis. Is *erat ludis*, eo edebantur ludi scenici. Victoriæ, quæ jam commemoratur, memoria non celebrabatur Romæ. Ovidius tamen commode eam repetere voluit, itaque figmento ingenioso usus est. *Contiguus*, pro quo multi *continuus*, bene se habet. Ut *contingere* aliquem propinquitate, amicitia dicimur, sic et *loco*; Claudianus, viii. 481: *aquas contiguas hostibus*; v. 219: *Parcite contiguo hosti*. *Jubam*, regem Mauritaniæ fidelissimum partibus Pompeii, et Scipionem Cæsar vicit ad Thapson. Post cladem acceptam Juba magnifice epulatus est cum Petreio, fugæ comite,

Hæc, ait, illa dies, Libycis qua Cæsar in oris
Perfida magnanimi contudit arma Jubæ.
Dux mihi Cæsar erat, sub quo meruisse tribunus
Glorior: officio præfuit ille meo.
Hanc ego militia sedem, tu pace parasti,
Inter bis quinos usus honore viros.
Plura locuturi subito seducimur imbre:
Pendula cœlestes Libra movebat aquas.
Ante tamen, quam summa dies spectacula sistat,
Ensiger Orion æquore mersus erit.
Proxima victricem quum Romam inspexerit Eos,
Et dederit Phœbo stella fugata locum,

atque inter pocula se interficiendum ei præbuit; Florus, iv. 2. 69; quamquam rem paulo aliter refert Hirtius Bello Afric. 94. Inde *magnanimus*, fortiter procurrens ad mortem. *Contudit*, debellavit; Virgilius, Æn. i. 264: *populosque feroces Contundet.*

383. *Sedem*, non in Quatuordecim, ut Lipsius putabat, hanc enim Ovidius ex equestris ordinis jure obtinuisset, sed in orchestra; quam sedem ipse sibi *paraverat* munere *decemviratus*, quo forte anno ætatis 21. aut 22. functus est. Vigintiviratus erat gradus ad senatum. Inde tres viri erant rerum capitalium, tres signandæ pecuniæ, quatuor viarum curatores, decem judiciis centumviralibus præfecti, atque inde litibus judicandis dicti.

385. Plinius, xviii. 66: *Cæsari VI. Id. significatur imber Libræ occasu*; Columella, ix. 2: iv. *Id. Aprilis, sole oriente, Libra occidere incipit, interdum tempestatem significat.* Hunc imbrem ingeniose poeta memoravit. In theatris Romani sub dio spectabant. *Pendula* bene *Libra* dicitur. *Summa dies*, ultima Megalensium, quæ in Kalendario quodam vetere finiuntur iv. Id.

389—620. *Cereris ludi.* Hunc locum ita tractat, ut primum ludos ipsos 391—393; tum Cereris merita et cultum, 394—416; tandem raptum Proserpinæ 417. usque ad finem narret. Constat, Cereales fuisse Circenses; Tacitus, Annal. xv. 53: "Circensium ludorum die, qui Cereri celebratur:" idem, cap. 74. decretum, ut "Circensium Cerealium ludicrum pluribus equorum cursibus celebraretur." Et *hinc* commode potest explicari, ab hoc die, quo circus celeber pompa, incipiunt ludi Cereris. Scio quidem, in Kalendario quodam vetere ad diem prid. Id. notatos esse *ludos Cereris*, et biduo ante *ludos in Circo*, sed alia Kalendaria nostram tuentur sententiam. Quæritur porro, *quo die* initium horum ludorum fuerit. Plerique intelligunt prid. Idus sive xii. April. quia sic Kalendaria nonnulla, et quia versu 377. *tertiam lucem* non recte ceperunt. Eam rationem Lipsius ad Tacit. Hist. ii. 55. eo etiam adjuvari putat, quod ibi, Othone interfecto, *Cereales ludi* non interrupti, *sed ex more spectati* esse narrantur; mortem autem Othonis incidisse in xii. Kalend. Maii, sive diem xx. April. ad

Circus erit pompa celeber, numeroque Deorum;
Primaque ventosis palma petetur equis.
Hi Cereris ludi: non est opus indice causæ:
Sponte Deæ munus, promeritumque patet.
Messis erant primis virides mortalibus herbæ, 395
Quas tellus, nullo sollicitante, dabat:
Et modo carpebant vivaci cespite gramen;
Nunc epulæ tenera fronde cacumen erant. [perta;
Postmodo glans nata est: bene erat jam glande re-
Duraque magnificas quercus habebat opes. 400

quem duraverint illa ludicra. Broterius vero, approbante Ernestio, ad Taciti Annal. xv. 53. e Kalendariis docere conatus est, initium illorum ludorum fuisse xiii. Kalend. Maii. seu die xix. Aprilis. Quæ ratio diserte ab Ovidio ipso refellitur. Etenim ver. 621. demum ad *Idus*, et 629. ad *lucem tertiam post Veneris Idus* progreditur. Nos cum Massono ver. 377. *tertiam lucem* tertium diem Megalensium, sive diem vi. Aprilis recte intellexisse nobis videmur. Ergo *proxima* hæc *Eos* diem vii. Aprilis, vii. Idus indicat. Atque huic eidem diei Kalend. unum ludos Cereales assignat.

Inspicere etiam ex alto despicere; Æn. ii. 47: *machina inspectura domos*, de equo Trojano. *Pompam Circensem* diligenter descripsit Dionysius Halicarn. vii. 72. Eam ducebant viri summi a Capitolio per forum in circum. Primi erant eorum filii adolescentuli equis insidentes. Hos sequebantur quadrigarii, bigarii, equorum singularium agitatores, athletæ, saltatorum chori, tibicines, citharistæ, alii. Pompam cogebant plurimorum *Deorum* simulacra, quæ hominum humeris portabantur; inde sane *celebritas* circi. De simulacris Deorum in pompa, locus jucundus est Amor. iii. 2. *Ventosi* audacter dictum, ventos post terga relinquentes; Silius, xvi. 336.

393. Poeta supra passim Deos invocavit, ut sibi *causas* rerum *indicarent*, sed nunc *indice* divino hujus *causæ* opus non erat; *sponte* enim e poetis et mythis Græcorum patebat, cur Cereri ludi fierent. *Promeritum*, meritum.

395—400. Alimenta ante Cererem. Vulgaris traditio erat, glandibus primos homines esse pastos; sed nunc poeta, a victu etiam inhumaniore et infeliciore rem repetit; confer ii. 293; Amor. dict. loc. et Art. Amat. ii. 475. ubi rem verbo tetigit, dum *herbas cibum* fuisse dixit. Pro *cibo* nunc *messem* exquisitius posuit; Metam. xi. 113. Midas *arentes Cereris decerpsit aristas: Aurea messis erat. Nullo sollicitante*; Metam. i. 103. sic *nullo cogente*; et Virg. Georg. i. 128. *nullo poscente*. Ut nauta mare *sollicitat* remis, Georg. ii. 503. sic rusticus tellurem *sollicitat* aratro, ibid. 418; nam *sollicitare* est sæpius movere. *Vivax*, qui non facile enecatur aut marcescit. *Cacumen tenera fronde*, teneræ frondes arborum. *Bene esse* ei dicitur qui commode aut laute vivit; Trist. V. xii. 41: "Non adeo est bene nunc, ut sit mihi gloria curæ." Vide Casaub. ad Persium, iv. 29. Huic bene convenit alterum *magnificas*.

400. De hoc merito Cereris confer Amor. iii. 20; Metam. v. 342 sqq;

Prima Ceres homini, ad meliora alimenta vocato,
  Mutavit glandes utiliore cibo.
Illa jugo tauros collum præbere coegit:
  Tum primum soles eruta vidit humus.
Æs erat in pretio; chalybeia massa latebat:
  Heu! quam perpetuo debuit illa tegi!
Pace Ceres læta est: at vos optate, coloni,
  Perpetuam pacem, perpetuumque ducem.
Farra Deæ micæque licet salientis honorem
  Detis, et in veteres turea grana focos:
Et, si tura aberunt, unctas accendite tædas:
  Parva bonæ Cereri, sint modo casta, placent.
A bove succincti cultros removete ministri;
  Bos aret: ignavam sacrificate suem:

Virg. Georg. i. 147: quæ loca omnia, quasi ex composito, ordiuntur verbis *Prima Ceres. Vocavit hominem ad meliora*, quum modum monstravit mitia sibi alimenta comparandi per agriculturam, cujus partem, arationem, mox circumloquitur. *Mutavit*, permutavit: doctius et ornatius Virg. Georg. i. 8.: Cereris munere tellus "Chaoniam pingui glandem mutavit arista." *Eruta*, versa aratro. *Soles vidit*; Georg. i. 48: *solem et frigora sensit.*

405. *Æneis* tum instrumentis agricolæ utebantur; Hesiodus Ἔργ. 150: χαλκῷ δ' ἐργάζοντο· μέλας δ' οὐκ ἔσκε σίδηρος. Ferri Noster præstantissimum genus nominat, a gente *Chalybum* ad Thermodoonta fluvium, dictum; Virgil. Georg. i. 58. *Debuit tegi*, nempe propter abusum ejus in bello; confer ver. 923 sqq. Sed ante, *ære* sic abutebantur, et ante æs repertum unguibus, pugnis et fustibus; Horatius, I. Sat. iii. 101. Scilicet non chalybeia massa in culpa est, sed rabies hominum, sed historiæ stultitia, quæ, quum vastatores terrarum *Magnos* mentiri amet, funestam illam rabiem accendit. *Pace læta est*, ut, qui aravit, idem metat; Callimach. hymn. Cerer. 138. Vide locum pulcherrimum apud Tibullum I. x. 45 sqq. *At vos* Taubnerus sic capit: at non pro pace modo, sed et pro ducis perpetua vita vota faciatis. Malim: si cæteri bella serunt, vos saltem coloni etc. *At* eleganter sic cum pronominibus personæ ponitur; Livius, iii. 17. *at vos veremini Deos vestros.*

409—416. Cultus Cereris. *Farra*, etc. confer i. 338. *Veteres focos*; Horatius, Epod. ii. 43.: *Sacrum vetustis exstruat lignis focum. Tædarum* usus in sacris Cereris, quia ipsa, quum filiam quæreret, tædam accendit. *Unctas*, pice oblitas; Æneid. viii. 91: *uncta abies. Parva*, ut Manibus, ii. 535. *Casta*, puro animo oblata. *Ministri*, popæ, victimarii, qui, quum victimas mactarent, *succincti* esse solebant; vide ad i. 319. De *bove aratore* non mactando vide ad i. 362. De *sue*, lib. i. ver. 349.

Apta jugo cervix non est ferienda securi;
  Vivat, et in dura sæpe laboret humo.
Exigit ipse locus, raptus ut virginis edam:
  Plura recognosces; pauca docendus eris.
Terra tribus scopulis vastum procurrit in æquor
  Trinacris; a positu nomen adepta loci.
Grata domus Cereri: multas ibi possidet urbes,
  In quibus est culto fertilis Henna solo.
Frigida cœlestum matres Arethusa vocarat:
  Venerat ad sacras et Dea flava dapes.

417. *Raptus Proserpinæ* pars gravissima hymnorum in Cererem, idemque multis carminibus celebratus. Confer Met. v. 341 sqq. Nam ibi quoque Noster eum copiosissime cecinit. Antiquissimus auctor fuerat Pamphus, quem hymni Homerici in Cererem auctor secutus esse videtur.

Exigit ipse locus, hac occasione narrandus est mihi raptus. Verum si abesset, non magnopere desideraretur, quum hic de munere tantum et promerito Cereris agatur. *Edere*, indicare, narrare. Vide ad Metam. ii. 43.

419. In hym. Homerico in Cerer. 17. Proserpina e campo Nysæ, quod Cariæ oppidum, rapitur. Vid. et Strabo, xiv. p. 969. Alii in Attica, aut in Cyllene Arcadiæ monte, aut in Creta id factum esse narrabant. Vide Schol. Hesiodi, pag. 303. et Spanhem. ad Callimachum Cerer. 9. Noster hic et Metam. v. *Siciliam* prætulit. Sic plurimi, ut Cicero, Verr. iv. 48. qui e monumentis Græcis huic traditioni fidem addit, et Claudianus. De nomine Siciliæ Plinius, iii. 14: "Sicilia, Sicania Thucydidi dicta, Trinacria pluribus, Triquetra a triangula specie." *Scopuli*, *ἄκραι*, promontoria, quæ versu 479. memorantur. *Positus*, ut alibi *situs*, forma. *Grata domus Cereri*; Cicero, dicto loco: "Vetus est hæc opinio, quæ constat ex antiquissimis Græcorum literis atque monumentis, insulam Siciliæ totam esse Cereri et Liberæ consecratam. Nam et natas esse has in his locis Deas, et fruges in ea terra primum repertas arbitrantur, et raptam esse Liberam ex Ennensium nemore." Dii *urbes*, in quibus præcipua religione coluntur, *possidere*, ibique *habitare* dicuntur. Sic et Ilium *divûm domus*, Æn. ii. 241. *Henna* aut *Enna*, quia in media insula sita, *umbilicus Siciliæ*, *ὀμφαλὸς Σικελίας*, dicta. Cic. dicto loco; Callimach. Cerer. 15; Diodorus Sicul. v. p. 287. Merito poeta ex urbibus Siciliæ *Hennam* potissimum nominavit. *Hennensis* enim *Ceres* per totam Siciliam mira religione, privatim ac publice, colebatur; Cicero, dicto loco.

423. Absente matre rapta est virgo. De *Arethusa*, *frigido* fonte Syracusarum vide Met. v. 409. Ejus fontis Nympha sacra faciebat Deabus, ut Virg. Georg. iv. 380. Cyrene Oceano; supra ii. 247. Phœbus Jovi; et omnino Dii minores majoribus. Qui sacra faciunt, *vocare Deos* dicuntur; Horat. 1. Od. xxx. 2.: *vocans ture te multo*. Vocati *veniebant* ad *dapes*, de quibus ad ii. 362. dictum. *Flava* sæpe Ceres vocatur a colore maturi frumenti.

Filia, consuetis ut erat comitata puellis,
Errabat nudo per sua prata pede.
Valle sub umbrosa locus est, adspergine multa
Uvidus ex alto desilientis aquæ.
Tot fuerant illic, quot habet natura, colores;
Pictaque dissimili flore nitebat humus.
Quam simul adspexit; Comites, accedite, dixit;
Et mecum vestros flore replete sinus.
Præda puellares animos prolectat inanis,
Et non sentitur sedulitate labor.
Hæc implet lento calathos e vimine textos;
Hæc gremium, laxos degravat illa sinus.

425. Locum, unde rapta Proserpina, ex ingenio suo describit Metam. v. 385 sqq.; e rei natura Cic. dicto loco: "In loco summo est æquata agri planities, et aquæ perennes. Tota vero ab omni aditu circumcisa atque diremta est: quam circa lacus lucique sunt plurimi, et lætissimi flores omni tempore anni." Conf. et Diodor. Sicul. v. p. 287. Florum genera, quos collegit, recensentur in hym. Homer. ver. 5 sqq. Noster suaviter *colores* vocat, eique voci bene convenit *picta*. *Nitere* vero nunc non minus eleganter dictum, quam *renidere;* Metam. vi. 65: "In quo diversi niteant quum mille colores;" xv. 202: "herba nitens." Neque ager tantum cultus *nitidus* dicitur, Cic. Verr. iii. 18. sed et in *picturis*, unde nunc sumta verba, alia *nitida* sunt, alia horrida; Cic. Orat. i. 18. *Dissimiles* varius.

431. Pampho auctore, quem deinceps cæteri secuti sunt, rapta est παίζουσα καὶ ἄνθη συλλέγουσα. Mores autem et studia comitum bene hic notata, ut Metam. v. 391 sq. ipsius Proserpinæ sedulitas. *Comites* et in hymno Homer. ver. 5. dantur Oceani filiæ, sed ver. 424. Minerva et Diana adduntur, quæ et ipsæ virgines. *Præda inanis* jucunde de floribus decerptis. *Non sentitur*, etc. Met. vi. 60. *studio fallente laborem.*

435. De *calathis* ad Met. iv. 10. In iis etiam Virg. Ecl. ii. 46. Nymphæ flores ferunt. *Gremium* et *sinus*, ut grammatici docent, ita differunt, ut *sinus* sit inter pectoris et brachiorum, *gremium* inter femorum complexum. *Laxos sinus* habebant βαθύκολποι, ut a poetis Græcis vocantur, et ipsæ Proserpinæ comites hymn. Homer. ver. 5. *Caltha* in floribus passim memoratur, ut Virgil. Eclog. ii. 50: "Mollia luteola pingit vaccinia caltha," ubi vide Martin. Plinius, xxi. 15. postquam e violis luteis marinam descripsit et calathianam minuto folio, pergit: "Proxima ei caltha est concolori amplitudine. Vincit numero foliorum marinam, quinque non excedentem. Eadem odore superatur, est enim gravis calthæ." Esse eam et ipsam e genere violarum lutearum, ibi docet Harduin. *Violaria*, loca violis consita, nunc ipsæ violæ. *Comæ*, folia et flores plantarum dicuntur; Calpurn. Ecl. ii. 32: "At mihi Flora comas parienti gramine spargit," ubi

Illa legit calthas; huic sunt violaria curæ;
Illa papavereas subsecat ungue comas.
Has, Hyacinthe, tenes: illas, Amarante, moraris:
Pars thyma, pars casiam, pars meliloton amant.
Plurima lecta rosa est; et sunt sine nomine flores:
Ipsa crocos tenues liliaque alba legit.
Carpendi studio paulatim longius itur;
Et dominam casu nulla secuta comes.
Hanc videt, et visam patruus velociter aufert;
Regnaque cæruleis in sua portat equis.
Illa quidem clamabat: Io, carissima mater,
Auferor! ipsa suos absciderat que sinus.
Panditur interea Diti via; namque diurnum
Lumen inadsueti vix patiuntur equi.
At chorus æqualis cumulatis flore canistris,
Persephone, clamant, ad tua dona veni.

vid. Wernsdorf. *Tenere* et *morari* oblectationis notionem habent. De *hyacintho* veterum vide ad Met. x. 212. ubi de ejus origine ex Hyacintho juvene. De *amaranto*, flore purpureo, nunquam marcescente, Plinius, xxi. 8.

440. *Casia*, non Arabiæ frutex hujus nominis, sed herba coronaria nunc intellig. quam Martin. ad Virgil. Eclog. ii. 49. Thymelæan esse docet. *Meliloton*, etiam *sertula campana*, in Campania frequens, sertis conficiendis adhibebatur, et odore et flore similis croco, κροκίζων καὶ ἰὼδὴς; Dioscor. iii. 48; Plinius, xxi. 29.

442. *Ipsum* Pamphus tradiderat non violis, sed narcissis deceptam esse; Pausan. Bœot. p. 773. Sic et auctor hymn. Homer. in Cerer. qui vers. 8—14. narcissi illius pulchritudinem, amplitudinem et odorem describit. Hos duces deseruit Noster hic et Metam. v. 392.

445. Cicero dicto loco: "Propter est spelunca quædam conversa ad aquilonem, infinita altitudine, qua Ditem patrem ferunt repente cum curru exstitisse, abreptamque ex eo loco virginem secum asportasse, et subito non longe a Syracusis penetrasse sub terras, lacumque in eo loco repente exstitisse." Confer Metam. v. 395—408. *Cærulei*, nigri κυανοτριχες Orpheo. Nomina eorum habet Claudianus Rapt. Pros. i. 282. *Patrui* cor, Venere impellente Cupido sagitta acutissima vulneraverit, quum Siciliæ fundamina amburet et exploraret; Metam. dict. loco, 355 sqq. In hymno Homer. ver. 3. Jupiter eam dat fratri; ibi et multa de *clamore* raptæ. *Absciderat*, disciderat.

451. *Æqualis*, æqualium, comitum. *Ad tua dona* bene se habet, ad flores, quos tibi donare volumus.

Ut clamata silet, montes ululatibus implent;
Et feriunt mœsta pectora nuda manu.
Adtonita est plangore Ceres; modo venerat Hennam;
Nec mora, Me miseram! filia, dixit, ubi es?
Mentis inops rapitur, quales audire solemus
Threicias passis Mænadas ire comis.
Ut vitulo mugit sua mater ab ubere rapto,
Et quærit fœtus per nemus omne suos;
Sic Dea; nec retinet gemitus; et concita cursu
Fertur; et e campis incipit, Henna, tuis.
Inde puellaris nacta est vestigia plantæ,
Et pressam noto pondere vidit humum.
Forsitan illa dies errori summa fuisset,
Si non turbassent signa reperta sues.
Jamque Leontinos, Amenanaque flumina cursu
Præterit, et ripas, herbifer Aci, tuas:

457. Hymn. Homerico 43. mater divulsis vittis, cyaneoque velamento injecto, *rapitur*, *ὥστ' οἰωνὸς ἐπὶ τραφερὴν τε καὶ ὑγρὴν μαιομένη*. Hoc, quod ver. 482. expressum et ornatum est, melius, quam comparatio cum *Mænadibus Threiciis*, quarum furor et jactatio comarum Metam. xi. init. describitur. *Mugit*, etc. Similia Remed. Amor. 183; sonant *silvæ mugitibus altæ*, *Et queritur vitulum mater abesse suum*. Atque etiam hoc loco, unus Vaticanus *queritur*; sed verbo *quærere* inest notio desiderii et doloris e jactura aliqua; Metam. ii. 239. Desiderium autem illud matris vitulum quærentis egregie notavit Lucretius, ii. 352—365.

464. *Notum pondus*, corpus filiæ, cujus vestigia matri nota. *Summa*, ultima. *Sues* melius poeta omisisset in hac narratione. *Turbare*, confundere; Metam. viii. 160. Dædalus *turbat notas*.

467—480. Catalogus locorum Siciliæ, quæ Ceres præterierit. Conf. Virgil. Æneid. iii. 687, qui locus paulo ornatius est scriptus. Non autem putandum est, Ovidium justo ordine iter aliquod designasse, aut, quæ erat interpretis Gallici opinio, serie locorum neglecta, perturbationem animi, qua Ceres erraverit, indicare; sed satis habuit, quod et in Met. opere aliquoties fecit, plura loca memorabilia congerere; Diodorus Siculus, v. p. 288. Cererem narrat *ἐπελθεῖν ἐπὶ πολλὰ μέρη τῆς οἰκουμένης*. *Leontini* aut *Leontium*, urbs in ora maris Siculi inter Catanam et Syracusas; Plinius, iii. 14. *Amenanus* prope Catanam, de quo fluvio Metam. xv. 279. *Acis* ex Ætna profluens undas suas gelidissimas magno cum impetu in mare

Præterit et Cyanen, et fontem lenis Anapi;
Et te, vorticibus non adeunde Gela.
Liquerat Ortygien, Megareaque, Pantagienque,
Quaque Symætheas accipit æquor aquas,
Antraque Cyclopum positis exusta caminis,
Quique locus curvæ nomina falcis habet,
Himeram et Didymen, Acragantaque, Tauromenque,
Sacrorumque Melan pascua læta boum. [nonque,

devolvit; Plinius, dict. loc. *Anapus* aut *Anapis*, ubi *Cyanen* recepit, in portum Syracusarum majorem se exonerat; Metam. v. 412. *Gelas* fluvius, ad cujus ostium Gela urbs; vide Dorvil. Sic. p. 129. Virgil. Æn. iii. 702: *Immanisque Gela fluvii cognomine dicta. A vorticibus* Phœnicibus *bela* dictus putatur. Bochart. Chan. i. 29.

471. *Ortygie*, insula, in qua pars Syracusarum sita, ubi et fons Arethusa; Metam. v. 499. *Megara* aut *Megaris*, quæ et Hybla minor, urbs prope Syracusas ad mare; Stephan. Μεγαρίς ἐν Σικελίᾳ, ἡ πρότερον Ὕβλα; Plinius, iv. 7. De scriptura nominis vide Pintian. ad Melam. II. vii. 152. *Pangies* aut *Pantagias*, parvus fluvius prope Leontinos; Plin. iii. 14; Vibius Seq. Cluver. Sic. i. 11; Virgilius, Æneid. iii. 689. *ostia Pantagiæ, Megarosque sinus Thapsumque* conjungit. *Symæthus* (Σύμαιθος) fluvius in orientali Siciliæ parte ultra Catinam; Strabo lib. vi. 272; Plin. d. l. Cluver i. 10.

473. Etiam Plinius, dicto loco, in parte Siciliæ orientali *Cyclopum scopulos* collocat; aliter Homerus. *Exusta*, sicut Horatius, I. Od. iv. 8. *Dum graves Cyclopum Vulcanus ardens urit officinas. Curvæ falcis.* Messana olim Zancle dicta a forma *falcata*, quam promontorium habet urbis portum includens ad fretum Siculum; Metam. xv. 290. Fortasse tamen *Drepanum* inuit quum δρέπανον ut ζάγκλη falcem denotet, quod antiquum retinebat adhuc nomen. *Himera*, quam Hannibal diruit, in parte septemtrionali Siciliæ ad ostium fluminis cognominis. Possis et *Hieram* legere, quæ fuit, ut *Didyme*, una ex insulis Æoliis ex adverso promontorii Tyndarii; Plin. iii. 9. *Acragas*, Agrigentum, in parte meridionali inter Pachynum et Lilybæum, in monte cognomini; Virgil. Æn. iii. 703: "Arduus inde Acragas ostentat maxima longe Mœnia." *Tauromenon*; Plin. dicto loco, *colonia Tauromenium, quæ antea Naxos*; Græcis Ταυρομένιον. Sita in parte orientali infra Messanam.

476. *Melas* fluvius e finibus Messanensium versus septemtriones profluens. Inde non longe aberant *Mylæ*, oppidum, hodie *Milazzo*, in peninsula. Ea regio *pascua* habebat miranda. Hinc *boves sacri* Solis ibi fuisse tradebantur; Theophr. Histor. Plant. viii. 3; Bochart. Chan. lib. i. cap. 27. De *pascuis lætis* vide Bentleium ad Horat. III. Od. xi. 9. *Camerina* aut *Camarina* in litore meridionali inter Agrigentum et Pachynum. *Thapsus* peninsula haud procul a Syracusis sinum Megarensem includens. *Helorum* oppidum ad ostium *Helori* amnis non procul a Pachyno; Plinius, iii. 14. *flumen Elorum*; sed Stephanus Ἕλωρος. *Eryx*; Solinus, cap. 5: "Emi-

Hinc Camerinan adit, Thapsonque et Heloria Tem-
Quaque patet Zephyro semper apertus Eryx. [pe;
Jamque Peloriaden, Lilybæaque, jamque Pachynon
Lustrarat, terræ cornua prima suæ.
Quacumque ingreditur, miseris loca cuncta querelis
Implet; ut amissum quum gemit ales Ityn:
Perque vices, modo Persephone, modo Filia, cla-
Clamat, et alternis nomen utrumque ciet. [mat;
Sed neque Persephone Cererem, neque filia ma-
Audit, et alternis nomen utrumque perit. [trem
Unaque, pastorem vidisset, an arva colentem,
Vox erat, Hac gressus si qua puella tulit?
Jam color unus inest rebus; tenebrisque teguntur
Omnia: jam vigiles conticuere canes.
Alta jacet vasti super ora Typhoeos Ætne,
Cujus anhelatis ignibus ardet humus.
Illic accendit geminas pro lampade pinus;
Hinc Cereris sacris nunc quoque tæda datur.

net Sicilia montibus Ætna et Eryce: Vulcano Ætna sacer est, Eryx Veneri." Mela vi. 7: "Montium Eryx maxime memoratus ob delubrum Veneris ab Ænea conditum." Finem catalogi faciunt *cornua*, *ἄκραι*, promontoria, quorum *Pelorus* Italiam spectat, *Pachynum* aut *Pachinus* Græciam, *Lilybæum* Africam. *Pelorus* scribitur etiam *Pelorum*, *Peloris* et *Pelorias*. Vid. Gronovium ad Melam, II. vii. 143. Promontoria, quæ longissime in mare procurrunt, bene dicuntur *prima* insulæ. Vidit hoc et Krebsius.

482. *Ityn* Terei et Procnes filius a matre occisus et patri appositus; Metam. vi. 620 sqq. Mater vocatur *ales*, quia in hirundinem mutata; ibid. 667. In seqq. *Perque vices—perit* ludit ingenium Ovidianum. *Ciet*, exclamat; Livius, xlv. 38: *triumphum nomine ciere*, exclamare Io triumphe! *Perit* nomen, quod non auditur. *Si qua*, an qua.

489—494. Etiam in hymno Homerico 48. errat *αἰθομένας δαΐδας* tenens, easque *λαμπάδας* apud Diodor. Sicul. v. p. 288. quoque *ἐκ τῶν κατὰ τὴν Αἰτνην κρατήρων* accendit, et apud Cicer. dicto loco, *iis ignibus, qui ex Ætnæ vertice erumpunt*. Hinc *tæda* in Cereris sacris adhibebatur; etenim multi ritus memoriam facti alicujus, mimice illud exhibendo, servabant. De *Typhoeo*, monstro immani, Jovis fulmine vulnerato, et Ætna monte obruto vide ad Metam. iii. 303; v. 321. 348. Paulo ante *canum* non satis commode mentio facta. Cum altero *color unus*, etc. comparari potest Virgilii Æn. vi. 272: *rebus nox abstulit atra colorem*.

Est specus exesi structura pumicis asper;
Non homini regio, non adeunda feræ.
Quo simul ac venit, frenatos curribus angues
Jungit; et æquoreas sicca pererrat aquas.
Effugit et Syrtes, et te, Zanclæa Charybdi;
Et vos, Nisæi, naufraga monstra, canes;
Adriacumque patens late, bimaremque Corinthon.
Sic venit ad portus, Attica terra, tuos.
Hic primum sedit gelido mœstissima saxo:
Illud Cecropidæ nunc quoque triste vocant.
Sub Jove duravit multis immota diebus,
Et lunæ patiens, et pluvialis aquæ.
Fors sua cuique loco est: quo nunc Cerealis Eleu-
Dicitur hoc Celei rura fuisse senis. [sin,

495—498. De *anguibus* vel alatis, vel non alatis, quibus Ceres vehebatur, dictum ad Met. v. 642: vide et Voss. in Epist. mythol. ii. p. 123. Apud cæteros auctores iis non utitur in quærenda filia; at nunc *specus* inaccessus et mare locum dant iis adhibendis. *Pumex*, omnis lapis aut rupes excavata; unde poetis etiam saxa sic dicuntur, quibus Deorum Nympharumque antra constructa, etiam saxa erosa in ædificiis ad imaginem specus arte reddendam; Plinius, xxxvi. 21. *Exesus* solemne in hac re; Virgil. Georg. iv. 418: "Est specus ingens Exesi latere in montis."

499. De *Syrtibus* ad Metam. viii. 120; de *Charybdi* et *Scylla* ad vii. 63. dictum. Scyllæi nunc vocantur *Nisæi*, quia Scylla Nisi filia; ibid. viii. initio. *Naufraga*, ad quæ naufragia fiunt. De *bimari* Corintho ad Metam. v. 407.

502. Errantem Cererem in *Atticam*, in Eleusinios quidem agros venisse, in eo consentiunt quos supra laudavi, scriptores. Quamquam et alii populi Cereris adventum, sationisque principium ad se trahebant, Argivi, Arcades, Siculi. Prope Eleusinem consedit in *saxo* sub olea juxta puteum mœstissima. Saxum Cecropidæ vocarunt Ἀγέλαστον, (Apollod. Hesych.) quod Noster *triste* interpretatus est. Ad puteum, haud dubie eumdem, postea mulieres chorum instituerunt, dixeruntque Καλλίχορον; vide Ilgen. ad hymn. Homeric. ver. 99.

507. A *Metanira*, *Celei* uxore, excipitur etiam in hymno Homerico, 105 sqq. præeunte Pampho (Paus. i. 39.) et apud Apollodorum. Alii, ut Hyginus, Eleusinum regem substituunt. Etiam Celeum cæteri faciunt regem, Noster rusticum. Secundum Arnobium, Eleusinum agrum tum Triptolemus, Dysaules, Eubuleus et Eumolpus incoluerunt, quorum primus boum jugator, alter caprarius, tertius porcorum custos, quartus opilio fuerit. In hymno Homer. ver. 153 sq. Triptolemus, Dioclus, Polyxemus, Eumolpus, Dolichus et Celeus, proceres terræ, nominantur. *Fors* ad vicissitudines

Ille domum glandes, excussaque mora rubetis
  Portat, et arsuris arida ligna focis.
Filia parva duas redigebat rupe capellas;
  Et tener in cunis filius æger erat.
Mater, ait virgo, mota est Dea nomine matris,
  Quid facis in solis incomitata jugis?
Restitit et senior, quamvis onus urget; et orat,
  Tecta suæ subeat quantulacumque casæ.
Illa negat; simularat anum, mitraque capillos
  Presserat; instanti talia dicta refert:
Sospes eas, semperque parens; mihi filia rapta est.
  Heu! melior quanto sors tua sorte mea!
Dixit: et, ut lacrymæ, neque enim lacrymare Deo-
  Decidit in tepidos lucida gutta sinus; [rum est,
Flent pariter, molles animi, virgoque, senexque.
  E quibus hæc justi verba fuere senis:

rerum referenda. *Eleusinem* urbem Eleusin heros condidit, cujus ætas incerta erat; Pausanias, Attic. p. 93. *Quo—hoc* scilicet loco. *Glandes;* vide ver. 399. *Excutere* omnino demere, amovere; Fast. v. 215: *foliis excussa pruina,* nempe radiis solis.

513 sqq. Hæc omnia aliter, sed perquam jucunde priscæque ætatis moribus convenienter in hymn. Homer. 105 sqq. narrantur. Ibi a Celei filiabus ad Metaniram matrem Dea deducitur, ejusque filiolum unicum Demophonta educandum et alendum recipit; sic et Apollodorus. *Juga* in agro Eleusino me offendunt. Recepit hoc nomen Heinsius ex Vossiano et nonnullis aliis; cæteri *locis,* quod præferendum videtur. Etiam Metam. vii. 819. *loca sola.*

517. *Simularat anum.*] In hymno Homerico sedet γρηῒ παλαιγενεῖ ἐναλίγκιος. Sic et apud Pamphum; sed apud Hyginum nutricem lactantem simulavit. De *mitra,* vetularum insigni, ad iii. 669. *Presserat,* texerat. *Semper parens,* nunquam amittas liberos.

521. *Neque lacrymare,* etc.] Confer Metam. ii. 622. Alibi in luctu Deorum lacrymis substituuntur gemitus, hoc loco *lucida gutta. Molles animi.* Homines ut interdum *corpora,* sic et *animi* dicuntur; i. 297: *felices animi.* Male Taubner. hoc loco *animi* pro genitivo haberi volebat, quemadmodum *dubius animi* legitur. *Flent pariter;* vis sympathiæ. *Justus,* frequens epitheton senis; Heroid. i. 29; Metam. viii. 704. *Sic tibi,* etc. Precor te per salutem filiæ raptæ, ut surgas. *Sic* ponitur ita in obtestationibus, quibus alteri quo fortius eum impellamus ad aliquid faciendum, grata quædam precamur; Tibullus, II. v. 121: "Adnue; sic tibi sint intonsi, Phœbe, capilli." Celeus igitur et graviter et humaniter urget Cererem.

Sic tibi, quam raptam quereris, sit filia sospes:
  Surge; nec exiguæ despice tecta casæ.
Cui Dea; Duc, inquit; scisti, qua cogere posses.
  Seque levat saxo, subsequiturque senem.
Dux comiti narrat, quam sit sibi filius æger;
  Nec capiat somnos, invigiletque malis.
Illa soporiferum, parvos initura penates,
  Colligit agresti lene papaver humo.
Dum legit, oblito fertur gustasse palato,
  Longamque imprudens exsoluisse famem.
Quæ quia principio posuit jejunia noctis,
  Tempus habent mystæ sidera visa cibi.
Limen ut intravit, luctus videt omnia plena:
  Jam spes in puero nulla salutis erat.
Matre salutata, mater Metanira vocatur,
  Jungere dignata est os puerile suo.
Pallor abit, subitæque vigent in corpore vires:
  Tantus cœlesti venit ab ore vigor!
Tota domus læta est: hoc est, materque, paterque,
  Nataque: tres illi tota fuere domus.
Mox epulas ponunt, liquefacta coagula lacte,
  Pomaque, et in teneris aurea mella favis.
Abstinet alma Ceres, somnique papavera causas
  Dat tibi cum tepido lacte bibenda, puer.

531—536. De jejunio diuturno Cereris in illo errore consentiunt veteres. In hymno Homerico primum respuit cibos Metaniræ delicatiores; tum ver. 210. cinnum (Γλήχωνα) bibit. Similiter fere Met. v. 450. et Arnob. dicto loco, qui e Clemente addit, in Mystarum symbolis fuisse, *Jejunavi atque ebibi cyceonem.* Apud Servium ad Georg. i. 212. *papavera* sumit ad oblivionem doloris. *Mystæ*, initiati mysteriis minoribus, quæ in honorem Proserpinæ celebrabantur. Ab iis diversi *Epoptæ*, initiati mysteriis majoribus in honorem Cereris; vid. Meursius de Eleusiniis, item Fisch. in indice Æsch. ad vocem μυεῖσθαι.

545. De *coagulis* consule notam ad Met. xiii. 830. Ea sumenda dilui solebant lacte.

547. Ceres puerum, quum immortalem reddere vellet, noctu in igne

Noctis erat medium, placidique silentia somni;
Triptolemum gremio sustulit illa suo:
Terque manu permulsit eum; tria carmina dixit,
Carmina mortali non referenda sono:
Inque foco pueri corpus vivente favilla
Obruit, humanum purget ut ignis onus.
Excutitur somno stulte pia mater; et amens,
Quid facis? exclamat; membraque ab igne rapit.
Cui Dea; Dum non es, dixit, scelerata fuisti,
Irrita materno sunt mea dona metu.
Iste quidem mortalis erit; sed primus arabit,
Et seret, et culta præmia tollet humo.
Dixit: et egrediens nubem trahit, inque dracones
Transit, et aligero tollitur axe Ceres.
Sunion expositum, Piræaque tuta recessu
Linquit, et in dextrum quæ jacet ora latus.

posuit, et quod ignis absumserat, id interdiu inungendo corpus ambrosia restituit: sic ille quotidie mirifice crescebat. Mater quum e thalamo suo observans, filium igni impositum videret, ejulavit. Quo facto, Ceres ignem exstinxit, matri stultitiam exprobravit, puero Demophonti, quum immortalem reddere jam non posset, honorem incorruptum promisit, sibique sacra institui jussit. Sic hymn. Homeric. vers. 235—274; sic fere et Apollod. Secundum illum *Triptolemus* æque ac Celeus, fuit incola Atticæ, ver. 155; secundum hunc senior Metaniræ filius. Hunc plurimi arationis et sationis auctorem in Græcia faciebant; hordeum ab eo in agro Rhario satum esse, Pausanias i. 38. narrat. *Carminum*, id est formularum quarumdam, quarum magnus usus erat et in rebus magicis; Met. vii. 137; x. 397. *Mortali*, etc. conf. iii. 323 sq.

557. Hoc oxymoron Ovidius, Metam. iii. 5; ix. 408. sic expressit: "facto pius et sceleratus eodem." Quamquam scelerata *non es*, quia unice amas filium, æque tamen ei nocuisti, ac si eum odisses.

561. Apud Apollodorum, ἑαυτὴν ἐξέφηνε, se exhibuit Deam, idque in hymn. Homerico 275. fecit deposita senectute, resumta forma augusta, odore grato et splendore quodam. Hic *nubem trahit*, id est, attrahit, et incedit circumdata nube. *Inque dracones*, etc. Nube circumdata in currum transit, cui dracones juncti. De sacris ei jam ab Eleusiniis institutis, de quibus hymnus multa habet, Noster nihil tradit, sed catalogum rursus locorum struit, quæ Dea pererraverit; amabat enim tales catalogos.

563. *Sunion* promontorium a portu *Piræeo* xlv. millia passuum abest, (Plinius, iv. 11.) finitque id litus Hellados, quod spectat orientem; Mela, II. iii. 99. *Expositum* fluctibus, pro-

Hinc init Ægæum, quo Cycladas adspicit omnes;
  Ioniumque rapax, Icariumque legit.
Perque urbes Asiæ longum petit Hellespontum;
  Diversumque locis alta pererrat iter.
Nam modo turilegos Arabas, modo despicit Indos,
  Hinc Libys, hinc Meroe, siccaque terra subest.
Nunc adit Hesperios, Rhenum, Rhodanumque, Padumque,
  Teque future parens, Tibri, potentis aquæ.
Quo feror? immensum est erratas dicere terras:
  Præteritus Cereri nullus in orbe locus.
Errat et in cœlo; liquidique immunia ponti
  Alloquitur gelido proxima signa polo:
Parrhasides stellæ; namque omnia nosse potestis,
  Æquoreas nunquam quum subeatis aquas;
Persephonen miseræ natam monstrate parenti.
  Dixerat: huic Helice talia verba refert:

currens in mare. Plenius, Æneid. x. 694: *rupes exposta ponto. Init—legit.* De cursu in aere locutus est, ut de navigatione in mari. *Ionium* sic absolute poni solet. Vide Bentleium ad Horatii Epod. x. 19: non autem hic intelligas mare, quod vulgo *Ionium* dici solet, inter Græciam et Italiam, sed quod *Ioniam*, Asiæ partem alluit, a quo non longe abest *Icarium*. Neque Metam. iv. 534. vulgari sensu legitur. Krebsius hoc loco totum mare intelligit quod inter Græciam, Siciliam, Phœnicen et Ægyptum patet. Immo angustiore sensu capi debet, quippe positum inter *Ægæum* et *Icarium*. *Diversum locis iter*, diversa loca.

570. *Meroe*, insula Æthiopum, quam Nilus facit; Mela, I. ix. 10: "Nilus, quum diu simplex sævusque descendit, circa Meroen late patentem insulam in Æthiopiam diffunditur." Adde III. ix. init. *Hesperios* sive occidentales fluvios; sic etiam Met. ii. 259. conjungit, ubi addit: "cuique fuit rerum promissa potentia, Thybrin."

575. Etiam Met. xiii. 293. *immunem æquoris Arcton*. Jam Homerus, Il. Z. 489: Οἵη δ' ἄμμορός ἐστι λοετρῶν Ὠκεανοῖο. In Ursam majorem Callisto mutata, Lycaonis Arcadis filia; Arcadia autem olim *Parrhasia* dicta. *Namque;* etiam Homerus et Virgilius post appellationem ope particularum γάρ et *namque* rationem eorum quæ secutura sunt, præmittunt. Vide Ernest. ad Od. M. 320; Heynium ad Æneid. i. 731.

580. De *Helice* dictum ad iii. 108. In hymno Homerico, Ceres decimo erroris die primum ex Hecate, lunam tenente, de filia quærit; tum, quum

Crimine nox vacua est: Solem de virgine rapta
Consule, qui late facta diurna videt.
Sol aditus; Quam quæris, ait, ne vana labores,
Nupta Jovis fratri tertia regna tenet.
Questa diu secum, sic est affata Tonantem; 585
Maximaque in vultu signa dolentis erant;
Si memor es, de quo mihi sit Proserpina nata:
Dimidium curæ debet habere tuæ.
Orbe pererrato, sola est injuria facti
Cognita: commissi præmia raptor habet. 590
At neque Persephone digna est prædone marito,
Nec gener hoc nobis more parandus erat.
Quid gravius victore Gyge captiva tulissem,
Quam nunc, te cœli sceptra tenente, tuli?
Verum impune ferat; nos hæc patiamur inultæ:
Reddat, et emendet facta priora novis. 596
Jupiter hanc lenit, factumque excusat amore;
Nec gener est nobis ille pudendus, ait.

illa rem ignoraret, ver. 62. ad *Solem* contendit: *θεῶν σκοπὸν ἠδὲ καὶ ἀνδρῶν*; Metam. v. 487 sqq. ex Arethusa raptum discit; apud Apollodorum ex Hermionensibus. Adeo hæc variata sunt. *Qui late*, etc. Sol *πανδέρκης*. Codex Bononiens. *furta diurna*, quod Burmanno valde placet; altera lectio latiorem habet sententiam. Hymno Homerico 69. Ceres Solem ita alloquitur: *Σὺ γὰρ δὴ πᾶσαν ἐπὶ χθόνα καὶ κατὰ πόντον Αἰθέρος ἐκ δίης καταδέρκεαι ἀκτίνεσσι*. Raptum Sol ita indicat, ut fomentum matri dolenti adferat: *Nupta Jovis fratri*, etc.

585. Confer cum oratione seq. Metam. v. 512 sqq. quæ ei simillima. Ibi stat ante Jovem *toto nubila vultu*, et *passis invidiosa capillis*, rogatque, *neu sit tibi cura vilior illius*.

593. *Gyges* unus ex Centimanis; Hesiodus, Theog. 149; Apollodor. i. 1. Sed hoc loco inter Gigantas relatus est, qui cum Jove de imperio certarunt. Magna igitur vis et plurimum acerbitatis est in hac comparatione. Scaliger malebat hoc loco *Gye*, sine causa. Vide Heinsium ad Amor. II. i. 12; Bentleium ad Horatii II. Od. xvii. 14; Munker. ad Hyginum. p. 2.

598. Hymn. Homerico, 83. Sol Cererem sic solatur: *οὔτοι ἀεικὴς Γαμβρὸς ἐν ἀθανάτοις πολυσημάντωρ Ἀϊδωνεύς*. *Non ego nobilior*. Se cum uno Plutone comparare debebat; sed placuit obiter et alterum fratrem addere. *Inane*, in quo inanes umbræ; Metam. iv. 509; *inania regna Ditis* ex Virgilio, Æneid. vi. 269.

Non ego nobilior: posita est mihi regia cœlo;
  Possidet alter aquas; alter inane chaos.
Sed si forte tibi non est mutabile pectus,
  Statque semel juncti rumpere vincla tori,
Hoc quoque tentemus, siquidem jejuna remansit:
  Sin minus; inferni conjugis uxor erit.
Tartara jussus adit sumtis Caducifer alis;
  Speque redit citius, visaque certa refert.
Rapta tribus, dixit, solvit jejunia granis,
  Punica quæ lento cortice poma tegunt.
Haud secus indoluit, quam si modo rapta fuisset
  Mœsta parens; longa vixque refecta mora est.
Atque ita, Nec nobis cœlum est habitabile, dixit;
  Tænaria recipi me quoque valle jube.
Et factura fuit; pactus nisi Jupiter esset,
  Bis tribus ut cœlo mensibus illa foret.
Tum demum vultusque Ceres, animumque recepit;
  Imposuitque suæ spicea serta comæ.

603. Metam. dicto loco additur: *nam sic Parcarum fœdere cautum.* Erat lex fatorum, ut nemini ab inferis redire liceret, qui ibi aliquid gustasset. Pluto igitur Proserpinam prius, quam dimitteret, granum punicei mali, *ῥοιῆς κόκκον*, edendum dedit; hymn. Homer. 335; 371—412; Apollodorus, dicto loco. Sed Metam. dicto loco, Proserpina ambulans sponte septem grana comedit. Eam autem ob causam Thesmophoriazusæ abstinebant a malis puniceis. Cæterum ejus generis arbores etiam Homerus, Od. λ. 589. apud inferos finxit. *Caducifer* in hymno Homer. ver. 335. in Erebum mittitur, ut Plutonem deliniat, Proserpinamque inde reducat.

611. Taubnerus sic distingui vult, *Atque, Ita nec nobis*, etc. Sed *atque ita* nunc quoque potest esse, quo facto, tum, ut sæpe. *Non habitabile*, obstinatum mihi est non amplius habitare in cœlo; hymn. Homer. 331: *Οὐ μὲν γάρ ποτε φάσκε θυώδεος Οὐλύμποιο πρὶν γ' ἐπιβήσεσθαι, πρὶν γ' ἴδοι ὀφθαλμοισιν ἑὴν ἐνώπιδα κούρην.* *Pactus esset*, promisisset. Perdidisset Ceres totum genus humanum, nisi *Jupiter* succurrisset. Is, quum frustra Deos deinceps omnes Eleusinem misisset ad Deam arcessendam, tandem per Rheam ei offert conditionem hanc, ut filia tertiam cujusque anni partem cum Plutone sit, duas reliquas cum matre in cœlo; hymn. Homer. 305 sqq. 445; sic et Apollod. Sed *bis tribus mensibus* est etiam Metam. dicto loco, et Hygino, fab. 146.

615. Mater, filia recepta, *ἦΐξε, ἠΰτε μαινὰς ὄρος κάτα δάσκιον ὕλης*, nec filiæ gaudium minus; hymn. 385 sqq.

Largaque provenit cessatis messis in arvis;
Et vix congestas area cepit opes.
Alba decent Cererem; vestes Cerealibus albas
Sumite: nunc pulli velleris usus abest.
Occupat Apriles Idus cognomine Victor
Jupiter: hac illi sunt data templa die.
Hac quoque, ni fallor, populo dignissima nostro
Atria Libertas cœpit habere sua.
Luce secutura tutos pete, navita, portus:
Ventus ab occasu grandine mixtus erit.

Cessatis in arvis, nam antea apud Siculos, perfregerat aratra, occiderat colonos cum bubus, arva jusserat fallere depositum, seminaque vitiaverat, ut fertilitas cassa jaceret; Metam. v. 476; conf. hymn. Homer. 305. *Alba decent*, etc. Causam poeta ipse v. 357. reddit, *quia maturis albescit messis aristis*. De matura segete Met. i. 110. *canere;* alibi fere *flavescere;* verba colorum a veteribus satis vage usurpantur. *Nunc pulli velleris*, etc. Itaque in luctu publico sacra Cereris Romæ intermittebantur, quia lugentes matronas iis interesse nefas habebatur: Livius, xxii. 56; xxxiv. 6; vide Spanhem. ad Callimachum Cer. 18.

621—624. *Idibus Jovi Victori templum, et Libertati atria data. Victori* anno 457. Q. Fabius Maximus antequam ad castra Samnitium pergeret, ædem vovit; Livius, x. 29. *Libertatis ædem* Tiberii Gracchi, qui tempore belli Punici secundi vixit, pater in monte Aventino faciendam curavit dedicavitque; Livius, xxiv. 26. Quod forte factum circa annum 515. quo ille consulatu functus est. *Atrium Libertatis* anno u. c. 559. a Pæto et Cornelio Cethego censoribus refectum est; Livius, xxxiv. 44. In eo erant tabellæ publicæ, certe Tib. Gracchi tempore; Livius, xliii. 16. Etiam Asinius Pollio *atrium Libertatis exstruxisse* a Suetonio August. 29. narratur, quod haud dubie ad instaurationem ejus et exornationem referendum.

625—628. *Die* xiv. *Aprilis, grando. Eodem die Antonius victus ad Mutinam.* Etiam Columella, xi. 2: xviii. *Kalend. Maii ventosa tempestas et imbres, nec hoc constanter.*

Mutinensia arma. Antonius, quum Decimum Brutum *Mutinæ* obsideret, a senatu, Cicerone inprimis auctore, hostis patriæ judicatus est, missique sunt contra eum ann. u. c. 710. Hirtius et Pansa coss. atque Octavianus *Cæsar* proprætor. Priori prœlio Pansa vulneratus est, posteriori Hirtius eodem die fortiter pugnans cecidit: quo facto quum Octavianus victoria uti vel nesciret, vel nollet, Antonius ad Ligures elapsus est; Appianus de Bell. Civ. iii. 50 sqq.; Dio Cassius, xlvi. 39 sqq. Nimis igitur poeta Cæsarem laudat, quum eum *contudisse arma Mutinensia* ait. Bene autem hanc victoriam cum tempestate illius diei conjunxit verbis *Sit licet et fuerit*, sit ita, ut eo die interdum grando cadat, *et fuerit* ita et olim. *Militia*, monente Burmanno vel expeditione sua, vel militibus suis; sed de die restat aliqua difficultas. Galba

Sit licet et fuerit, tamen hac Mutinensia Cæsar
Grandine militia contudit arma sua.
Tertia post Veneris quum lux surrexerit Idus,
Pontifices forda sacra litate bove.
Forda ferens bos est, fecundaque, dicta ferendo:
Hinc etiam fetus nomen habere putant.
Nunc gravidum pecus est; gravidæ nunc semine
Telluri plenæ victima plena datur. [terræ:
Pars cadit arce Jovis: ter denas Curia vaccas
Accipit; et largo sparsa cruore madet.
Ast ubi visceribus vitulos rapuere ministri,
Sectaque fumosis exta dedere focis,
Igne cremat vitulos, quæ natu maxima, Virgo;
Luce Palis populos purget ut ille cinis.

enim apud Ciceronem ad Div. x. 30. prius prœlium xviii. Kal. Maii commissum scribit. Itaque aut erravit Ovidius aut, quod et Gesenius monuit, apud Ciceronem numerus corruptus est.

629—672. *Die* xv. *Apr. Fordicidia.* Hic nomen explicat, sacra ipsa describit, originemque eorum repetit inde a Numa. *Forda bos*, vacca prægnans. Festus: "Fordicidiis boves fordæ, id est gravidæ, immolabantur, dictæ a fetu." Varro de Ling. Lat. v: "Fordicidia a fordis bubus. Bos forda, quæ fert in ventre." Glossæ *fordas* explicant ἐγκυμονούσας, et *fordicidia θυσίας ἐγκύμονος βοός*. De vaccis peculiariter hoc vocab. dictum monet Bentleius ad Horatium, III. Od. 27; Festus et Varro de Re Rust. ii. 5. scribunt et *horda* atque *hordicidia*; vide omnino Schneider. ad Varronis dictum locum. *Litare*, grato sacrificio satisfacere Diis, placare Deos. Negat quidem Servius, *litare sacra* recte dici; sed vide Schwarz. ad Plinium, pan. lii. 3. *Ferens* nempe in utero. Ab antiquo *feo* putant fluxisse vocabula *fero*, *fetus*, *fecundus*, *fordus*. Vir doctus in Ephem. Heidelb. d. l. voc. *fordus* deducit a Græco, *φοράς*, *φοράδος*, laudatque in eam rem Vossii Etymol.

633. Tempori accommodatum hoc sacrum. *Tellus* cur hic commemoretur e ver. 665. patet; adde i. 671—674. Hostia ei propria erat sus prægnans; Macrobius, i. Sat. 12. *Plenæ*, gravidæ seminibus, *plena*, gravida, victima datur. *Arx Jovis*, delubrum Jovis in Capitolio; vi. 18; vide ad i. 85; ii. 70. *Curia*, Varro de Ling. Lat. v: "Ea die publice immolantur boves prægnantes in curiis complures." Erant autem Romæ, quod constat, curiæ triginta. *Ministri*, victimarii, ut ver. 413. *Rapuere*, quia celerrime ea res peragebatur. *Natu maxima Virgo*, eadem dignitate maxima erat, unde a Plinio, IV. Epist. ii. 6. *maxima vestalis* vocatur; ubi vide notam nostram. *Luce Palis*, Palilibus, de quibus mox ver. 721 sqq. *Purgare*, expiare lustrando. De *purgaminibus* ii. 35. In iis *cinis* etiam apud alios populos. Vide Spencer. de legibus ritualibus Hebr. tom. ii. p. 77.

Rege Numa, fructu non respondente labori,
  Irrita decepti vota colentis erant.
Nam modo siccus erat gelidis aquilonibus annus;
  Nunc ager assidua luxuriabat aqua.
Sæpe Ceres primis dominum fallebat in herbis;
  Et levis obsesso stabat avena solo:
Et pecus ante diem partus edebat acerbos;
  Agnaque nascendo sæpe necabat ovem.
Silva vetus, nullaque diu violata securi,
  Stabat, Mænalio sacra relicta Deo.
Ille dabat tacitis animo responsa quieto
  Noctibus: hic geminas rex Numa mactat oves.
Prima cadit Fauno; leni cadit altera Somno:
  Sternitur in duro vellus utrumque solo.

644. *Ager assidua luxuriabat aqua* posset esse, ob aquam assiduam segetes oneratæ fertilitate procumbebant; Plinius, XVIII. xliv. 2. Verum huic malo succurri potuisset depascendo; Virgil. Georg. i. 112. Ergo *luxuriare aqua*, nimia aquæ copia laborare: *luxuries* omne nimium; Plinius, ix. 1. *humoris luxuria*. Quæ sic plenam messem pollicebantur, ea cœli humore degenerabant in *avenam* folliculis vacuis; Plinius, XVIII. xvii. 1. De *avena* illa *levi* aut inani vide intt. ad Virgilium, Georg. i. 154. ubi *infelix lolium* et *steriles avenæ* conjunguntur. *Stabat obsesso solo*, stabat sic, ut omne solum repletum teneret. *Acerbus* a pomis immaturis translatum ad alia immatura, (Nonius, iv. 41.) nunc ad partus immature editos. Sed ita redundare videtur *ante diem*. Possis igitur putare, *acerbos* dictum pro *acerbe*, cujus explicationem in versu sequenti *necabat* habeat. Malim tamen partus pecori dolores adferentes intelligere.

649. Locus sq. pendet a Virgilio, Æn. vii. 81 sqq. ubi prope Albuneam lucus, in quo Fauni fatidici oraculum, a quo gentes Italæ dubiis in rebus responsa petebant, ita quidem, ut cæsis ovibus sub nocte silenti, pellibus incubarent stratis, somniaque exspectarent. De ea re verbum proprium *incubare*, ἐγκοιμᾶσθαι. *Silvam sacram*, ut hic, sic etiam Met. iii. 28. circumloquitur; vide ibi notam. *Mænalius Deus*, Faunus, quem passim poetæ Latini cum Pane, Deo Arcadum, confundunt. De *Fauno* autem vide iii. 84 et 291 sqq. quo loco et ipse Numa ei sacra facit. *Animo quieto* dativo casu, animis quiescentibus, in somnis. *Somno* etiam Romanos sacra fecisse, hinc videmus. Nunc Numa facit, quia in somnis oraculum exspectabat.

654—660. Qui somnia exspectabant, ita se præparare solebant, ut abstinerent ab omnibus, quæ ventrem gravare, sanguinis motum accelerare, atque phantasiam excitare possent, a Venere, ab usu carnium, tum ut aqua viva se lavarent. Vide Potteri Archæol. i. pag. 682. edit. Ramb. De *fontana aqua* vide ad ver. 778. *Intonsum*, quia tum nondum tonderi

Bis caput intonsum fontana spargitur unda;
  Bis sua faginea tempora fronde premit.
Usus abest Veneris: nec fas animalia mensis
  Ponere; nec digitis annulus ullus inest.
Veste rudi tectus supra nova vellera corpus
  Ponit, adorato per sua verba Deo.
Interea placidam redimita papavere frontem
  Nox venit, et secum somnia nigra trahit.
Faunus adest; oviumque premens pede vellera duro,
  Edidit a dextro talia dicta toro:
Morte boum tibi, rex, Tellus placanda duarum;
  Det sacris animas una necata duas.
Excutitur terrore quies; Numa visa revolvit;
  Et secum ambages cæcaque jussa refert.
Expedit errantem nemori gratissima conjux;
  Et dixit, Gravidæ posceris exta bovis.

solebant Romani; ii. 30; *intonsus Numa* est vi. 264. *Fago* religio quædam erat; Plinius, xvi. 14; Festus "Fagutal, sacellum Jovis, in quo fuit fagus arbor, quæ Jovi sacra." *Digitis annulus.* Nempe incubantes soluti esse debebant omni vinculo cinctus, calceorum, annulorum. *Rudis*, e lana rudi contexta vestis nocturna. *Nova*, recentia. *Sua verba*, solemnia in tali re; ii. 542.

661. Plenius Noctis adventum describit Tibullus, II. i. 87. ubi in ejus comitatu *incerto Somnia nigra pede.* Μελανοπτέρυγες ὄνειροι sunt apud Euripidem, Hec. 71. Sed nunc Somniorum usus nullus, quandoquidem Faunus ipse responsa dabat. *Papaver*, nigrum inprimis, quia vim soporificandi habet, Somno tribuebatur; Met. xi. 605; Sil. Italicus, x. 353; Statius, Theb. ii. 143; ergo et *Nocti.* Non autem nunc illud effundit e cornu, sed frontem eo redimitam habet. *Trahit* bene de comitatu; Met. i. 219. "traherent quum sera crepuscula noctem."

663. *Durum* Gesenius interpretatur corneum. Talis pes sane Fauno dabatur, quando confundebatur cum Pane, ut ii. 361. Sed et pes humanus, quo premimus, calcamus aliquid, *durus* dici solet, ut Metam. ii. 852. Similiter Metam. xii. 140. "genibusque premens præcordia duris." *A dextro*, quia propitius monet, quid agendum sit.

668. *Ambages* et *cæca jussa*, obscurum responsum; Metam. i. 388. "cæcis obscura latebris verba datæ sortis." *Errare* sæpe est fluctuare, dubitare. Dubitans *expeditur*, quum certior redditur, edocetur. Sæpe autem oraculorum ambages interprete indigebant. *Conjugis* Egeriæ ope Numa etiam iii. 275. sqq. utitur. *Annus*, proventus annuus; vide Schwarz. ad Plin. Pan. xxix. 3.

Exta bovis dantur gravidæ: felicior annus
Provenit, et fructum terra pecusque ferunt.
Hanc quondam Cytherea diem properantius ire
Jussit, et ætherios præcipitavit equos;
Ut titulum imperii quam primum luce sequenti
Augusto juveni prospera bella darent.
Sed jam præteritas quartus tibi Lucifer Idus
Respicit: hac Hyades Dorida nocte petunt.
Tertia post Hyadas quum lux erit orta remotas,
Carcere partitos circus habebit equos.

673—676. *Die* xv. *Aprilis, Augustus Imperator dictus.* De triplici sensu vocis *Imperator* vide Casaub. ad Suetonium Cæsar. 76. Ob res feliciter gestas numerumque hostium occisorum lege definitum Augustus semel et vicies a victore exercitu Imperator salutatus est; Tacitus, An. i. 9: sed Julius Cæsar primus cæpit hoc nomen, ut prænomen, ita sibi arrogare, ut eamdem, quam *αὐτοκράτωρ* et *κύριος*, vim haberet, summumque imperium indicaret; Dio, xliii. 22. Hinc etiam Augustus ann. U. C. 724. quum ex Ægypto rediisset, idem prænomen eodem sensu assumsit, atque inde imperii sui annos numeravit; Dio, lii. 41 extr. In honoris lætitiæque illius societatem *Cytherea* in primis venire debebat, a qua gens Julia genus ducebat (supra ver. 20.) quapropter et apud Virgilium, Georg. i. 28. eadem Augusti cœlum intrantis tempora myrto cingit. Qui cupide sollemnia læta exspectat, ei dies antecedens tarde decedere videtur. Eumdem igitur sensum, ut transitus ad sequentia ingeniosus esset, nec vulgaris, poeta Veneri tribuit; quæ vero diem illum *properantius ire* non modo cupit, sed, ut Dea, etiam *jubet.* Quum autem *ætherios equos*, equos Solis, *præcipitat*, festinanter decurrere jubet, Phœbi partes sibi vindicat. *Præcipitare* verbum in hac re solemne, inprimis tamen de occasu, ubi præceps Solis via; Metam. iv. 91. "lux tarde decedere visa, Præcipitatur aquis." Æn. ii. 9: "Nox cœlo præcipitat." Cæterum simile figmentum habemus v. 545. Mox Burmanno ex uno Patav. *titulum imperii, sua præmia*, placet. Immo *quam primum* optime convenit cupiditati Veneris. *Juveni.* Natus tum erat annos triginta tres.

677. *Die* xvii. *Aprilis*, sive *die* xv. *Kalend. Maii Hyades occidunt*; sic et Cæsar Germ. apud Plin. xviii. 26. *Doris*, filia Oceani, conjux Nerei, mater quinquaginta Nympharum; Hesiod. Theog. 240: nunc pro ipso mari, ut *Thetys* alibi.

679—712. *Die* xix. *April. vulpes in Circencibus comburuntur*; cujus rei causam ab hospite cognitam poeta narrat. *Carcere—equos*, in circo decurrunt equi, antea duodecim *carceribus* distenti. *Partitus* passivo sensu. Intelliguntur autem Circenses Cereris pridie Idus, ver. 390. cœpti et ad hunc usque diem continuati, quod etiam Kalendaria docent. *Missæ*, emissæ in circum. *Ferre terga*; vide ad ii. 284.

Cur igitur missæ vinctis ardentia tædis
Terga ferant vulpes, causa docenda mihi.
Frigida Carseolis, nec olivis apta ferendis,
Terra, sed ad segetes ingeniosus ager.
Hac ego Pelignos, natalia rura, petebam,
Parva, sed assiduis humida semper aquis.
Hospitis antiqui solitas intravimus ædes:
Demserat emeritis jam juga Phœbus equis.
Is mihi multa quidem, sed et hæc narrare solebat,
Unde meum præsens instrueretur opus:
Hoc, ait, in campo, campumque ostendit, habebat
Rus breve cum duro parca colona viro.
Ille suam peragebat humum: sive usus aratri,
Sive cavæ falcis, sive bidentis erat.
Hæc modo verrebat stantem tibicine villam;
Nunc matris plumis ova fovenda dabat:

683. Ut rerum graviorum causas a Diis, sic levem hanc fabellam a rustico Carseolano sibi traditam varietatis causa fingit. *Carseoli* ad viam Valeriam, quæ Roma ducebat ad Pelignos. Heins. e conjectura dedit *Carseoli*, ut esset appositio. Etiam in Tuscis "cœlum hieme frigidum et gelidum myrtos et oleas adspernatur ac respuit;" Plinius, V. Ep. vi. 4. *Ingenium* sæpe de natura et indole cujuscumque rei; nunc tamen nove *ingeniosus*, natura sua aptus, *ad segetes* ferendas. Cæterum hæc terræ Carseolanæ notatio nihil ad rem pertinet, obiter tantum adjecta est. Quod valet etiam de *Pelignis*, qui sic ab aquarum salubritate et copia et alibi commendantur, ut Amor. II. xvi. 1: "Pars me Sulmo tenet Peligni tertia ruris, Parva, sed irriguis ora salubris aquis." Adde Amor. III. xv. 11.

687. *Solitas* bene se habet, causam enim continet, cur nunc intraverit. *Emeriti*, qui cursum diurnum absolverunt: conf. iii. 43. *Multa quidem, sed et hæc;* Græco more, cum multa, tum hæc. *Instrueretur*, exornaretur, augeretur. *Breve*, exiguum. *Durus*, laboribus perferendis adsuetus; Metam. xii. 515. *duri humeri*. Sic *duri* messores, juvenci, etc. Grata sequitur imago diligentis et coloni et colonæ. *Peragere humum* mihi non satis placet; codd. tamen nihil varietatis suppeditant. *Sive usus*, etc. ita ut nunc aratro uteretur, nunc falce. *Falcis* usus erat etiam ad premendas umbras ruris opaci; Virgil. Georg. i. 155 sqq.; unde apparet, describi hic diligentissimum colonum. *Bidens*, rastrum duobus dentibus, quo glebæ confringebantur.

695. *Tibicines;* rectæ in ædificiis trabes, quibus tecta ruinam minitantia sustinentur; vide Neap. viii. Met. 700. *furcæ* dicuntur. *Malvæ* in cibis rusticis etiam Horat. Epod. 58: "gra-

Aut virides malvas, aut fungos colligit albos;
Aut humilem grato calfacit igne focum.
Et tamen assiduis exercet brachia telis;
Adversumque minas frigoris arma parat.
Filius hujus erat primo lascivus in ævo;
Addideratque annos ad duo lustra duos.
Is capit extremi vulpem sub valle salicti:
Abstulerat multas illa cohortis aves;
Captivam stipula fœnoque involvit, et ignes
Admovet: urentes effugit illa manus.
Qua fugit, incendit vestitos messibus agros;
Damnosis vires ignibus aura dabat.
Factum abiit; monumenta manent: nam vivere
Nunc quoque lex vulpem Carseolana vetat.
Utque luat pœnas gens hæc, Cerealibus ardet;
Quoque modo segetes perdidit, ipsa perit.
Postera quum veniet, terras visura patentes,
Memnonis in roseis lutea mater equis:
E duce lanigeri pecoris, qui prodidit Hellen,
Sol abit: egresso victima major adest.

vi malvæ salubres corpori," ubi rustica "Sacrum vetustis exstruit lignis focum Lassi sub adventum viri." *Exercet*, occupata tenet. Ut hic lanifica, sic Metam. xv. 471. ovis "horriferum contra Borean arma ministrat."

703. *Extremi—salicti*, in extrema vallis parte salicto obsita. *Cohors*, cors. Varr. de Re Rustica, iii. 3.: *in plano cohors, in qua pascebantur gallinæ*. Gallinæ nunc *aves* dicuntur ut ὄρνιθες Græcis.

709. Facti illius diu præteriti *monumenta manent*. *Monumenta* autem legem intelligit, cui factum originem dedit, quæque adeo memoriam ejus servat.

713—720. XII. *Kalend. Maias* sive die xx. April. *Sol ex Ariete in Taurum transit*, quod Gassendus pridie fieri docet. Aurora etiam Metam. xiii. 579. *Memnonis lutea mater*, et passim, ut Met. vii. 703. *luteu*, scilic. crocea, vocatur a *luto*, herbæ genere, cujus succo flavæ inficiuntur vestes. Tum *in roseis fulgebat lutea bigis* etiam Æneid. vii. 26. Respectu siderum despectantium *terræ* recte *patentes* dicuntur. *Arietis* signum descripsit ex mytho, quem iii. 867 sqq. habes; sed quum *Tauri* sidus *victimam majorem* vocat, quia taurus animal in victimis majoribus est, argutatur.

Vacca sit, an taurus, non est cognoscere promtum:
Pars prior apparet: posteriora latent.
Seu tamen est taurus, sive est hoc femina signum,
Junone invita munus amoris habet.
Nox abiit, oriturque Aurora: Palilia poscor.
Non poscor frustra, si favet alma Pales;
Alma Pales, faveas pastoria sacra canenti,
Prosequor officio si tua festa pio.
Certe ego de vitulo cinerem, stipulasque fabales,
Sæpe tuli plena, februa casta, manu.

717. Tauri signum, ut hodie, ita et olim sic pingebatur, ut priores tantum ejus partes expressæ apparerent. Putabant veteres hoc ideo fieri, quia sexus ejus incertus esset, quum alii Io vaccam, alii taurum, qui Europam in Cretam transvexerit, inter sidera relatum existimarent: Eratosthius, cap. 18.; Hygin. Poet. Astr. ii. 21. Hoc igitur et Ovidius secutus est tam hic, quam v. 619 sq. ubi hujus sideris origo narratur; utrumque autem animal et Jovis *amori* inservierat, et *muneris* causa, *Junone invita*, in cœlo collocatum dici poterat.

721—806. XI. *Kal. Maias Palilia. Pales*, Dea antiquissima pastorum, quamquam nonnulli masculini generis ministrum Jovis ac villicum intelligi malebant; Arnobius adv. Gentes, lib. iii. p. 123; Servius ad Virgilium, Ecl. v. 35. Ejus sacra et *Palilia* dicebantur, et *Parilia* vel a partu Iliæ, vel quod eo tempore arbores et herbæ parturiunt, pariuntque, vel denique per mutationem literarum. Vid. Charisius, lib. i.; Victorin. in Arte Gram. lib. i.; Probus ad Virgilium, Georg. iii. 1.; quorum verba Brouckhusius ad Propertium, IV. iv. 71. dedit. Apud scriptores veteres utraque scriptura occurrit. At si Ovidius *Parilia* dedisset, sine dubio aliquid de hoc etymo addidisset. Eorum ipsorum sacrorum (sive ante jam receptorum, sive tunc primum institutorum) die, Romulus urbi condendæ manum admovit. Id diserte tradunt Dionysius Halicarn. i. 88; Plutarchus, Rom. 12. Hic itaque dies, Romanis simul Natalis patriæ, γενέθλιον τῆς πατρίδος, summa religione lætitiaque celebrabatur. Non mirum igitur videri debet, Ovidium in his sacris canendis esse satis longum.

721. *Poscor*, ordo rerum jubet me Palilia canere. *Posci* verbum solemne de iis, qui canere aut dicere jubentur; Met. v. 333. *Poscimur Aonides;* Horatius, I. Od. xxxii. 1. ad lyram, *Poscimur;* vide ibi Bentleium. *Non poscor frustra*, idoneus sum iis canendis. Pro *pastoria* alii *pastorum*; Tibullus, dicto loco, ver. 87: "Sua festa Palilia pastor Concinet." Porro multi habent, *persequor officio*. Quoniam autem *officia* nunc simul honoris habendi notio inest, propterea *prosequor* præferendum videtur.

725. In precationibus veteres, ut flecterent Deos, pietatis suæ signa commemorare solebant, quod ex Homero, multisque deinceps poetis notum est. Nunc quidem poeta ea signa jactat, quæ ad hæc ipsa sacra pertinent, et in sqq. repetuntur. Voculæ *si* varietatis causa nunc substituit *certe*. De *cinere* illo vituli vide supra

Certe ego transilui positas ter in ordine flammas;
Virgaque roratas laurea misit aquas.
Mota Dea est; operique favet: Navalibus exi,
Puppis; habent ventos jam tua vela suos.
I, pete virginea, populus, suffimen ab ara;
Vesta dabit: Vestæ munere purus eris.
Sanguis equi suffimen erit, vitulique favilla;
Tertia res, duræ culmen inane fabæ.
Pastor, oves saturas ad prima crepuscula lustra:
Unda prius spargat, virgaque verrat humum.

637 sqq.; adhibebatur, ut et *stipulæ fabales* scil. fabalia, suffiminis loco, ver. 733 sqq; sed addit *februa*, piamina, ii. 19. quia illa ipsa suffimenta vim purgandi habebant. Jam Romulus, quum id ageret, ut urbem conderet, ignes ante tentoria accendi, populumque expiationis causa transilire flammas jussit; Dionysius dicto loco. Idem ergo et post tenuit, ut sacris epulisque peractis (ver. 781 sqq.) stipularum et fœni acervi accenderentur transiliendi. Varro: "Palilia tam publica, quam privata sunt. Et est genus hilaritatis et lusus apud rusticos, ut congestis cum fœno stipulis, ignem magnum transiliant, his Palilibus se expiari credentes." *Lauro* autem hunc usum fuisse, quum vis averruncandi ei inesse crederetur, docet Casaub. ad Theophrast. charact. 16. Et ramo lauri adspergere se solebant aqua lustrali; infra v. 677: *Uda fit hinc laurus: lauro spargnntur ab uda.* Quamquam olivæ etiam rami eamdem in rem adhibebantur; Æneid. vi. 229: "Idem ter socios pura circumtulit unda, Spargens rore levi et ramo felicis olivæ." De *roratis aquis* vide ad ver. 778. Pro *spargere* nunc est *mittere*.

729. Hic poeta operam suam cum navigatione rursus comparat; conf. i. 4. et Cerdam ad Virg. Georg. ii. 41.

Suos, secundos, ut *sui Dii* sunt propitii.

731. Suffimina e Vestæ templo et a Vestalibus petebantur, ver. 639. Pro *eris* quidam *abis*, unde Heinsius *abi* conjicit. Melius poeta indicat, quid futurum sit. Pro *purus*, quod frequentissimum in hac re, alii *mundus*, *tutus* aut *totus*. Inde Burmannus male conjicit *lotus*; februis enim, quæ jam nominantur, lavari non solebant. *Sanguis equi*. Neapolis observat, hinc refelli Solinum, qui id servatum tradat: "Ne qua hostia Parilibus cæderetur, ut dies iste a sanguine purus esset." Verum *equus* non eo die cæsus est, sed *sanguis* intel. qui de cauda *equi*, mense octobri in campo Martio Marti immolati, destillaverat, et in Vestæ templo servabatur: vide Festum in *Equus October*. Referunt huc etiam verba Propertii, IV. i. 29: "Annuaque accenso celebrare Palilia fœno, Qualia nunc curto lustra novantur equo." *Culmen* pro culmo. *Inane*, demtis fabis.

735. Lustrabantur et oves et ovilia sub noctem. Etiam in Kalendario vetere hæc lustratio notata. Ritum *verrendi* in omni sacro lustrali usitatum fuisse, Neapolis monet. Et *everræ* purgationes domus dicebantur. *Frondes* et *fixos ramos* posse Lenzius putat umbracula intelligi ante ovilia

Frondibus et fixis decorentur ovilia ramis;
Et tegat ornatas longa corona fores.
Cærulei fiant vivo de sulphure fumi,
Tactaque fumanti sulphure balet ovis.
Ure mares oleas, tædamque, herbasque Sabinas;
Et crepet in mediis laurus adusta focis.
Libaque de milio milii fiscella sequatur;
Rustica præcipue est hoc Dea læta cibo.
Adde dapes mulctramque suas; dapibusque resec-
Silvicolam tepido lacte precare Palen. [tis,

collocata, ex Tibullo, II. v. 97; verum sub umbraculis illis potius discumbebant rustici. *Longæ*, e postibus dependentes, *festons*. *Tegere*, ut *velare*, verbum in hac re proprium.

739. *Sulphuris* usus præcipuus in lustrationibus; Homerus, Od. x. 481; Tibullus, I. v. 11: "Ipseque ter circum lustravi sulphure puro." *Vivum* quid sit sulphur, explicat Plinius, xxxv. 50. ubi quatuor sulphuris genera recenset; "Vivum, quod Græci apyron vocant, nascitur solidum, hoc est gleba. Cætera liquore constant et conficiuntur oleo incocta." Sed Gesenius negat, illud nunc intelligi posse, quia Plinius addat: "Vivo solum ex omnibus generibus medici utuntur;" se igitur, si lectio sana sit, *vivum* capere de celeritate, qua sulphur a flamma corripi soleat, ut *vivacia sulphura* Metam. iii. 374. Hæc vero Plinius ipse dicto loco refellit. Ubi enim mouuit, *vivum sulphur* vitiligines tollere, pergit: "Habet et in religionibus locum ad expiandas suffitu domos." *Sulphur cæruleum* in purgationis descriptione habet Claudianus, xxviii. 325. *Tangere* verbum solemne in hac re, ut Heinsius exemplis docuit; sic et ver. 790.

741. *Oleæ* æque ac lauri usus in purgationibus; Æneid. vi. 230. Arbores etiam Plinius xvi. 19. in *mares* et *feminas* dividit. Idem xii. 32. ubi de *ture masculo* agit, addit: "Religioni tributum, ne sexus alter usurparetur." *Pinum* in lustrationibus esse adhibitam, supra ii. 25. vidimus. Nunc cognata arbor memoratur, *tæda*, pinus silvestris, quam Plinius xvi. 19. "flammis ac lumini sacrorum gratam" vocat. De *herbis Sabinis* et de *crepitante lauro* dictum ad i. 343.

743. Sacra Deæ non cruenta et obvia. E *milio* Itali panem prædulcem faciebant, Plinius, xviii. 24. sed et *liba*; Festus: "Suffimenta dicebant, quæ faciebant ex faba milioque mellito, mulso sparso." *Fiscella* aut *fiscina*, calathus, quem rustici otiosi e juncis et viminibus texebant varium in usum; Virgil. Georg. i. 266; Tibullus, II. iii. 15.

745. Hæc verba negotium fecere intt. qui omnes *dapes* intellexere de sacris Deæ oblatis. Heins. conjicit, *Adde dapi mulctramquæ suæ*; verum e Tibull. II. v. 99. discimus, rusticos, sacris peractis, sibi *dapes* parasse: "At sibi quisque dapes et festas exstruet alte Cespitibus mensas, cespitibusque torum." Eadem convivia etiam Propert. IV. iv. 74. memorat, "Quum pagana madent fercula deliciis," et Noster in Terminalibus, ii. 657. Neque credibile est, Ovidium illa omi-

Consule, dic, pecori pariter pecorisque magistris;
Effugiat stabulis noxa repulsa meis.
Sive sacra pavi, sedive sub arbore sacra;
Pabulaque in bustis inscia carpsit ovis;
Seu nemus intravi vetitum, nostrisve fugatæ
Sunt oculis Nymphæ, semicaperve Deus:
Seu mea falx ramo lucum spoliavit opaco,
Unde data est ægræ fiscina frondis ovi:
Da veniam culpæ: nec, dum degrandinat, obsit
Agresti fano supposuisse pecus.

sisse. Inter cibos etiam *mulctra* apponebatur lacte repleta. Tunc *suas* in *tuas* mutandum arbitror. In *resectis* MSS. valde variant; Ciofanus explicat, divisis; Lenzius, parte dapum libata; Burmann. conjicit *peractis;* Schirachius præfert *paratis*, sed id interpretatur, peractis. Ego lego *refectus;* ita sensus oritur optimus. Ex *refectus* primum factum est *refectis*, inde *resectis*. Quod quum offenderet, alius aliud ex ingenio suo substituit. Crateris loco adstabat *mulctra*. *Silvicolam;* quia in silvis pecudes pascuntur. *Tepido lacte*, scil. sparso, libato; Tibullus, I. i. 36: "placidam soleo spargere lacte Palem." Inter libandum preces fiebant. Ordo autem rituum est hic: primum Deæ cibus apponitur; tum sibi dapes parant pastores; iis refecti, lotis manibus (vide ad ver. 778.) libant lac; mox preces faciunt; tandem ipsi se proluunt lacte et sapa, ver. 779 sq.

747—776. Carmen precationis. *Magister* omnino præfectus, ergo et præfectus precori, de quo Varro Re Rust. i. 2. *Magister regii pecoris* Livius, i. 4. Sequitur magnus catalogus delictorum, quibus sacra violari Deosque offendi superstitio veterum credebat. *Sacra pavi*. Vis inest ei repetitioni, sacra sub arbore si pavi, sub sacra si sedi. Solebant autem pastores, dum greges in pascuis errabant, sub arbore sedere, ut e bucolicis notum. De *bustorum* religione vide Kirchmannum de Funeribus, iii. 21. Religiosum erat *busto insultare armentum;* Horatius, III. Od. iii. 40. *In bustis* carpere pabula Burmannus æque eleganter dictum putabat ac *bibere in Nilo*. Sed hæc differunt. Ovis vel incedens *in bustis*, vel nascentia *in bustis* pabula carpit.

751. *Vetitum*, quippe Deo sacrum. Qui forte in talem locum deferebantur, pavido murmure, ut noxam a se averterent, Faveas mihi! dicere solebant; Metam. vi. 327. *Nostris oculis fugatæ* bene dictum, fugientes nostrum adspectum. *Semicaper* et v. 101; Metam. xiv. 515. *Lucos* ferro temerare grave scelus; Metam. viii. 743. Id tamen fieri Cato permisit, sacrificio prius facto; Re Rust. cap. 139; Plinius, xvii. 28. Qui lucum *ramo spoliabat opaco*, eum, auctore Festo, *sublucare* (veluti subtus lucem mittere) dicebant, et, qui ipsas arbores succidebat, *conlucare*. *Fiscinæ* illæ *frondariæ* vocabantur; Plinius, xviii. 74: "Unus frondator quatuor frondarias fiscinas complere in die justum habet."

755. *Degrandinat* vix alibi legitur; itaque disputant de ejus vi. Heinsius vituperat eos, qui explicant, desinit

Nec noceat turbasse lacus: ignoscite, Nymphæ,
Mota quod obscuras ungula fecit aquas.
Tu, Dea, pro nobis Fontes fontanaque placa
Numina; tu sparsos per nemus omne Deos.
Nec Dryadas, nec nos videamus labra Dianæ;
Nec Faunum, medio quum premit arva die.
Pelle procul morbos: valeant hominesque gregesque;
Et valeant vigiles, provida turba, canes.
Neve minus multas redigam, quam mane fuerunt;
Neve gemam referens vellera rapta lupo.

grandinare. Potest sane et pro simplici *grandinare* positum esse, ut *depluere* pro *pluere*, et finem grandinis notare; namque etiam *detonare* est desinere tonare, unde Quintilian. XII. ix. 4. consuetudinem quamdam ait inter plausores suos *detonuisse*, desiisse. Burmannus qui posteriore sensu sumebat, *degrandinet* malebat, quia *dum* pro donec subjunctivum postulet: quod vero non semper fit. Heinsius, cui verbum insolens *degrandinat* displicuisse videtur, suadebat, *dum, Dea, grandinat*. *Agreste fanum*, non modo Silvani, ut Dan. Heins. volebat, sed et cujuscumque Dei templum in agris. *Mota ungula* bene se habet; describitur enim pastor per lacus aut in lacus sacros pecora agens; Met. vi. 363: "ipsos etiam pedibusque manuque Turbavere lacus; imoque e gurgite mollem Huc illuc limum saltu movere maligno." Sic et volantes aera *movent pennis*, navigantes mare remis. *Obscura* aqua opponitur limpidæ.

761. *Nec Dryadas*, etc.] Prisco sæculo mortales impune cernere poterant Deas, etiam nudas; Propertius, III. xi. 38. ibique Brouckhusius. Seriore pœna afficiebantur, qui Deos invitos viderant. *Labra Dianæ* etiam Ibide 479; *labra* vasa majora variis rebus recipiendis, ut musto expresso, inservientia; Virg. Georg. ii. 6; sed erant et labra balnearia, in quibus lotio fiebat. Itaque Cicero ad Div. xiv. 20. curari vult, ut *labrum* sit in balneo. Nunc fontes intelliguntur, in quibus Diana venatu fessa virgineos artus liquido perfundere rore solebat, qualem Noster Metam. iii. 161. describit. *Dianæ* autem potissimum *labra* memorat propter miserum Actæona. *Premit arva*, cubat in arvis; Pan enim τὸ μεσαμβρινὸν ἀπ' ἄγρας κεκμακὼς ἀμπαύεται· Theocritus, Id. i. 15.

763. Incipiunt preces ad mala averruncanda et ad bona advertenda. Simile precationis carmen verbis vetustis conceptum habet Cato Re Rust. 141. *Minus multas* scil. oves; quod non satis commode omissum. *Rapta*, erepta. Felicior est rusticus apud Horatium, Epod. ii. 60. qui comedit *hædum ereptum lupo*. Etiam Tibullus dicto loco precatur: "a stabulis tunc procul este lupi." *Iniqua*, damnosa. *Lavent artus* nempe ovium; solebant enim *balantum gregem fluvio mersare salubri;* Virgil. Georg. i. 272; iii. 445 sqq; Varro Re Rust. II. i. 23. Quæ lotio in Kalendario antiquo notatur mense Maio.

Absit iniqua fames; herbæ frondesque supersint;
Quæque lavent artus, quæque bibantur, aquæ.
Ubera plena premam; referat mihi caseus æra;
Dentque viam liquido vimina rara sero.
Sitque salax aries; conceptaque semina conjux
Reddat: et in stabulo multa sit agna meo.
Lanaque proveniat, nullas læsura puellas,
Mollis, et ad teneras quamlibet apta manus.
Quæ precor, eveniant; et nos faciamus ad annum
Pastorum dominæ grandia liba Pali.
His Dea placanda est: hæc tu conversus ad ortus
Dic ter, et in vivo perlue rore manus.

769. *Ubera premere;* Metam. xv. 472: "Ubera manibus pressanda." De *ære* ex *caseo*, Virg. Ecl. i. 35: "Quamvis—Pinguis et ingratæ premeretur caseus urbi, Non unquam gravis ære domum mihi dextra redibat." *Vimina*, fiscinæ in usum cogendi lactis; Tibullus, II. iii. 15: "Tunc fiscella levi detexta est vimine junci, Raraque per nexus est via facta sero." *Reddat*, enitatur. Sacra illa fiebant περὶ γονῆς τετραπόδων· Dionysius dicto loco. *Lanam mollem* bene circumloquitur etiam Tibullus, II. i. 61: "teneris curam exhibitura puellis." *Lædere*, secare, dolores creare; Tibullus, IV. iii. 8: "teneras lædere velle manus." Lenzius monet jungendum *quamlibet apta*, i. e. aptissima; sic et Gesenius. Ego jungo *quamlibet teneras*, adeo mollis, ut ne teneras quidem manus lædat. *Quamlibet*, quantumvis; vid. Longolius ad Plinii Epp. X. xcvii. 2. Verba *quæ precor eveniant* vim habent Christiani *amen;* Tibullus, ii. 1: "Eventura precor." *Ad annum*, anno præterlapso.

777. *Ad ortus* ex more antiquo atque etiam a Christianis recepto; vide *Hildebrand* de sacris publicis, p. 18. Etiam Krebsius nonnulla de hoc ritu ejusque origine adfert. *Dic ter. Ternarius* numerus sacer erat; ii. 573; v. 435; vi. 155. *In vivo rore. Ros, rorata aqua*, δρόσος, est aqua lustralis; Valken. ad Euripid. Hippolytum, p. 180. Et *irrorare* de iis dicitur qui se lustrant aqua; Æn. vi. 230: *rore levi spargens socios;* vide ad ver. 315. Neque *vivus* est recens, ut et Gesenius explicat, sed fluvialis aut fontanus; Æn. ii. 719: "donec me flumine vivo Abluero," pro quo iv. 635: *fluviali spargere lympha;* Liv. i. 45: "Quin tu ante vivo perfunderis flumine? infima valle præfluit Tiberis." Supra ver. 655. est *fontana aqua*. Tali aqua templum ingressuri, preces aut sacra facturi vel vestes, vel *manus* caputque lavare solebant. Qui *manus* laverant, *puris manibus* accedere dicebantur. *Perluere* amat Ovidius in hac re; Met. iii. 173: "dum ibi perluitur solita Titania lympha;" iv. 310: "fonte suo formosos perluit artus."

Tum licet, apposita, veluti cratere, camella,
Lac niveum potes, purpureamque sapam:
Moxque per ardentes stipulæ crepitantis acervos
Trajicias celeri strenua membra pede.
Expositus mos est: moris mihi restat origo.
Turba facit dubium, cœptaque nostra tenet.
Omnia purgat edax ignis, vitiumque metallis
Excoquit: idcirco cum duce purgat oves.
An, quia cunctarum contraria semina rerum
Sunt duo discordes, ignis et unda, Dii,

779. In mensis veterum *crater* stare solebat, sed in his conviviis ejus loco *camella*, vasis lignei genus; de qua voce rariore vid. Varro Fragm. pag. 240. Bip. et Turneb. Advers. xxvi. 7. A Gellio Noct. Att. xvi. 7. inter singularia Laberii refertur; Tibullus dicto loco 98. de his epulis, "coronatus stabit et ante calix." *Sapa* quid fuerit, docet Plinius, xiv. 11: "Siræum, quod alii hepsema, nostri sapam appellant, ingenii, non naturæ opus est, musto usque ad tertiam partem mensuræ decocto: quod ubi factum ad dimidiam est, defrutum vocamus." Varro vero et Nonnius mustum ad mediam partem decoctum *sapam* vocant. Potionem e sapa et lacte compositam veteribus dictam esse *burrhanicam*, Neapolis docet. Festus; "Burrhanica potio, lac commistum sapa, a rufo colore, quem burrhum vocant." De saltu per flammas conf. ad ver. 727; transiliebant bene poti; Tibullus, dicto loco 89: "Ille levis stipulæ solennes potus acervos Accendet, flammas transilietque sacras."

783. Moris origo. Hic *turba*, multitudo causarum eum reddebant dubium, et cursum orationis retinebant; v. 6. *copia ipsa nocet*. Multa hic et mira cumulat. *Ignis* propter vim *purgandi* jam apud antiquissimos in lustrationibus locum habebat; Plutarchus, Quæst. Rom. 1: *τὸ πῦρ καθάιρει, τὸ ὕδωρ ἁγνίζει*. *Excoquit*, ut Virg. Georg. i. 89: agris omne per ignem Excoquitur vitium." *Ducem gregis* apud poetas ubique, etiam apud Ovidium esse vel arietem, vel hircum, vel taurum, non autem pastorem, atque etiam hoc loc. arietem intelligi, observat Heynius ad Tibull. I. x. 10. Pastor potius *sequitur* oves; vi. 14; sed quia Palilibus non grex modo, sed pastor quoque purgabatur, nunc quidem hunc intelligere possis; Tibullus, I. i. 35: "Hic ego pastoremque meum lustrare quotannis, Et placidam soleo spargere lacte Palem."

787. *Semina rerum*, elementa, etiam Metam. i. 9. Vim *contrariorum* illorum *seminum* declarat ibid. ver. 432: "Quumque sit ignis aquæ pugnax; vapor humidus omnes Res creat, et discors concordia fetibus apta est," ubi vide notam. *Discordes* Heinsius in *dissortes* mutari volebat. Non assentior; veteres enim de *discordi concordia* rerum disputabant. De *tangere* vide ad ver. 740. *An quod*, etc. Festus tradit aquam et ignem interdici solere damnatis, permitti vero nuptis; "videlicet quia hæ duæ res humanam vitam maxime continent;" Servius ad Æneid. vii: "Ad facienda

Junxerunt elementa patres; aptumque putarunt
Ignibus et sparsa tangere corpus aqua?
An, quod in his vitæ causa est; hæc perdidit exsul;
His nova fit conjux: hæc duo magna putant?
Vix equidem credo: sunt qui Phaethonta referri
Credant, et nimias Deucalionis aquas.
Pars quoque, quum saxis pastores saxa feribant,
Scintillam subito prosiluisse ferunt:
Prima quidem periit; stipulis excepta secunda est:
Hoc argumenti flamma Palilis habet.
An magis hunc morem pietas Æneia fecit,
Innocuum victo cui dedit ignis iter?
Hoc tamen est vero propius, quum condita Roma
Transferri jussos in nova tecta Lares: [est,

fœdera aqua et ignis adhibentur, unde contra, quos arcere volumus e nostro consortio, eis aqua et igni interdicimus, id est rebus, quibus consortio copulamur." Interdictio autem illa, quam auctore Dionysio Halic. ii. 53. Romulus jam instituit, hanc vim habebat, ut intra fines imperii Romani nemini liceret exsuli vel aquam, vel ignem præbere. *Nova conjux* et maritus aquam et ignem tangebant, quia secundum Plutarch. Quæst. Rom. 1. his duobus omnia gigni credebantur. Adde Varronem de Ling. Lat. iv. 10.

793. Verba *vix equidem credo* Lenzius et interpr. gallicus ad seqq. referunt; equidem ad antecedentia refero, eique rationi interpunctionem accommodavi. *Referri*, exprimi, adumbrari.

797. *Stipulis* pro fomite; Æneid. i. 174: "silici scintillam excudit Achates, Suscepitque ignem foliis, atque arida circum Nutrimenta dedit, rapuitque in fomite flammam." *Hoc argumenti habet*, hoc indicat, hoc sibi vult. *Innocuum*, etc. quem ignis tutum se transire passus est, qui incolumis per incendia Trojana abiit; vide supra ad ver. 37.

801. *Hoc tamen* verum esse puto; quibus verbis Ovidius, postquam multa dubitanter protulerat, tandem aliquid certius subjicere volebat. *Saluisse* pro *saliisse* Heinsius auctoritate et Prisciani, lib. i. pag. 906. et meliorum codd. reposuit. Jam debebat dicere: Quod fit nunc quoque Palilibus; sed melius dixit: *natali Roma, tuo.* Ita enim commode transit ad *originem urbis*, quæ in Palilium diem incidebat, ut jam ad ver. 721. admonitum. *Ipse locus*, etc. Hæc verba, si sana sunt, equidem ad antecedentia refero: quid ego altius *causas* illius ritus arcesso, quum *ipse locus*, quem incolimus, aut, si ita mavis, in quo tractando jam versor, eas mihi suppeditet? Id si cui displicet, videat an ex altera lectione meliorem sensum fingere possit. Olim enim edebatur, *Ipse locum vati casus facit*, quod Marsus interpretatur, quasi

Mutantesque domum tectis agrestibus, ignem
Et cessaturæ supposuisse casæ;
Per flammas saluisse pecus; saluisse colonos;
Quod fit natali nunc quoque, Roma, tuo.
Ipse locus causas vati facit: urbis origo
Venit: ades factis, magne Quirine, tuis.
Jam luerat pœnas frater Numitoris; et omne
Pastorum gemino sub duce vulgus erat.
Contrahere agrestes, et mœnia ponere utrique
Convenit: ambigitur, mœnia ponat uter.
Nil opus est, dixit, certamine, Romulus, ullo.
Magna fides avium est: experiamur aves.

casu venimus in hunc locum, ut de initiis urbis agendum sit. Immo ordine rerum in illum locum deducebatur.

807—862. *Natalis urbis.*] Hic de muris positis et Remi interitu. *Pœnas* Amulii jam attigit poeta iii. 67; nunc festinat. De Romuli Remique dissidiis atque hujus nece, variæ erant Romanorum traditiones, quas apud Dionysium Halicarn. i. 85. Plutarchum Vit. Rom. 9 sq. et reliquos rerum Romanarum scriptores habes. Admodum credibile est, quod Dionysius tradit, multitudinem omnem in duas divisam fuisse partes, quarum altera Romulum ducem sequeretur, altera Remum; hinc et fratrum animos dissociatos esse, eorumque dissidia maxime patuisse, quum locus urbi condendæ quæreretur. *Pastores* constanter primi Romæ incolæ vocantur, quibus mox, asylo aperto, convenæ accesserunt; Livius, ii. 1. Et erat regio illa pastoribus inprimis opportuna; Dionysius, ii. 2. Zulichem. *pastoris;* hinc Heins. suadet, *pastores —erant.*

811. Qui urbes condunt, eorum est "dissipatos homines in societatem vitæ convocare;" Cicer. Tuscul. v. 2; aut "dispersos homines unum in locum congregare;" Orat. i. n. 33. *Convenit,* complacet ex pacto. De syntaxi vid. Heins. et Burmann. ad Remed. Amor. 471. Nisi hoc loco malis per conducit interpretari. *Mœnia ponat* agnoscunt Ursinus, Petavian. et multi alii; cæteri *nomina ponat.* Dubitare possis, utrum verius. Livius, i. 6: "Quoniam gemini essent, nec ætatis verecundia discrimen facere posset, ut Dii, quorum tutelæ ea loca essent, auguriis legerent, qui nomen novæ urbi daret, qui conditam imperio regeret." Dionysius, i. 85: ambigebant, *ὁποτέρου χρὴ τὴν ἀποικίαν λέγεσθαι καὶ τὴν ἡγεμονίαν εἶναι.* Ennius: "Certabant, urbem Romamne Remamne vocarent." Nunc forsan *mœnia* jure præfertur; ubi enim Romulus vicit, *apta dies legitur, qua mœnia signet aratro,* ver. 819.

813. Ab avo admoniti, auspiciis rem dirimendam committere voluerunt; Dionys. dicto loco. *Experiamur,* consulamus; Plinius, II. Ep. xx. 4: haruspex, "quem sum frequenter expertus." *Aventinus* ab eo dictus *Remuria,* aut, ut Græci scribunt Ῥω-

Res placet: alter init nemorosi saxa Palati;
  Alter Aventinum mane cacumen adit.
Sex Remus; hic volucres bis sex videt ordine: pac-
  Statur; et arbitrium Romulus urbis habet. [to
Apta dies legitur, qua mœnia signet aratro.
  Sacra Palis suberant: inde movetur opus.
Fossa fit ad solidum; fruges jaciuntur in ima;
  Et de vicino terra petita solo.
Fossa repletur humo, plenæque imponitur ara;
  Et novus accenso finditur igne focus.
Inde premens stivam designat mœnia sulco:
  Alba jugum niveo cum bove vacca tulit.

μορία. *Volucres*, nempe vultures, quibus, quoniam nec pecori, nec satis nocent, Romani in auspiciis plurimum tribuebant; Plutarch. dicto loco. In auspiciis illis aliquid fraudis commissum esse a Romulo, Dionysius prolixe narrat; inde contentionem esse ortam, quam multitudo accenderit; in pugna utrimque multos cecidisse, etiam Remum et Faustulum, quum iram dirimere vellet. Sed Ovidius famam sequitur, quam Livius, dicto loco vulgatiorem vocat, ex qua Remus, muris jam positis, periit. *Arbitrium urbis habet*, pendet ab eo jus ponendæ urbis, quocumque loco vellet.

821. Ritus, quibus urbs condita. Ritus et illos et alios Romani ab Etruscis sumserunt. Festus: "Rituales nominantur Etruscorum libri, in quibus perscriptum est, quo ritu condantur urbes, aræ, ædes sacrentur," etc. Varro de Ling. Lat. iv: "Oppida condebant in Latio Etrusco ritu multa, id est junctis bubus, tauro et vacca, interiore aratro circumagebant sulcum." Plenius illos ritus memorat Plutarchus dicto loco. *Fossam* illam mundum vocabant, in eamque et primitias omnium rerum et particulas terræ, ex qua quisque regione venerat, commixtas deferebant. Tum conditor æneo vomere, junctisque bubus, mari et femina, profundum ducebat sulcum, et, ubi porta designanda erat, ibi exempto sublatoque vomere, spatium relinquebat. Qui eum sequebantur, ii excitatas aratro glebas intro vertebant. Adde Columellam, vi. præf. *Ad solidum* Lenz. interpretatur, in loco solido, locum enim illum maxima ex parte fuisse palustrem; sed quid fiet his locis? Valerius Maximus, ii. 1: "Fundamentorum constituendorum gratia, terram ad solidum fodere." Columella, iv. 30: "salices" deponere eo usque, "dum ad solidum demittantur." Iis locis fossæ altitudo innuitur, qua res demissæ firmum fundamentum habent. Noster Metam. xi. 72: "in solidam detrusit acumine terram." Mitscherlich. prætulit *ad solitam*, quod plurimi veterum agnoscunt.

825. *Stiva*, lignum per burim in dentale descendens, cujus ope arator flectebat aratrum; Virg. Georg. i. 179. *Premens*, ut vomer alte descendat; profundum enim sulcum, *ἀυλακα βαθεῖαν*, faciebant.

Vox fuit hæc regis: Condenti, Jupiter, urbem,
Et genitor Mavors, Vestaque mater, ades;
Quosque pium est adhibere Deos, advertite cuncti:
Auspicibus vobis hoc mihi surgat opus!
Longa sit huic ætas, dominæque potentia terræ;
Sitque sub hac oriens occiduusque dies.
Ille precabatur: tonitru dedit omina lævo
Jupiter; et lævo fulmina missa polo.
Augurio læti jaciunt fundamina cives;
Et novus exiguo tempore murus erat.
Hoc Celer urget opus, quem Romulus ipse vocarat;
Sintque, Celer, curæ, dixerat, ista tuæ:
Neve quis aut muros, aut factam vomere fossam
Transeat; audentem talia dede neci.

827—832. Preces Romuli, de quibus historici nihil habent; victimam tamen ejus Dionysius memorat. De *Vesta* Latio illata vide iii. 426. *Mater* commune Dearum epitheton, ut *pater* Deorum. *Adhibere* in auxilium, implorare; etiam apud Florum, I. i. 6. Romulus urbem conditurus, *Deos adhibet*, nempe auspiciis. *Advertite* Taubnerus explicat, animadvertite. Immo deest, *numina vestra*, quod interdum additur, ut Æn. iv. 611. Et passim hoc verbum absolute ponitur; Drakenborch. ad Silium, i. 288. *Auspicibus vobis*, vestro auxilio, ductu, consilio. *Surgere* sic et apud Virgil. ut in illo: "O fortunati, quorum jam mœnia surgunt!" *Æternitas* imperii et *potentia* rerum ubique Romanorum animis obversabantur. *Domina*, quæ habet imperium in omnes; vide ver. 859. *Dies* pro regione.

833. Etiam apud Dionysium, ii. 4. quum Romulus, ut rex declararetur, victimas mactaret, precesque faceret, ἀστραπὴ διῆλθεν ἐκ τῶν ἀριστερῶν ἐπὶ τὰ δεξιά· tum latius disputat, cur fulmina a læva ad dextram tendentia Romanis fausta sint habita. Breviter Plin. ii. 55: "Læva fulmina prospera existimantur, quoniam læva parte mundi ortus est."

837. *Celer*, unus e sociis Romuli et præfectus operi, τις τῶν ἑταίρων et ἐπιστάτης τῶν ἔργων, secundum Plutarch. et Dionysium. Is *urget opus*; itaque Lenzius putat, eum a celeritate operis perfecti nomen accepisse; Plutarchus contra auctor est, veloces ab eo dictos esse *celeres*. Remus, indignans, quod dolo circumventus esset a fratre, et risit, et impedivit, et transiluit muros; Dionysius dicto loco. Secundum eumdem *Celer* tum forte stabat in muro. *Rutrum*, rusticum instrumentum et ad fodiendum et ad subigendum, de quo Nonius et Varro. *Rutro* Remum esse occisum, et alii auctores narrant, quos laudant Neapol. et Heinsius; Dionysius σκαφείῳ aut σκαφίῳ habet. Noster in Ibide 635. pro *rutro* omnino *rustica tela* memorat. *Occupat*, ut i. 675. *Occupat Alcides* clava; et Met. xii. 343: "conantem stipite querno Occupat Ægides."

Quod Remus ignorans, humiles contemnere muros
Cœpit; et, His populus, dicere, tutus erit?
Nec mora, transiluit: rutro Celer occupat ausum.
Ille premit duram sanguinolentus humum.
Hæc ubi rex didicit, lacrymas introrsus obortas
Devorat, et clausum pectore vulnus habet.
Flere palam non vult, exemplaque fortia servat;
Sicque meos muros transeat hostis, ait.
Dat tamen exsequias: nec jam suspendere fletum
Sustinet; et pietas dissimulata patet.
Osculaque applicuit posito suprema feretro;
Atque ait: Invito frater ademte, vale.
Arsurosque artus unxit; fecere, quod ille,
Faustulus et mœstas Acca soluta comas.
Tum juvenem nondum facti flevere Quirites;
Ultima plorato subdita flamma rogo.

845. Etiam Floro, I. i. 6. *dubium* videtur, *an jussu fratris* occisus sit. Apud Livium contra Romulus ipse iratus eum interficit, additis verbis, quæ Ovidius, 848. respexit: "Sic deinde, quicumque alius transiliet mœnia mea." Noster id sedulo agit, ut facinus illud velet, Romulumque a ferocia defendat. Non ita Cicero, Off. iii. 10: "Species enim utilitatis animum pepulit ejus; cui quum visum esset utilius, solum quam cum altero regnare, fratrem interemit." Cum sqq. autem confer v. 451. ubi hoc argumentum continuatur. Verbis *lacrymas—devorat* Noster vim gravissimi doloris etiam Met. xi. 635. descripsit. Mœrore illo actus Romulus semetipsum interfecisset, nisi eum Laurentia precibus deterruisset; Dionysius dicto loco. *Exempla fortia servat;* sequitur exemplum virorum fortium in devorandis lacrymis et in dolore intus claudendo. Interp. Gallicus aberravit a mente poetæ, quum Romulum putat exemplum legis servandæ proponere voluisse. *Dare* pro facere, parare, concedere ponitur.

852. *Ademtus*, qui invito ereptus est; sic *ademtus Hector* Horatius, II. Od. iv. 10; et *ademtus mystes* Od. ix. 10. De *unctione artuum* vid. Bentleium ad Horatium, Epod. xvii. 11. *Faustulus* secundum alios in certamine periit. *Acca*, Laurentia, quæ a Plutarcho *Acca Larentia* vocatur; vide ad iii. 55. *Nondum facti Quirites.* Sic solet Ovidius res aut homines ab iis, quæ serius evenerunt, designare; Met. ii. "nondum Œagrius Hæmus." *Ultimam* Lenzius explicat ultimo loco, post reliquos exsequiarum ritus; immo *ultima, suprema, sera* dicuntur, quæcumque fiunt in honorem mortui; sic paulo ante *suprema oscula.* Humatus autem Remus est in Remuria monte.

Urbs oritur, quis tunc hoc ulli credere posset?
Victorem terris impositura pedem.
Cuncta regas; et sis magno sub Cæsare semper;
Sæpe etiam plures nominis hujus habe:
Et quoties steteris domito sublimis in orbe;
Omnia sint humeris inferiora tuis.
Dicta Pales nobis: idem Vinalia dicam:
Una tamen media est inter utramque dies.
Numina vulgares Veneris celebrate puellæ:
Multa professarum quæstibus apta Venus.

857. Confer i. 515 sqq. *Victorem—pedem*, cui terræ subjectæ erunt et parebunt. Sumta formula a consuetudine antiquissima, qua victores victis pedem imponere solebant, quam etiam Turnus in exanimum Pallanta servat; conf. Virg. Æn. x. 495. *Et quoties*, etc. Insignis est proceritas ejus, qui non capite tantum, sed *humeris* quoque supereminet omnes, ut Diana Nymphas, Musæus (Æneid. vi. 668.) reliquam turbam. Hoc idem translatum ad urbis Romanæ altitudinem declarandam.

863—900. IX. *Kalend. Maias Vinalia* in honorem Jovis, aut, ut vulgo putabant, Veneris. Masurius apud Macrobium, Saturn. i. 4: "Vinaliorum dies Jovi sacer est, non, ut quidam putant, Veneri." Varro de Ling. Lat. v: "Vinalia a vino: hic dies Jovis, non Veneris." Errore illo Græcis dicta sunt Ἀφροδίσια et Plutarcho, Quæst. Rom. p. 115. Reisk. *Veneralia*. Noster, ubi meretrices excitavit ad festum illud in Erycinæ Veneris templo celebrandum, originem festi narrat.

866. *Professarum*. Hoc referunt eo, quod feminis Romanis vulgare corpus licebat, ubi id *professæ* erant apud Ædiles, quo facto, inter togatas numerabantur, de quibus supra ver. 134. Vide Sueton. Tiber. 35; Tacit. Annal. ii. 85. ibique Lipsium; sed Herald. ad Arnobium adv. Gentes, pag. 133. conjungit *multa professarum*, monetque *multa* et τὰ πολλὰ dictas esse voluptates venereas. Non tamen hoc approbavit Heinsius, qui aut *multa Venus* conjungit, aut *multa* in *culta* mutari vult; quæ conjectura non mala est. Celebrate Venerem, nam *culta*, si celebratur, apta est quæstibus. *Ture dato* maxime coli solebat Venus; Horatius, I. Od. xxx. 2. *Poscere* solemne de precantibus. *Joco*, lusu venereo. Passim apud Nostrum *verba apta joco*. Hoc loco vulg. *loco*, quæ varietas etiam i. 395. *Sisymbrium* etiam thymbræum appellatum. Quod in sicco nascitur, id odoratum est, et a veteribus coronis inserebatur; Plinius, xx. 91. De coronis e *myrto*, Veneri sacra, res nota; Horatius, I. Od. iv. 9; xxxviii. 5; II. Od. vii. 8; Tibullus, I. x. 27. De *junci* generibus vide Plinium, xxi. 69 sqq. In iis quædam odorata, quorum odor vicinus nardo. Iis *vinciebantur* et *rosæ* in serta. Sertis autem et Dii ante rem sacram ornabantur; Horatius, III. Od. xxiii. 15: "Parvos coronantem marino Rore Deos fragilique myrto." Cæterum poeta hic cumulavit verba, et sono imitari voluit illud Virgilii, "Mollia luteola pingit vaccinia caltha;" Eclog. ii. 50.

Poscite ture dato formam, populique favorem ;
Poscite blanditias, dignaque verba joco :
Cumque sua dominæ date grata sisymbria myrto,
Textaque composita juncea vincla rosa.
Templa frequentari Collinæ proxima portæ
Nunc decet : a Siculo nomina colle tenent.
Utque Syracusas Arethusidas abstulit armis
Claudius, et bello te quoque cepit, Eryx :
Carmine vivacis Venus est translata Sibyllæ ;
Inque suæ stirpis maluit urbe coli.
Cur igitur Veneris festum Vinalia dicant,
Quæritis, et quare sit Jovis ista dies ?

371. Templum Erycinæ Veneris prope *Collatinam portam* Ovidius etiam Remed. 549. memorat ; atque illud ipsum, bello Ligustino a Lucio Porcio cons. votum, a L. Porcio, L. F. Licinio duumviro, ad portam Collinam dedicatum fuisse Livius, xl. 34. narrat. Adde Strabonem, lib. vi. Eadem autem dea in *Eryce*, monte Siciliæ supra Drepanum, templum habebat nobilissimum a Trojanis conditum ; Æn. v. 759 ; de quo locus classicus apud Diodor. Siculum, lib. iv. extr. Vide Heynii Excurs. ii. ad illum Æneid. librum. E Sicilia autem Erycina Venus jam prius *translata* erat Romam, tempore belli Punici secundi. Ann. U. C. 535. enim, quum peccatum esset a C. Flaminio cos. decemviri *libros Sibyllinos* adire jussi sunt, ut quæ piacula iræ Deorum essent, coguosceretur. Ii, inspectis libris fatalibus, inter alia retulerunt et hæc : " ædes Veneri Erycinæ ac Menti vovendas esse ;" Livius, xxii. 9. Mox ædes illæ votæ sunt. Veneris Erycinæ ædem Q. Fabius Maximus dictator vovit, Mentis T. Otacilius prætor ; ibid. 10. Iidem viri anno 537. duumviri creati sunt ædibus illis dedicandis ; Menti Otacilius, Fabius Veneri Erycinæ dedicavit. Ambæ in capitolio erant, canali uno discretæ ; Livius, xxiii. 31. Jam Neapolis putat, Ovidium duo templa Veneris diversa confudisse, quasi templum ad Collinam portam jam tempore belli Punici dedicatum esset. Mihi vero distinxisse distinguenda videtur. Primum de templo ad Collatinam portam loquitur, deinde obiter de prima illius Deæ translatione. Sed et alius erroris Ovidium Neapolis coarguit. Templum antiquius anno 537. dedicatum est ; sed *Syracusæ* anno 540. demum a *Claudio* Marcello captæ ; Livius, xxv. 31. Fortasse tamen Noster, more poetarum, a parte bellum Punicum secundum indicare voluit. *Abstulit*, cepit et militi diripiendas dedit. *Eryx* e primo maxime bello notus ; inde enim Hamilcar præsidium, quod ibi clausum, deducere coactus fuerat ; Livius, xxi. 10. 41. De *vivace Sibyllæ* vide ad iii. 534 ; *Cumæa anus* vocatur iv. 158.

Turnus, an Æneas Latiæ gener esset Amatæ,
Bellum erat: Etruscas Turnus adoptat opes.
Clarus erat, sumtisque ferox Mezentius armis;
Et vel equo magnus, vel pede major erat.
Quem Rutuli Turnusque suis adsciscere tentant
Partibus: hæc contra dux ita Tuscus ait:
Stat mihi non parvo virtus mea: vulnera testes;
Armaque, quæ sparsi sanguine sæpe meo.
Qui petis auxilium, non grandia divide mecum
Præmia, de lacubus proxima musta tuis.

879. Cum *Ænea* advena Latinus rex mature et pacem junxit et affinitatem, Lavinia filia in matrimonium data. *Turnus*, Rutulorum rex, cui *Amata*, Latini conjux, favebat, sponsam sibi ereptam dolens, arma infesta Latino intulit, victusque ad *Mezentium*, Etruscorum regem aut Lucumonem (*στρατηγὸν* Plutarchus vocat) confugit. Cære ille (olim Agylla) imperitabat, oppido haud longe a Tiberi opulento, quod Dionys. Halicarn. iii. 58. *εὐδαίμον καὶ πολυάνθρωπον* vocat, unde Tarquinii Prisci tempore magnus exercitus exierit. Sed et nunc *equo*, equitibus, et *pede*, peditibus, valens erat; conf. Livii i. 2. qui et ipse de magnis Mezentii opibus agit. Virgil. Æneid. viii. 478. Vid. et Dionys. Halicarn. i. 64 sq; Justinum, xliii. 1. *Adoptat*, adsciscit, sibi adjungit, vi propria vocis *optare*, quæ eligere significat.

887. Memoria exilis rei servata est inter veteres, sed varie. Plinius, xiv. 14: "M. Varro auctor est, Mezentium, Etruriæ regem, auxilium Rutulis contra Latinos tulisse, vini mercede, quod tum in Latino agro fuisset." Secundum L. Cæsarem et A. Postumum, quos Auctor de Orig. Gent. Roman. cap. 14 sqq. laudat, et secundum Dionysium, i. 65. Mezentius Latinos Lavinii obsessos ita in deditionem accipere voluit, ut omne vinum Latini agri quotannis sibi inferretur. At Ascanii, qui patri successerat, auctoritate, vino ex omni vindemia Jovi voto consecratoque, Latini urbe eruperunt, interfectoque Lauso, Mezentium fugarunt. Quæ hi de Ascanio narrant, ea Plutarchus, Quæst. Rom. pag. 115. ad Æneam refert. Macrobius, Saturn. iii. 5. e Catonis Origg. rem sic narrat: "Mezentium Rutulis imperasse, ut sibi offerrent, quas Diis primitias offerebant, et Latinos omnes, similis imperii metu ita vovisse: Jupiter, si tibi magis cordi est, nos ea tibi dare potius, quam Mezentio, ut ei nos victores facias." Hinc addit, illum propterea a Virgilio *contemtorem Deorum* esse dictum. Vide omnino Heynii Excurs. iii. ad Æneid. viii.

888. *Lacus*, vas torculari supposition, in quod mustum defluit; Plinius, IX. Ep. xx. 2. "gustare de lacu mustum." *Nulla—operæ*, ne diu fluctuetis, quid faciendum sit. *Quam velit*, etc. argumentum grave movendi. Simile est illud Æn. ii. 104: "Hoc Ithacus velit, et magno mercentur Atridæ!" Cf. ii. 694.

Nulla mora est operæ: vestrum dare; vincere nos-
Quam velit Æneas ista negata mihi! [trum est.
Annuerant Rutuli. Mezentius induit arma:
Induit Æneas; alloquiturque Jovem:
Hostica Tyrrheno vota est vindemia regi,
Jupiter, e Latio palmite musta feras.
Vota valent meliora: cadit Mezentius ingens,
Atque indignanti pectore plangit humum.
Venerat Autumnus calcatis sordidus uvis:
Redduntur merito debita vina Jovi.
Dicta dies hinc est Vinalia: Jupiter illam
Vindicat, et festis gaudet inesse suis.
Sex ubi, quæ restant, luces Aprilis habebit;
In medio cursu tempora veris erunt.
Et frustra pecudem quæres Athamantidos Helles;
Signaque dant imbres; exoriturque Canis.
Hac mihi Nomento Romam quum luce redirem,
Obstitit in media candida pompa via.

895. *Ingens* vel corpore, quali sunt heroes veteres, vel opibus. *Plangit humum;* sic passim de morientibus e vulnere; Met. iii. 125: "sanguineam trepido plangebant pectore matrem;" Æn. x. 720: "calcibus atram Tundit humum exspirans." Apud Dionys. Halicarn. dict. loc. Mezentius, pace impetrata, in Latinorum amicitia constanter permansit; sed Æneid. x. extremo, "Undanti animam diffundit in arma cruore." Quæ quis vovit, ea *debere* dicitur; Horatius III. Od. xxvii. 30: "debita Nymphis corona;" Tibullus, IV. iv. 23: *Quum debita reddet Certatim sanctis lætus uterque focis.* Cæterum Plutarchus dicto loco, etiam hoc tradit, illo die multum vini effundi ad templum Veneris.

901—904. VII. *Kalendas Maias,* sive *die* xxv. *Aprilis, Ver medium, Arietis occasus, imbres, exortus canis.* Plura igitur memorabilia habet ille dies. *Sex ubi, quæ restant,* dies Aprilis restant. *Ver medium* Columella in ipso Palilium die xi. Kal. ponit; initium ejus die ix. Februarii; ii. 150. Arietem hic quoque, ut ver. 715. e fabula circumloquitur, quam iii. 851 sqq. narravit. *Signa dant,* ostendunt se, cadunt, ut i. 315. *Canem* hoc die non exoriri, sed occidere et Ovidium lapsum esse, certatim monuerunt interprett. Columella xi. 2: *Pridie Kalendas Maias Canis se vespere celat.*

905. *Robigalia* ad avertendam a frugibus robiginem. De his Plinius, xviii. 69. sec. 3: "Tria tempora fructibus metuebant" prisci, "propter quod instituerunt feiias diesque festos, Rubigalia, Floralia" (de quibus mox ver. 943.) "Vinalia" (quæ ver. 863.) "Rubigalia Numa instituit anno regni

Flamen in antiquæ lucum Robiginis ibat,
  Exta canis flammis, exta daturus ovis.
Protinus accessi, ritus ne nescius essem.
  Edidit hæc Flamen verba, Quirine, tuus:
Aspera Robigo, parcas Cerealibus herbis;
  Et tremat in summa læve cacumen humo.
Tu sata sideribus cœli nutrita secundi
  Crescere, dum fiant falcibus apta, sinas.
Vis tua non levis est: quæ tu frumenta notasti,
  Mœstus in amissis illa colonus habet.

sui xi. quæ nunc aguntur ad vii. Kalend. Maii, quoniam tunc fere segetes rubigo occupat. Hoc tempus Varro determinat sole Tauri partem decimam obtinente, sicut tunc ferebat ratio; sed vera causa est, quod post dies undeviginti ab Æquinoctio verno per id quatriduum, varia gentium observatione, in iv. Kal. Maii Canis occidit; sidus et per se vehemens, et cui præoccidere Caniculam necesse sit." Varro de Ling. Latin. v. pag. 47: "Robigalia dicta a Robigo. Secundum segetes huic Deo sacrificatur, ne robigo occupet segetes." Adde eumdem de Re Rust. I. i. 6; Columellam x. 343; ad quæ loca vide Schneider. Disputant autem utrum *rubigo*, an *robigo* scribendum sit. Pro *Robigine* Dea, alii *Robigum* Deum habent, ut Varro, Festus, ac Servius ad Georg. i. 151. ubi hæc notat: "Inde et Robigus Deus, et sacra ejus septimo Kal. Maias Robigalia appellantur." Cæterum Græci Deos ἐρυσιβίους habebant ad avertendam robiginem.

Huc mihi—via. Similia figmenta ver. 685. et iii. 541. *Nomentum*, Sabinorum oppidum, a quo via Nomentana dicta, quæ incipiebat a Viminali porta; Servius ad Æn. vi. 773; vii. 712. Ea ducebat in *lucum Robiginis*. *Candida turba.* Omnis cœtus intelligitur ad sacra procedentium; etiam Tibullo, II. i. 15. *candida turba* est familia, quæ agnum in Ambarvalibus ad aram comitabatur; vide ad i. 79; ii. 654. *Antiquæ*, inde a Numæ temporibus cultæ. De immolatione *canum* vide ad i. 389. In Robigalibus catulus rufus et lactens offerebatur; Columella, x. 342. qui nil de ove habet. Etiam ante Catulariam portam ad placandum Caniculæ sidus, frugibus inimicum, rufas canes esse immolatas, e Festo discimus. *Flamen* autem *Quirinalis* hæc agebat, ut Flamen Dialis Lupercalia ii. 282.

911. *Aspera* et 921. *scabræ* manus Robiginis ab effectu, quia et fruges et ferrum *scabrum asperumve* reddit; Virgil. Georg. i. 495: "Exesa inveni et scabra robigine pila." Confer supra i. 687. *Cereales herbæ*, ut *Cereales culmi*, Virgil. Georg. ii. 517. *Tremunt* culmi, quos ventus mulcet.

915. In morbis segetum etiam Virgil. i. Georg. 150. *malam robiginem* memorat, et Plinius, xviii. 45. "maximam segetum pestem" vocat. Est autem *robigo*, ἐρυσίβη, μίλτος, pulvis rufus et glutinosus culmos adedens et enecans, quod vitium in vitibus et arboribus *carbunculus* dicitur. *Notare* et inficere, et lædere significat. Vim mali Noster per comparationem adeo illustrat. *Venti;* Virgilius, Georg. i.

Nec venti tantum Cereri nocuere, nec imbres;
Nec sic marmoreo pallet adusta gelu;
Quantum, si culmos Titan incalfacit udos.
Tum locus est iræ, Diva timenda, tuæ.
Parce, precor, scabrasque manus a messibus aufer;
Neve noce cultis: posse nocere sat est.
Nec teneras segetes, sed durum contere ferrum:
Quodque potest alios perdere, perde prior.
Utilius gladios, et tela nocentia carpes:
Nil opus est illis: otia mundus agat.
Sarcula nunc, durusque bidens, et vomer aduncus,
Ruris opes, niteant: inquinet arma situs:
Conatusque aliquis vagina ducere ferrum,
Adstrictum longa sentiat esse mora.

444: "Urget ab alto Arboribusque satisque Notus pecorique sinister;" *Urere* de frigore i. 680. in precibus similibus, quas cum his conferas. Unde malum frugibus frigore illatum et *uredo* dicitur. *Marmoreum* propter colorem album pruinæ, et niveum. *Pallere* de colore flavo, quem trahunt fruges frigore morsæ; i. 688. de hac robigine, "Nec vitio cœli palleat ægra seges." *Si culmos*, etc. ipsam robiginem intellige; Plinius, xviii. 68. 3: "Plerique dixere, rorem inustum sole acri frugibus rubiginis causam esse, et carbunculi vitibus: quod ex parte falsum arbitror, omnemque uredinem frigore tantum constare, sole innoxio." Humorem tamen non exclusit; nam. ib. 20. sec. 3: "ros robiginem facit," et 44. sec. 2: "Frequentissima hæc in roscido tractu convallibusque, ac perflatum non habentibus."

921. *Aufer*, retine; veteres, quæ mala remota esse a se cuperent, ea in alios detestabantur; Horatius, I. Od. xxi. 13. Hoc igitur sensu ductus, etiam Ovidius Robiginem precatur, ut vim suam in *ferro* potius exserat propter abusum illum, de quo ad ver. 405. et propter quem crebro in ferrum invehitur. *Carpere* bene de robigine, paulatim absumere, rodere. *Otia agere*, pace frui, bona locutio; i. 68.

927. Similia apud Tibullum, I. xi. 49: "Pace bidens vomerque nitent (alii *vigent*;) at tristia duri Militis in tenebris occupat arma situs." *Sarculum* instrumentum rusticum, quo purgantur agri, i. 699. *Durus*, gravis, ut Horatius, I. Satyr. i. 28. *durum aratrum*. A gravitate noti *bidentes*, sive rastri; Terentius Heaut. I. i. 40. *Situs* pro robigine. *Ducere*, educere. *Adstrictum*, robigine adhærens vaginæ. Cæterum confer cum hoc loco i. 699—704.

933. *Mantele*, erat laneum, habebatque in superficie texti *villos*, sive lanuginem, cirros, unde *villosa mantelia* commemorantur, λάσια χειρόμακτρα. Nobiliores curabant, ut mantele, *villis tonsis*, esset læve ac molle. Talia mantelia Aristæo Nymphæ ferunt germanæ apud Virgil. Georg. iv.

At tu ne viola Cererem; semperque colonus
Absenti possit solvere vota tibi.
Dixerat: a dextra villis mantele solutis,
Cumque meri patera turis acerra fuit.
Tura focis vinumque dedit, fibrasque bidentis,
Turpiaque obscænæ, vidimus, exta canis.
Tum mihi, Cur detur sacris nova victima, quæris?
Quæsieram: causam percipe, Flamen ait.
Est canis, Icarium dicunt, quo sidere moto
Tosta sitit tellus, præcipiturque seges.
Pro cane sidereo canis hic imponitur aræ;
Et, quare pereat, nil nisi nomen habet.
Quum Phrygis Assaraci Titania fratre relicto,
Sustulit immenso ter jubar orbe suum:

377. *Fibræ* omnino exta. *Obscæna* canis nunc non dicitur ab ululatu, qui mali in auspiciis ominis, (quamquam Virgil. Georg. i. 470. sic capi potest) sed quia canis veteribus symbolum impudentiæ. Hinc et exta ejus *turpia*. Etiam Plin. ii. 5. *Obscæna animalia*. *Nova*, inusitata.

936. *Icarus*, sive *Icarius*, Atheniensis, Erigone, ejus filia, et Mæra canis inter sidera relati sunt, ita ut Icarus Bootes, Erigone Virgo et Mæra Canicula sive Procyon esset; Hyginus, fab. 130.; Poet. Astron. ii. 4.; Apollod. III. xiv. 7. Jam terra australis, Sirio inprimis, stella in Cane majore, *moto*, id est, orto, æstu intolerabili premitur; Virgil. Georg. iv. 425.: "Jam rapidus torrens sitientes Sirius Indos Ardebat." Et ad Sirium placandum plures populi sacra faciebant; Apollonius Rhodius, ii. 500. Vide Interp. ad Virgil. Georg. i. 14. Sed illam vim torrendi etiam Caniculæ, sive Procyoni poetæ tribuunt; Horatius, III. Od. xiii. 9.: "Flagrantis atrox hora Caniculæ;" xxix. 18: "Jam Procyon furit." *Præcipi* dicitur *seges*, quando ante maturitatem arescit: quam formulam Heins. Columellæ exemplis confirmat; Calpurnius, Eclog. iv. 115. sic *præfocari* dixit: "nec præfocata malignum Messis habet lolium." Vide Wernsdorfium ad Gratii Cyneg. ver. 388. Fruges a Canicula affectæ *φυτὰ ἀστροβόλητα* dicebantur, affectio ipsa *ἀστροβολία* et *sideratio*.

943—954. IV. *Kalend. Maias* sive *die* xxviii. *Aprilis, Floralia incipiunt, et Vesta in palatium translata est.* De *Floralibus*, Plin. xviii. 29.: "Itaque iidem Floralia iv. Kalend. ejusdem Maii instituerunt, urbis anno 516. ex oraculis Sibyllæ, ut omnia bene deflorescent." Numeros anni corruptos esse, Neapol. et Harduinus docuerunt; Velleius enim, I. xiv. 8. ubi narravit, Torquato Sempronioque coss. colonos missos esse Brundisium, et post triennium Spoletium, addit: "quo anno Floralium ludorum factum est initium." Id ergo incidit in annum 513.

Quum—relicto.] Similiter fere i. 461: "Proxima prospiciet Tithono

Mille venit variis florum Dea nexa coronis;
Scena joci morem liberioris habet:
Exit et in Maias sacrum Florale Kalendas.
Tunc repetam; nunc me grandius urget opus.
Aufert Vesta diem: cognato Vesta recepta est
Limine: sic jussi constituere patres.
Phœbus habet partem; Vestæ pars altera cessit:
Quod superest illis, tertius ipse tenet.
State Palatinæ laurus, prætextaque quercu
Stet domus: æternos tres habet una Deos.

nupta relicto." Nunc *Titania* vocatur Aurora, quia Hyperionis, Titanum unius, filia, Phœbi et Lunæ soror. Tithonus, conjux ejus, secundum Diodorum Sicul. Hygin. fab. 270. Apollod. et alios, fuit Laomedontis filius; secundum Servium ad Æn. vi. 493. ejus frater. Laomedontis pater fuit Ilus, *Assaraci* frater. Sic ergo apparet, quo sensu hoc loco *fratris* nomen capiendum sit; sed *Assaracum* inserere voluit, qui ille in Æneæ, atque adeo et Augusti majoribus erat: vide ad vers. 34. et 123. *Necti coronis*, ornari coronis nexis; Æneid. v. 309: "*Flavaque nectentur oliva.*" Sed de hac Dea, de Floralibus, de *jocis liberioribus* vide v. 183 sqq. in quem locum poeta illa omnia distulit. *Liberiores joci* potius lascivi erant, ut ad v. 331. videbimus. *Exeunt* in tempus quoddam, quæ ad id durant; Plinius, II. Epp. xi. 18.: "Exierunt probationes in tertium diem." Floralia durarunt in diem tertium Maii. *Exire* sic etiam v. 189. pro quo 185. *transire* positum.

949. Anno U. C. 741. die vi. Martii, Augusti titulis honos pontificis maximi accessit; iii. 415 sqq. Sed quum ita esset institutum, ut pontifex maximus in domo publica juxta Vestam habitaret, Augustus palatii sui partem publicam esse jussit, atque Vestæ hoc die dedicavit; Dio Cassius, liv. 27.: vide et Lipsium de Vesta, cap. 4. *Aufert*, sibi vindicat. *Cognato*, quod Arondel. et quatuor alii agnoscunt, magis poeticum est, quam reliquorum *cognati*. Lucem autem hoc epitheton accipit ex iii. 425.: "Ortus ab Ænea tangit cognata sacerdos Numina: cognatum, Vesta, tuere caput." Plurimus esse voluit poeta in laudando Augusto. *Constituere patres*; factum enim hoc ex senatus consulto; Verrius ad hunc diem: "Feriæ ex S. C. quod eo die ædes et Vestæ in domu Imp. Cæsaris Aug. pontificis maximi dedicata est Quirinio et Valgio coss." *Phœbus habet partem*, in alia palatii parte templum est Apollinis Palatini, quod longe celeberrimum; vide Propertium, ii. 23. De *lauris* et *corona querna* ante fores palatii, i. 614. *Prætexta* dictum ut v. 567.: "Augusto prætextum nomine templum." Quæ enim in anteriore parte ornata sunt aliqua re, ea *prætexta* dicuntur; Seneca, Epp. 89.: "Fluminum ripas ædificia prætexunt." Plinius, panegyr. 52. l.: "postibus prætexi;" de iis, quorum statuæ ante fores collocantur: vide ibi Schwarzium. *Æternos Deos*; iii. 421.: *Ignibus æternis æterni numina præsunt Cæsaris*, ubi vide notam.

LIBRI QUINTI

ARGUMENTUM.

Tres sententiæ de nomine Maii, 1—110. Ortus Capellæ et origo, 111—128. Præstites Lares, eorumque ara constituta, 129—146. Bonæ Deæ templum, 147—158. Argestes ventus et Hyadum tam ortus, quam origo, 159—182. Ludi Florales, fata, potentia, cultus Floræ apud Romanos, ratio Floralium; his inserta fabula de Martis ortu, 183—378. Centauri sideris ortus et fabula de Chirone, 379—414. Lyræ et Scorpii ortus, 415—418. Lemuria nocturna et Remi sepultura, 419—492. Orionis occasus, natales, relatio inter sidera, 493—544. Templum Martis Ultoris, Crassi clades, signa a Parthis relata, 545—598. Pleiadum ortus et æstatis initium, 599—602. Tauri sideris ortus et origo, 603—620. Simulacra scirpea de ponte mittuntur; Hercules in Latio, 621—662. Hymnus in Mercurium; ejus festum; preces mercatorum ad eum, 663—692. Sol transit in Geminos; horum origo, Pollucis et Castoris pugna cum Lynceo, 693—720. Agonalia iterum; Canis sideris ortus, 721—724. Tubilustria, 725, 726. Quatuor notæ in Kalendario, 727, 728. Fortunæ Publicæ templum, 729—732. Bootes occidit, Hyades oriuntur, 733, 734.

P. OVIDII NASONIS

FASTORUM

LIBER QUINTUS.

QUÆRITIS, unde putem Maio data nomina mensi?
Non satis est liquido cognita causa mihi.
Ut stat, et incertus qua sit sibi nescit eundum,
Quum videt ex omni parte viator iter:
Sic, quia posse datur diversas reddere causas,
Qua ferar, ignoro; copiaque ipsa nocet.
Dicite, quæ fontes Aganippidos Hippocrenes,
Grata Medusæi signa tenetis equi.

1—110. Missa præfatione, statim de *Maii nomine* dicit; resumit autem et latius tractat, quod i. 41. verbo tetigerat. Quæstioni huic grammaticæ plurimum dignitatis et gratiæ addidit. Musas invocat, ut sibi nominis causam aperiant, et, quum tres potissimum causæ ferrentur, ipsas Musas inter se dissentientes fingit, et tres ita inducit, ut sententiam deinceps dicant; ipse autem sub finem judicium suum cohibet: ita loco huic dramatis formam dedit. Simile ei est exordium lib. vi.

1. *Quæritis—mensi?*] Sic et alibi viam sibi pandit ad argumentum aliquod tractandum; Metam. ii. 512. Juno ad Deos marinos, "Quæritis, æthereis quare regina Deorum Sedibus huc adsim?" *Liquido*, certo, ut nil dubitationis restet. Etiam Macrob. i. Sat. 12. fatetur, de nomine *inter auctores latam dissensionem esse*. Quod iv. 784. tenuiter dixit, *Turba facit dubium, cœptaque nostra tenet*, id nunc similitudine quadam exornat, *Ut stat*, etc. *Posse datur*, res talis est, ut possim; facultas mihi est.

7. Pegasus, e sanguine *Medusæ* ortus, (Metam. iv. 784.) *Hippocrenen* ungula rupit. Ibid. v. 275. Interpr. Gallicus hunc fontem et *Aganippida* (sic ille) pro eodem habet. Immo *Aganippe* alius fons Musarum et Apollinis in Helicone, isque ad Musarum lucum tendentibus ad lævam; Pausan. Bœot. p. 766. Itaque Metam. v. 312: *Fons Medusæus* et *Hyanthea Aganippe* diserte distinguuntur. Inde Musæ *Aganippides* dicuntur, et *Aga-*

Dissensere Deæ; quarum Polyhymnia cœpit
Prima: silent aliæ; dictaque mente notant:
Post chaos, ut primum data sunt tria corpora mun-
Inque novas species omne recessit opus; [do,
Pondere terra suo subsedit, et æquora traxit;
At cœlum levitas in loca summa tulit.
Sol quoque cum stellis nulla gravitate retentus,
Et vos Lunares exsiluistis equi.
Sed neque terra diu cœlo, nec cætera Phœbo
Sidera cedebant: par erat omnis honos.

nippis Hippocrene nil est, nisi Hippocrene Musis sacra. *Signa*, vestigia. Aliæ Musæ *silebant* tantum, quamdiu *Polyhymnia* canebat. Porro Heinsius *Polymneia* scribi volebat, quia Græci Πολυμνηΐα et Πολύμνεια· quod idem et apud Horatium, I. Od. i. 33. Aldo et Cruquio videbatur. Apud Virgil. Cir. 55. edd. vett. *Polymnia*, quod ibi Heynio doctius ac verius videtur, ut Musa sit memoriæ rerum servandæ invigilans. *Mente notant*, qui cupide aliquid audiunt, ut teneant; iii. 178.: *memori pectore dicta nota*; Metam. xiii. 788.: "auribus ausi Talia dicta meis, auditaque mente notavi."

11—54. Prima sententia, qua Maius a *Majestate*, Honoris et Reverentiæ filia, nomen habet. Macrob. Saturn. i. 12: "Sunt, qui hunc mensem ad nostros Fastos transisse commemorent, apud quos nunc quoque vocatur Deus Maius, qui est Jupiter, a magnitudine ac majestate dictus." Hæc igitur Noster ingenioso figmento allegorico, quod haud dubie poetæ antiquiori debet, exornavit.

Post chaos—equi.] Ab initio rerum, a prima origine mundi, quam nobis per partes ostendit, ut i. 103; Metam. i. 1 sqq.; xv. 239. Confer et Tibullum, IV. i. 19—23. *Post chaos*, postquam e rudi illa mole mundus effictus erat. In illis locis Ovidius quatuor *corpora* aut *species*, id est, elementa, cum Empedocle numerat, nunc *tria*; aera enim et æthera *cœli* nomine complectitur. *Opus*; quidam *onus*, quod non spernendum arbitror; intelligitur enim chaos, quod Metam. i. 8. *pondus iners* vocatur. Id *recessit*, sectum est. De sole et luna *exsilire*, ut Metam. i. de igne *emicare*.

17. Omnes pares erant dignitate. Hic miscet partes mundi et deos; illæ enim e cosmogonia antiqua personæ erant divinæ. Lenzius putat, describi hic paritatem in conviviis deorum, et respexisse poetam mores Romanorum in triclinio; quod ego non arbitror. Hoc unum vult, sedebant promiscue in conventibus. De *plebe* Deorum, id est, Diis secundi ordinis, vide ad Met. i. 173. *Oceanus*, unus ex Titanibus, Cœli et Terræ filius, adeoque *Saturni* frater. Ipse adeo et *Tethys* conjux in antiquissimis erant diis, quorum reverentia sæpe deos movit; Metam. ii. 510. Antiquis terrarum incolis opponebantur, cum contemtu plerumque, *advenæ*, id est, peregrini. Itaque poeta diis quoque antiquis *advenas*, novos et humiliores deos, opposuit. Lenzius putabat, plebeios ideo, *advenas* dici, quia longius a Jovis palatio habitarint; Metam. i.

Sæpe aliquis solio, quod tu, Saturne, tenebas,
  Ausus de media plebe sedere deus.
Et latus Oceano quisquam deus advena junxit;
  Tethys et extremo sæpe recepta loco est:
Donec Honos, placidoque decens Reverentia vultu
  Corpora legitimis imposuere toris.
Hinc sata Majestas; hos est dea censa parentes;
  Quaque die partu est edita, magna fuit.
Nec mora; consedit medio sublimis Olympo
  Aurea, purpureo conspicienda sinu.
Consedere simul Pudor, et Metus: omne videres
  Numen ad hanc cultus composuisse suos.
Protinus intravit mentes suspectus honorum:
  Fit pretium dignis; nec sibi quisque placet.

173. Verum illa cœli domiciliorumque cælestium descriptio Saturni tempore nondum erat; neque a regis domo longius remoti *advenæ* dici possunt. Burmannus legeret: *Et latus Oceano, quamvis deus advena, junxit,* addita hac interpretatione: licet et esset minorum gentium et adscititius quasi deus, qui longe stare ab Oceano deberet, sedit ille tamen eodem ordine, quo Oceanus. *Recepta est,* sedes ei relicta est, cæteris jam considentibus.

23—34. Paulatim *honore* afficiebantur, *reverenter*que colebantur dii muneribus et meritis insignes; atque ita *majestas* illis accessit; ex hac sententia præclara allegoria effloruit. *Reverentia* bene describitur; ei enim *placidus vultus* convenit, isque *decorem* quemdam conciliat. *Toros legitimos.* Lenzius intelligit lectos triclinares pro sua cuique dignitate convenientes. Putem, his verbis concubitum legitimum, conjugium describi. *Hinc, ex eo matrimonio, sata Majestas. Censeri aliquid,* in censum deferre, atque adeo possidere, habere; ex l. Ponto, ii. 138: "Est inter comites Marcia censa suas," habuit inter comites. Ita et Cicero pro Flac. 32. et alibi. Male igitur et hoc loco interp. quidam, et Lipsius ad Taciti Annal. i. 5. putarunt, passivum *censeri* poni pro activo. Vide Gronovii Obs. iv. 3. *Quaque die,* etc. Nempe majestas non crescit ab exiguis initiis. *Medio,* in arce Olympi, inde *sublimis. Aurea,* etc. de hoc ornatu vide ad ii. 310. ubi *Mæonis aurato conspicienda sinu.*

29. Qui majestate ornatus est, eum *metuunt* cuncti, id est, reverentur, coram eo timent aliquid facere *pudore* dignum; Livius, xxii. 3: "non modo Patrum majestatis, sed ne deorum quidem satis metuens." Hinc *Majestati* assident *Pudor* et *Metus.* Lenzius comparat Hesiodi Ἔργ. 200; ubi Αἰδὼς καὶ Νέμεσις, Pudor et Nemesis, relictis hominibus, deos adeunt. Confer ad versum 45. *Cultus,* id est, vestitus, bene dicitur *componi;* Plin. iv. Ep. xi. 3: "Postquam se composuit, circumspexitque habitum."

31. *Suspectus,* admiratio. Intrare, ut alibi *subire,* de iis, quæ oriuntur

Hic status in cœlo multos permansit in annos,
  Dum senior fatis excidit arce deus.
Terra feros partus, immania monstra, Gigantas
  Edidit, ausuros in Jovis ire domum.
Mille manus illis dedit, et pro cruribus angues;
  Atque ait: In magnos arma movete deos.
Exstruere hi montes ad sidera summa parabant,
  Et magnum bello sollicitare Jovem.
Fulmina de cœli jaculatus Jupiter arce,
  Vertit in auctores pondera vasta suos.
His bene Majestas armis defensa deorum
  Restat; et ex illo tempore firma manet.
Adsidet illa Jovi; Jovis est fidissima custos;
  Et præstat sine vi sceptra tremenda Jovi.
Venit et in terras: coluerunt Romulus illam
  Et Numa; mox alii, tempore quisque suo.

in animo. *Status*, rerum conditio. *Dum senior*, etc. donec Saturnus in tartara missus est. De *fatis*, ex quibus id factum, vide ad iv. 197.

35. De *Gigantibus*, Terræ filiis, Metam. i. 151. sqq. *Ausuros*, deposita reverentia, spretaque Jovis majestate. *Ire in aliquem* etiam de hostili impetu. Matre impellente, regnum cœleste illi affectabant, et " centum quisque parabant Injicere anguipedum captivo brachia cœlo " Metam. i. 183. Sed hoc loco illa descriptio *Mille manus*, etc. numeros Ovidianos parum referre Heinsio videbatur, licet eam etiam Scholiast. Statii ad v. Theb. 569. sic exhibeat. Mallet ergo *Mille manus et mille dedit pro cruribus angues*. Parum tamen aberat, quin crederet, totum distichon ab interpolatoris manu esse; potest sane salvo sensu abesse. *Pondera vasta*, montes congestos, quos Jupiter vertit in *auctores suos*, eos, qui congesserant; unde illi *mole sua* obruti jacebant Metam. i. 156.

43. Sic salva mansit majestas deorum, nec quisquam postea spernere eam ausus est. *Adsidet*, etc. Σύνθρονος Jovi est, ut apud Æschylum Cœph. 243. Κράτος καὶ Δίκη, quibus ille mundum regit; apud Callimach. hymn. Jov. 67. Βίη καὶ Κράτος, quibus imperium debet; et apud Horatium, I. Od. xii. 20. *Pallas*, quam in consilium adhibet. *Custos*. Etiam dii tutores et conservatores rerum hominumque *custodes* dicuntur; Horatius, I. Od. xxxvi. 3. Pro *illa* Taubnero aliorum *inde* non displicebat; sed jam antea adsederat. *Præstat*, etc. facit, ut omnes sola reverentia moti, metuant Jovem, neque ille *vim*, fulmina, rursus adhibere cogatur.

47. Etiam in terra regibus, magistratibus, aliisque hominibus majestas tribuitur. Ac *Romulus* quidem, ut leges latæ generi hominum agresti

Illa patres in honore pio matresque tuetur;
Illa comes pueris virginibusque venit;
Illa datos fasces commendat, eburque curule;
Illa coronatis alta triumphat equis.
Finierat voces Polyhymnia: dicta probarunt
Clioque, et curvæ scita Thalia lyræ.
Excipit Uranie: fecere silentia cunctæ;
Et vox audiri nulla, nisi illa, potest:
Magna fuit quondam capitis reverentia cani,
Inque suo pretio ruga senilis erat.
Martis opus juvenes, animosaque bella gerebant;
Et pro dîs aderant in statione suis.
Viribus illa minor, nec habendis utilis armis,
Consilio patriæ sæpe ferebat opem:

sanctæ essent, "se ipse venerabilem insignibus imperii fecit, et cum cætero habitu augustiorem, tum maxime lictoribus;" Livius, i. 8. *Coluerunt*, magni eam fecerunt, putarunt multum ea effici. *Alta*, sublimis in curru triumphali. *Scita*, perita.

55—78. Altera sententia, quæ fuit Fulvii Nobilioris. Macrobius, Sat. dicto loco: "Fulvius Nobilior in Fastis, quos in æde Herculis Musarum posuit, Romulum dicit postquam populum in majores minoresque divisit, ut altera pars consilio, altera armis rempublicam tueretur, in honorem utriusque partis hunc Maium, sequentem Junium mensem vocasse." Eam sententiam Ovidius, I. 41. amplexus est, et infra 527.

57. Priscis temporibus senectus in summo honore ponebatur, quia rerum gravissimarum scientia non nisi diuturno usu comparari poterat. Ὁ γὰρ χρόνος δίδαγμα ποικιλώτατον, Euripid. Belleroph. fragm. 22. Honestissimum ejus domicilium Lacedæmone erat; Cic. Senect. 18. ubi id agit, ut senectutis honoratæ auctoritatem in luce collocet. Noster quum dicit *canum caput* et *ruga senilis*, ut poeta et e sensu vulgi loquitur; Cicero contra dicto loco, ut philosophus: "Non cani, non rugæ repente auctoritatem arripere possunt," sed vita superior bene acta. Juventutem et senectam etiam Aristotel. Polit. vii. 9. sic comparat: ἡ μὲν δύναμις ἐν νεωτέροις, ἡ δὲ φρόνησις ἐν πρεσβυτέροις ἐστίν. Inde cuique sua tribuebant munera. Eurip. Melan. fragm. 17: Παλαιὸς αἶνος· Ἔργα μὲν νεωτέρων, Βουλαὶ δ' ἔχουσι τῶν γεραιτέρων κράτος. In ἔργοις erat inprimis *Martis opus*, quod etiam ab Homero Ἄρεως ἔργον dicitur. *Animosa*, ubi milites animos suos declarant. Ut hoc eorum opus commendaret, addidit: *pro dis aderant in statione suis*, pugnabant pro aris et focis. *Statio*, locus, ubi milites stant ejus defendendi causa. In *statione* igitur *adesse* aut est, ut Florus, I. i. 15. de his ipsis juvenibus ait, "ad subita belli excubare," aut latiore sensu, bella gerere.

61. Non statim apparet, quo refe-

Nec nisi post annos patuit tunc curia seros;
Nomen et ætatis mite senatus erat.
Jura dabat populo senior: finitaque certis
Legibus est ætas, unde petatur honos.
Et medius juvenum, non indignantibus ipsis,
Ibat; et interior, si comes unus erat.
Verba quis auderet coram sene digna rubore
Dicere? censuram longa senecta dabat.
Romulus hoc vidit; selectaque pectora Patres
Dixit: ad hos urbis summa relata novæ.

rendum sit pronomen *illa*. Equidem senectutem intelligo, cujus vis latet in *ruga*. *Habendis*, tractandis. *Consilio*, etc. Cicer. Senect. 6: "Consilio, auctoritate, sententia res magnæ geruntur, quibus non modo non orbari, sed etiam augeri senectus solet." Adde reliqua, quibus docet, maximas respublicas ab adolescentibus esse labefactas, a senibus sustentatas.

64. Senatus dictus est a nomine *mitis*, sive maturæ ætatis. Juventus est *fervida*, senectus *mitis*; Metam. xv. 209: "Excipit autumnus, posito fervore juventæ, Maturus mitisque, inter juvenemque senemque Temperie medius." Dionysius Halicarn. ii. 12. incertum relinquit, utrum ob senectutem, an ob virtutem γερουσίας sive *senatus* nomen acceperit; non ita dubitavit Cic. Senect. 6: "Consilium, ratio, sententia nisi essent in senibus, non summum consilium majores nostri appellassent senatum. Apud Lacedæmonios quidem ii, qui amplissimum magistratum gerunt, ut sunt, sic etiam nominantur senes." Sic et Plutarchus in Romulo, 13. et alii. *Finitaque*, etc. Jam primis reipubl. Roman. temporibus matura ætas spectabatur in magistratibus creandis. Hinc anno U. C. 539. Cornelio Scipioni ædilitatem spectanti obstiterunt tribuni plebis, quod nondum ad petendum legitima ætas esset; Livius, xxv. 2; sed serius Villius, trib. plebis legem annalem tulit, qua anni singulorum honorum definiti sunt. Vide Ducker. ad Livium dicto loco. *Finita* igitur, definita.

67. Non modo in republica, privatim quoque honorabatur senectus; vid. Cicero Senect. 18. Locum *medium* fuisse apud Romanos aliosque populos honoratissimum, etiam ex Sallustio, Jugurt. xi. 3. et Minuc. Octav. 4. apparet. Reliqui duo *latus* medii *tegere* dicebantur. *Juvenum*, inter juvenes. *Non indignantibus ipsis*, forte per Λιτότητα dictum, quum illi libenter id honoris concederent. Sic major est reverentia. *Interior*, Horatius, II. Sat. v. 17: "Ne tamen illi Tu comes exterior, si postulet, ire recuses;" ibi Gesnerus: "*Interior* de duobus una euntibus est, qui ad parietem it, sive dexter, sive sinister; *exterior*, qui ab illa exteriore parte, qua non ita munitus est, latus illi claudit vel tegit." *Censura*, jus castigandi turpiter vel loquentes, vel agentes cum respectu tamen ad censoris munus. Longa senecta quemque reddebat quasi morum magistrum; conf. Plutarchi Institut. Lacon. s. 3 et 4.

71. *Selecta*, præstantia. *Pectora*,

Hinc sua majores posuisse vocabula Maio
Tangor, et ætati consuluisse suæ.
Et Numitor dixisse potest; Da, Romule, mensem
Hunc senibus; nec avum sustinuisse nepos.
Nec leve præpositi pignus successor honoris
Junius, a juvenum nomine dictus, habet.
Tum sic, neglectos hedera redimita capillos,
Prima sui cœpit Calliopea chori:
Duxerat Oceanus quondam Titanida Tethyn,
Qui terram liquidis, qua patet, ambit aquis.

capita et *corpora* ponunt Latini, ubi nos personas, homines dicimus. Vulgo legitur *corpora*; sed Heinsius *pectora* prætulit, quia de consilii, non virium præstantia agitur. Quæsitum jam olim, cur *Patres* dicti; Sallustius Catil. vi. 6: "Ili vel ætate, vel curæ similitudine Patres appellati." Plutarcho in Romulo, 13. credibile videtur, Romulum hoc nomine admonuisse et senatores, ut paterno affectu cives amplecterentur, et plebem, ne vel horrerent illos, vel inviderent iis. Quid Ovidius senserit, loci series indicat. Romulus *hoc vidit*, spectavit, effici voluit, ut plebs revereretur senatores. *Summa urbis* in se est vel summum imperium urbis, vel urbs universa, vel id, unde salus urbis pendet. Quid Romulus ad senatores retulerit, e rerum scriptoribus patet; secundum Dionys. Halic. ii. 12. elegit, quibuscum rempublicam administraret, *μεθ' ὧν πράττειν τὰ κοινὰ ἔμελλεν*· Eutropius, i. 1: "quorum consilio omnia ageret."

74. *Tangor*, inducor, ut credam. *Ætati consuluisse suæ*, ætati suæ hunc honorem habuisse. *Non sustinet* alterum, qui non potest non satisfacere ejus precibus; Met. xiv. 788: "nec Nymphæ justa petentem Sustinuere deam;" Liv. xxxi. 13: "Senatus querentes eos non sustinuit." *Nec leve*, etc. eamdem etymologiam satis confirmat et hoc, quod mensis sequens Junius a juvenibus nomen habet. Sed *Junii* quoque nomen ambiguum; vi. init. *Pignus*, quidquid rem certam facit aut tutam, ergo et argumentum. Junius *succedit* ordine, ergo et *honore*; sic Lenzius. Potest tamen *honoris* cum *pignus* conjungi, quod melius puto.

79—110. Tertia sententia, ex qua mensis a Maia, Mercurii matre, dictus. Macrobius dicto loco: "Cincius mensem nominatum putat a Maia, quam Vulcani dicit uxorem; argumentoque utitur, quod flamen Vulcanalis Kalendis Maiis huic deæ rem divinam facit;" et mox: "Contendunt alii, Maiam, Mercurii matrem, mensi nomen dedisse," etc. Calliope *prima chori*, quia præerat epico carmini; Met. v. 662. *maxima* Musarum vocatur; et ibid. 339. canere incipit: "immissos hedera collecta capillos." Mulieres domi sedentes capillos in faciem immissos, aut sparsos per humeros et defluentes habebant; ii. 772; cantaturæ colligebant eos nodo, ut dicturi togam componebant. *Hedera* doctarum frontium decus.

82. *Qui terram*, etc.] Met. i. 187: "qua totum Nereus circumtonat orbem." Sed Heinsius hoc loco *Quæ*

Hinc sata Pleione cum cœlifero Atlante
Jungitur, ut fama est; Pleiadasque parit.
Quarum Maia suas forma superasse sorores
Traditur, et summo concubuisse Jovi.
Hæc enixa jugo cupressiferæ Cyllenes,
Ætherium volucri qui pede carpit iter.
Arcades hunc, Ladonque rapax et Mænalos ingens
Ritc colunt, luna credita terra prior.
Exsul ab Arcadiis latios Evander in agros
Venerat; impositos adtuleratque deos.
Hic, ubi nunc Roma est orbis caput, arbor et herbæ,
Et paucæ pecudes, et casa rara fuit.
Quo postquam ventum; Consistite, præscia mater,
Nam locus imperii rus erit istud, ait.
Et matri et vati paret Nonacrius heros;
Inque peregrina constitit hospes humo.
Sacraque multa quidem, sed Fauni prima bicornis
Has docuit gentes, alipedisque dei.

malit. Sane *Tethys* æque bene pro mari ponitur, ut *Amphitrite*, Neptuni uxor Met. i. 14. *Oceanus*, Cœli et Terræ filius, unus ex Titanibus, *Tethyn* sororem habuit, Iapetum fratrem. Iapeti filius *Atlas Pleionem*, Oceani filiam, duxit, quæ in Cyllene, omnium montium Arcadiæ altissimo, *Pleiadas* enixa est; Apollodorus, I. i. 3; ii. 3; III. x. 1. *Atlas τοῖς ὤμοις τ�ον οὐρανὸν ἔχειν* dicebatur; hinc passim a poetis latinis *cælifer* vocatur, quod Heinsius exemplis docet. Hoc ergo et nunc præferendum aliorum *stellifero*. De *Pleiadibus* iv. 169 sqq. Maia eo ipso in monte, in quo mater Pleiadas, Mercurium peperit, qui inde *Cyllenius* dicitur. Arcadiæ montibus alias *pineta* tribuuntur; ii. 275; Met. i. 217; sed nec *cupressi* in Arcadia infrequentes; Pausanias, p. 646; idem, pag. 519. et 633. de *cultu* Mercurii apud Arcadas agit. *Ladon rapax* etiam ii. 274; *Ladon* et *Mænalos* cum colunt, quia ad illum et in hoc templa habebat. De Arcadibus *luna prioribus* ad i. 469. dictum.

91. Mercurii cultus mature in Italiam translatus; itaque mensis a matre ejus dici potuit. De adventu *Evandri* et vaticinio Carmentæ matris i. 499 sqq. *Arcadiis*, scilicet agris. *Impositos*, scilicet navi suæ; quos deos Latio *adtulerit*, Dionysius Halicarn. i. 32 sqq. narrat. *Hic, ubi*, etc. Hoc Ovidius sæpius repetit et inculcat; confer i. 515; ii. 280; iii. 71. *Nonacrius*; vide ad i. 478; ii. 167. *Heros*, quia Mercurii et Nymphæ filius; i. 471. *Paret* Carmentæ duabus ex causis, quia *et mater, et vates.*

99. *Sacra multa.*] Dionysius Halic.

Semicaper, coleris cinctutis, Faune, Lupercis;
Quum lustrant celebres vellera secta vias.
At tu materno donasti nomine mensem,
Inventor curvæ, furibus apte, fidis.
Nec pietas hæc prima tua est: septena putaris,
Pleïadum numerum, fila dedisse lyræ.
Hæc quoque desierat; laudata est voce sororum.
Quid faciam? turbæ pars habet omnis idem.
Gratia Pieridum nobis æqualiter adsit;
Nullaque laudetur plusve minusve mihi.

i. 32. ubi plures deos ab Evandro et Carmenta allatos enumeravit, pergit: *πολλὰ δὲ καὶ ἄλλα τεμένη καὶ βωμοὺς καὶ βρέτη θεῶν καθωσίωσαν. Alipedem deum* ille non nominat, sed quidni Evander patris sui cultum invexerit? *Faunus* hic obiter tantum memoratur, quia *Lupercalia*, (de quibus, ii. 267—449.) celeberrima. De *Fauno* dictum ad ii. 267. ubi et *bicornis* vocatur. *Semicaper*, ut iv. 752; Metam. xiv. 515. Pro eo ii. 361. *cornipes*. *Cinctuti* quo sensu Luperci dicantur, apparet e Plutarcho, Quæst. Rom. tom. vii. p. 131. ubi currunt *ἐν περιζώμασι*, cincti subligaculis. *Vellera*, pelles caprarum mactatarum, quas Luperci sectas manibus tenebant, quibusque mulieres obvias verberabant; Plutarchus dicto loco, et in Rom. 21. Confer supra ii. 425 sqq. *Lustrant*, Lupercalia enim erant *καθάρσια*, lustralia. *Materno donasti*, etc. Hoc quidam inde maxime probabant, quod hoc mense mercatores omnes Maiæ pariter atque Mercurio sacrificabant; Macrobius, i. Saturn. 12; confer infra ver. 671 sqq. *Inventor*, etc. Horat. I. Od. x. 6: "Curvæ lyræ parens." Primum lyram e testudine, intensis nervis vel ovium vel boum Apollinis abactarum fecit; Homer. hymn. Mercur. 25; Apollodor. III. x. 2. Lyra major *septem* chordarum erat; quem numerum Mercurius Pleïadibus dedisse ingeniose dicitur; sic ille *pius* in sorores; nunc *pietas* in matrem accessit. De ejus attributis plura infra 663 sqq. Et de *Pleiadibus* iv. 169 sqq.

108. Paulo obscurius scripsit Ovidius, itaque dissentire interptt. videas in his verbis explicandis. Marsus: quasi unaquæque Musa habet idem in me juris, et quum singulæ singulis rationibus innitantur, nescio, quam magis adfirmem. Taubnerus: unaquæque Pieridum idem nunc habet sive existimat, quod jam Calliope dixerat; ergo nunc fas est, me quoque assentiri. Lenzius: quæque trium illarum canentium *habet idem turbæ*, id est, æqualem numerum sibi assentientium, nempe binas; ergo non audeo quidquam decernere. Sensus verborum *Gratia—mihi* certus est: nolo in hujus vel illius Musæ sententiam ire, quia omnes mihi favere volo. Qui sensus confirmatur etiam verbis vi. 97—99. in fine similis figmenti, ubi res clarius indicata est. Ergo etiam in prioribus explicandis *turbæ pars*, etc. Lenzio assentior. Major pars nihil decernere poterat; vota erant paria. Sic et Krebsius. Cæterum alibi poeta Uraniæ assentitur, ut ver. 427; i. 41.

Ab Jove surgat opus: prima mihi nocte videnda
Stella est in cunas officiosa Jovis.
Nascitur Oleniæ signum pluviale Capellæ:
Illa dati, cœlum, præmia lactis habet.
Naïs Amalthea, Cretæa nobilis Ida,
Dicitur in silvis occuluisse Jovem.
Huic fuit hædorum mater formosa duorum,
Inter Dictæos conspicienda greges,
Cornibus aeriis atque in sua terga recurvis,
Ubere, quod nutrix posset habere Jovis.

111—128. *Kalendis Maiis Capellæ ortus* vel heliacus, ut vult Neapolis, vel, quod Taubnero magis placet, matutinus. Secundum Plin. xviii. 66. in viii. Iduum Maii incidit. Ad latus septemtrionale viæ lacteæ sidus est Heniochi, in cujus humero sinistro stella clarissima fulget, cui *Capellæ* nomen inditum; idemque manu *duos hædos* tenet duabus stellis formatos; Geminus, p. 45; Hyg. Poet. Astron. iii. 12. Harum stellarum origo hic narratur; sed magna varietate olim hæc res tractata est.

Ab Jove, a Capella, Jovis nutrice. Sed maluit alterum, ut sententiam assimilaret illis: "A Jove Musarum primordia" apud Arat. et Ζηνὸς τί λωΐτον ἀείδειν, apud Callimach. hymn. Jov. 1. *Surgat* elegantius quam, incipiat; Trist. ii. 559: "Surgens ab origine prima mundi opus."

113. Musæus tradiderat, Jovem a Themide et *Amaltheæ* Nympha esse educatum; hanc capram habuisse in deliciis, quæ lac præberet. Theon. ad Arat. 64. ubi poeta Ὠλενίην αἶγα memorat, *Amaltheam* facit *Oleni* filiam. Parmeniscus, qui et ipse in Aratum commentatus erat, scripserat, ad Melissei, regis *Cretensium*, filias (quas Adrasteam et Idam Apollodorus vocat) Jovem nutriendum esse delatum; eas vero, quum lac non haberent, capram admisisse *Amaltheam* nomine; eam *geminos hædos* illo tempore esse enixam, qui cum matre inter sidera sint relati. Vide scriptores modo laudatos.

Nascitur, oritur. *Pluvialis Capella* etiam Plinius, xviii. 26. quia ortu suo pluviam nuntiat. Sidera eleganter *signa* vocantur; vide Ernest. Clav. Cicer. hac voce. Eadem *cœlum habere* dicuntur; Art. Amat. i. 557: *Munus habe cœlum.*

119. *Aeria*, in aera se adtollentia, alta; sic *aerii montes*, *aeriæ arbores* apud poetas. *Trunca*, privata; Metam. ix. 1. *frons trunca*, cui alterum cornu revulsum. Ib. 93. hæc revulsio *ablati jactura decoris* vocatur. Serta ex *herbis* aut floribus frequentior ornatus apud veteres. Pherecydes, qui in hac fabula nihil de capella habuerat, Amaltheam, Hæmonii filiam, tradiderat *cornu* habuisse, quod potulenta et esculenta largiter præberet; Apollodor. II. vii. 5. Et veteres cornibus varie utebantur, etiam ad fruges servandas; Met. ix. 91. Nympha fert *totum prædivite cornu Autumnum.* Hoc igitur fundamentum fabulæ fuisse videtur; *cornu* fecit, ut mox *capella* interponeretur.

Lac dabat illa deo: sed fregit in arbore cornu;
Truncaque dimidia parte decoris erat.
Sustulit hoc Nymphe; cinctumque recentibus her-
Et plenum pomis ad Jovis ora tulit. [bis,
Ille, ubi res cœli tenuit, solioque paterno
Sedit, et invicto nil Jove majus erat;
Sidera nutricem, nutricis fertile cornu,
Fecit; quod dominæ nunc quoque nomen habet.
Præstitibus Maiæ Laribus videre Kalendæ
Aram constitui, signaque parva deûm.
Voverat illa quidem Curius: sed multa vetustas
Destruit, et saxo longa senecta nocet.
Causa tamen positi fuerat cognominis illis,
Quod præstant oculis omnia tuta suis.
Stant quoque pro nobis, et præsunt mœnibus urbis,
Et sunt præsentes, auxiliumque ferunt.

125. *Res cœli*, imperium cœli, ut Livius, i. 32. *res ad Patres redit*, aut cœlum ipsum; Metam. ii. 513. Juno: *pro me tenet altera cœlum*. *Fertile*, quia plenum pomis.

129—147. *Kaleudis iisdem Laribus Præstitibus ara constituta.* De *Laribus* vide ad ii. 615; de *Laribus præstitibus* conf. Plutarch. Quæst. Rom. tom. vii. Opp. p. 119. Reisk. qui πραιστίτας vocat, narratque non modo *canem* iis adstare, sed caninis etiam pellibus eos amiciri, ejusque rei causam adfert duplicem: 1° eamdem, quam Ovidius, eos præesse ædibus, curam canum agere, et terrere alienos, qualis et sit natura canum; 2° Lares esse genios diros ad puniendum factos.

Curius.] Haud dubie Manius ille Curius Dentatus, qui Sabinos vicit, et de Pyrrho rege triumphavit. Cultus tamen Larium Romæ antiquior, ut ad ii. 615. vidimus. Olim autem edebatur: *Ara erat illa quidem Curibus*; in quibus forte vera lectio latere potest. Nam primus ædem Laribus exstruxisse T. Tatius, Sabinorum rex, a Varrone traditur. *Multa*. Ut vetustas multa destruit, ita et saxis nocet. Destructa esse illa signa, ver. 144. diserte dicit; nunc vero sententia generali utitur, cui similis est alia apud Plinium, paneg. lv. 9: "Arcus enim et statuas, aras etiam templaque demolitur et obscurat oblivio." *Senecta* pro vetustate.

134. Comparat Neapolis e Martiano Capella hæc: "Specialis singulis mortalibus genius admovetur, quem et Præstitem, quod præsit gerundis omnibus, vocaverunt." Sed in vocabulis *Quod præstant—auxiliumque ferunt* multum redundantiæ est; singulæ enim formulæ eodem redeunt; namque etiam *præsentia* dei in auxilio cernitur, quod nobis fert. *Præsunt mœnibus urbis*; erant enim etiam publici Lares, ut ad ii. 615. admonitum.

At canis ante pedes, saxo fabricatus eodem,
Stabat: quæ standi cum Lare causa fuit? [que.
Servat uterque domum, domino quoque fidus uter-
Compita grata deo; compita grata cani.
Exagitant et Lar, et turba Diania fures;
Pervigilantque Lares; pervigilantque canes.
Bina gemellorum quærebam signa deorum,
Viribus annosæ facta caduca moræ:
Mille Lares, Geniumque ducis, qui tradidit illos,
Urbs habet; et vici numina trina colunt.
Quo feror? Augustus mensis mihi carminis hujus
Jus dabit: interea diva canenda Bona est.

138. *Stabat*, nempe ad Curii aram. *Grata deo*, inde Lares Compitales dicti, et in compitis culti; Dionysius Halicarn. iv. 24. *Grata cani;* in compita enim purgamenta et sordes abjiciebantur; Erhard. Symb. in Petronium, 134. Inde apud Phædrum, I. fab. xxvii. 11: *Canis trivio conceptus.* Lares dea Muta *gemellos* pepererat; ii. 615. Eorum signa a Curio posita quum quæreret Ovidius, non reperit eadem, quippe caduca facta, alios vero *Lares mille* vidit. Erant enim Romæ 265. compita Larium, auctore Plinio iii. s. 9. p. 156. Harduini. Jam, quoniam Augustus *Compitales Lares ornare bis anno instituit, vernis floribus et æstivis,* (Suetonius August. 31.) propterea hic quoque poeta occasionem captat ei adulandi. Lares et *Genii* sæpe conjunguntur; *Genius* enim deus, in cujus tutela quisque vivit. *Genium* Cæsaris cives Romani colere solebant. Minuc. Felix in Octav. xxix. 6: "Sic ejus nomen vocant, ad imagines supplicant, genium, id est dæmonem ejus implorant." Horatius, IV. Od v. 34. ad Augustum: *Laribus tuum Miscet numen.* Atque etiam nunc *dux* est Augustus; etiam Persius, Satyr. vi. 48. *deos geniumque ducis* nominat.

148—158. *Kalendis Maiis etiam Bonæ deæ ædes dedicata.* Etiam de hac dea, quæ Græcis *θεὸς γυναικεία* dicta, variæ erant veterum opiniones. Cornelius Labeo auctor erat, Maiæ ædem Kalendis Maiis dedicatam esse sub nomine Bonæ Deæ; eamdem deam et Faunam, Opem, Fatuam dictam; Macrobius, i. Saturn. 12. ubi et aliæ sententiæ recensentur. Varro Fauni filiam tradiderat, adeo pudicam, ut extra gynæceum nunquam sit egressa, nec nomen ejus in publico fuerit auditum, ut nec virum unquam viderit, nec a viro sit visa; unde factum sit, ut viro templum ejus ingredi non licuerit; sed locus classicus de hac dea ejusque sacris est apud Plutarchum in Vita Cæsaris, cap. 9; secundum eum Phryges eam sibi vindicarunt domesticam, Midæ matrem, Romani autem Fauni conjugem dixerunt.

Est moles, etc.] Templum intelligi, in monte Aventino positum, certum est; ei enim monti *Remus institerat* aves consulturus; Livius, i. 6. Negat tamen Neapolis, qui putat designari

Est moles nativa; loco res nomina fecit:
  Appellant saxum; pars bona montis ea est.
Huic Remus insiterat frustra, quo tempore fratri
  Prima Palatinæ signa dedistis aves.
Templa Patres illic, oculos exosa viriles,
  Leniter adclivi constituere jugo.
Dedicat hæc veteris Clausorum nominis hæres,
  Virgineo nullum corpore passa virum.
Livia restituit; ne non imitata maritum
  Esset, et ex omni parte secuta virum.
Postera quum roseam pulsis Hyperionis astris
  In matutinis lampada tollit equis;

alteram deæ ædem in regione duodecima. *Oculos exosa viriles*, quia viris accessus non dabatur; Plutarchus dicto loco Ἄνδρα δὲ προσελθεῖν οὐ θέμις, οὐδ' ἐπὶ τῆς οἰκίας γενέσθαι τῶν ἱερῶν ὀργιαζομένων. Noster, Art. Amator. iii. 637: "quum fuget a templis oculos Bona diva virorum." Quicumque vir illa sacra vel imprudens adspexisset, eum oculis orbari credebant; Tibullus. I. vi. 24. Causam ejus rei reddidit Varro, loco modo allato. De *Clausorum* gente, et de Claudia Quinta, virgine sancta, illius nominis herede, vide ad iv. 305; quamquam nunc et alia virgo intelligi potest Claudia. *Liviæ* autem opus etiam i. 649. laudatur.

159—182. *Die secundo, aut* vi. *Nonarum Argestes ventus surgit, et Hyades oriuntur.*

Hyperionis et Thiæ filia Aurora; ei *lampas* tribuitur, sive fax et quidem *rosea;* eum enim colorem omnia referunt, quæ Auroræ sunt. *Tollit in equis*, vecta equis, nempe bigis; Æn. vii. 26. "Aurora in roseis fulgebat lutea bigis;" Tibullus, I. iii. 93: "Luciferum roseis candida portat equis." *Argestes*, ventus ab occasu solstitiali, hoc est, septemtrionali, et *frigida* parte occidentis, flans, qui idem et Corus; Plinius, ii. 47; sed Seneca Nat. Qu. v. 16. discrimen facit: "A solstitiali occidente Corus venit, qui apud quosdam Argestes dicitur. Mihi non videtur; quia Cori violenta vis est, et in unam partem rapax; Argestes fere mollis est, et tam euntibus communis, quam redeuntibus." In nostrum Argestem convenit, quod ille de Coro dicit; sed et Plin. xviii. 77: "Corus flat ab occasu solstitiali et occidentali latere septemtrionis, a Græcis dictus Argestes, ex frigidissimis et ipse." *Miscebit* dicitur de vehementioribus motibus tam ventorum, quam civitatum. Sed *mulcebit*, quod cæteri omnes habent, Zephyri potius lenitatem decet. Burman. etiam vidit *a Calabris* legendum esse, non, *a Capreis*, quamquam sic plurimi MSS. quia paucæ naves a Capreis solvebant, plurimæ contra e Brundusino Calabrorum sinu; sed quum idem putat, *Calabras aquas* dictas esse pro quibuscumque, fallitur. Argestes enim, qui idem et Iapyx, secundus fuit e Brundusino portu Græciam petenti-

Frigidus Argestes summas miscebit aristas,
  Candidaque a Calabris vela dabuntur aquis.
At simul inducunt obscura crepuscula noctem,
  Pars Hyadum toto de grege nulla latet.
Ora micant Tauri septem radiantia flammis,
  Navita quas Hyadas Graius ab imbre vocat.
Pars Bacchum nutrisse putat; pars credidit esse
  Tethyos has neptes, Oceanique senis.
Nondum stabat Atlas, humeros oneratus Olympo,
  Quum satus est forma conspiciendus Hyas.
Hunc stirps Oceani maturis nisibus Æthra
  Edidit, et Nymphas; sed prior ortus Hyas.
Dum nova lanugo, pavidos formidine cervos
  Terret; et est illi præda benigna lepus.
At postquam virtus annis adolevit, in apros
  Audet et hirsutas cominus ire leas.

bus, quod vel ex Horatio, I. Od. iii. constat, et quod situs illarum terrarum docet.

163. *Hyadum ortus.*] Secundum alios non post solis occasum oriuntur, sed matutino; Plinius, xviii. 66. 1: vi. *Nonas Maii Cæsari Suculæ matutino oriuntur;* Aetio id faciunt uno die ante: Μηνὶ Ἀρτεμισίῳ, ὅ ἐστι Μαΐῳ αἱ Ὑάδες ἅμα ἡλίου ἀνατολῇ ἐπιτέλλουσιν. *Pars nulla* pro nulla simpliciter; ii. 156. *pars una chori*, una ex choro. Crepuscula *inducunt noctem*, ut Metam. i. 219. *trahunt. Hyades*, septem stellæ in *ore Tauri*. De origine earum variæ veterum opiniones, quas Hyginus fab. 182. 192; Poet. Ast. ii. 13. collegit. *Bacchi* eas *nutrices* fuisse, Pherecydes secundum Schol. Homeri ad Il. Σ. 486. dixerat, quem et Apollodorus, III. iv. 3. secutus est. Male veteres Romani *Suculas* eas appellarunt, quia Græcis ὗες, *sues* sunt; vide Gellium, Noct. Attic. xiii. 9. Ex ea opinione etiam Noster *gregem Hyadum* dixit. Nonnulli nomen inde derivabant, quia in modum Υ literæ positæ sunt; sed certum est, eas a verbo ὕειν, *pluere*, appellatas, quia ortu suo pluvias adferre credebantur.

168 sqq. Hæc et Hyginus Poet. Astron. dicto loco habet. *Oceani* filius *Atlas*, de quo vide ad Met. iv. 630. 656. *Æthra* ab aliis Pleione vocatur. Unus, *maternis nisibus*, quidam *maturis mensibus* exhibent. *Nova*, prima. *Formido* nunc non est metus, sed funis venatorius, versicoloribus plumis distinctus, quo cervi territi in plagas extensas irruebant; Seneca Hippol. 46: "Picta rubenti linea penna Vano cludat terrore feras." *Præda benigna*; acquiescit illa præda, majorem non appetit. *Libyca fera* leonem designat; Africa enim *leonum arida nutrix* Horatio, i. Od. 22. *Feta*, quæ modo enixa est.

Dumque petit latebras fetæ catulosque leænæ;
Ipse fuit Libycæ præda cruenta feræ.
Mater Hyan, et Hyan mœstæ flevere sorores,
Cervicemque polo suppositurus Atlas.
Victus uterque parens tamen est pietate sororum:
Illa dedit cœlum: nomina fecit Hyas.
Mater, ades, florum, ludis celebranda jocosis:
Distuleram partes mense priore tuas.
Incipis Aprili; transis in tempora Maii:
Alter te fugiens; quum venit, alter habet.
Quum tua sint, cedantque tibi confinia mensum,
Convenit in laudes ille vel ille tuas.
Circus in hunc exit, clamataque palma theatris:
Hoc quoque cum circi munere carmen eat.

180. Ad tædium usque repetit illud, Atlantem cœlum portasse; vers. 83. 169. *Victus est pietate*, minus pius est. Major pietas sororum fecit, ut inter sidera referrentur. Sed si nauta Græcus Hyadas ab imbre vocavit, ut vers. 166. recte admonitum est, quid opus erat idem nomen etiam ex mythis repetere? Ita et poetæ sententia secum pugnat.

183—378. *Floralia*, de quibus ad iv. 943. ubi eorum initium. Post invocationem deæ usque ad ver. 192. ejus origo et potestas narratur 195—274; tum cultus usque ad finem. *Matres* earum rerum dicuntur deæ, quibus præsunt. *Ludi* illi impudici verius quam *jocosi*, ut ad ver. 331. videbimus. *Partes* alibi officium alicujus; quia persona, quam histrio agendam suscepit, ejus *partes*. Nunc etiam ea intellig. quæ Floræ debentur, quod omnis locus sequens docet. *Incipis*, ludi tui incipiunt. *In tempora Maii*, in diem tertium; hinc in Kalendariis ad omnes illos dies *Ludi* notantur. Hoc memorabile Ovidio visum est et lusu dignum; itaque ei rei inhæret per quatuor versus. *Fugiens*, *μὴν φθίνων*, ad exitum vergens. *Mensum* pro *mensium* etiam infra 424. et Met. viii. 500. *Cedant*, sacra tibi sint.

189. Et ludi Circenses et scenici in hunc *exeunt*, durant, ut iv. 947. *Circus* Floræ proprius in regione sexta ut e Sexto Rufo apparet. In ludis artificibus præstantissimis *palma* id est plausus maximo *clamore* a *theatris*, spectatoribus, dabatur; de clamore illo Arnobius adv. Gentes iv. p. 152: "conclamant et adsurgunt theatra, caveæ omnes concrepant fragoribus atque plausu." *Munus* etiam de ludis et spectaculis. Ernest. Clav. Cicer. hac voce, observat semper de gladiatoriis dici; Ovidium autem, quum hoc loco *circi munus* dixerit, locutum esse ut poetam. Verum in Floræ circo etiam venatorii ludi dabantur; ver. 371. *Cum circi munere carmen eat* Lenzius interpretatur: carmen meum tibi offeratur, tamquam munus, una cum Circensibus. Equi-

Ipsa doce, quæ sis; hominum sententia fallax:
Optima tu proprii nominis auctor eris.
Sic ego; sic nostris respondit diva rogatis;
Dum loquitur, vernas efflat ab ore rosas:
Chloris eram, quæ Flora vocor: corrupta Latino
Nominis est nostri litera Græca sono.
Chloris eram, Nymphe campi felicis, ubi audis
Rem fortunatis ante fuisse viris.

dem malim accipere, ut ii. 2: *Alter ut hinc mensis, sic liber alter eat. Auctor*, interpres. *Rosas*, odorem rosarum, qui odor mansit etiam, ubi discessit; ver. 376.

195—274. Jucundissima narratio de *Floræ origine et potestate*. Secundum Varronem de Ling. Lat. iv. 10. fuit antiqua Sabinorum dea, cujus cultum T. Tatius rex Romam transtulit. Scriptores ecclesiastici, Minuc. Felix, xxv. 9. Lactantius Inst. I. xx. 6. Arnobius adversus Gentes, iii. p. 113. parum honestam ei dant originem. Ex arte enim meretricia quum magnas opes quæsivisset, populum Romanum scripsit hæredem, certamque pecuniam reliquit, cujus ex annuo fœnore natalis suus celebraretur ludis; sed senatus, ut pudendæ rei dignitas quædam adderetur, finxit deam, quæ floribus præesset, eamque oportere placari, ut fruges cum arboribus vitibusque florescerent. Quæ traditio ludorum, quibus Flora colebatur, lascivia confirmari videtur. Longe alia autem Ovidius habet; eo enim auctore, nympha fuit in campis fortunatis, olim *Chloris* dicta, quam Zephyrus duxit, et magna in flores potestate auxit, quamque Mars, quum ei ortum suum deberet, deam Romanam fecit. Lenzius e Catulli carmine de Berenices coma colligit, fabulam de Chloride, Zephyri uxore, fuisse antiquam; eam poetas Alexandrinos ad Arsinoen, Ptolemæi Philadelphi uxorem, transtulisse, et Ovidium forte e Callimachi carmine *Αἴτια* hausisse.

Chloris eram, etc.] *Flora* nomen aperte habet a floribus; sed Ovidius hæc finxit, ut e Chloride Floram facere posset. Pro *corrupta*, cum Horatio Art. Poet. 53, *parce detorta* dicere potuisset. *Chloris* est a græco *χλωρὸς*, viridis, vigens, florens, ut adeo hæc duo nomina sensu non multum inter se differant. *Campi felicis*; intellige insulas fortunatas, quas præeunte Hesiodo Ἔργ. 170 sqq. Horatius, Ep. xvi. 41. describit, quamquam etiam Homerus, Od. Δ. 563. simile quid de campo Elysio ad fines terræ tradidit. In illis insulis, *Μακάρων νήσοισι*, juxta oceanum profundum, beati heroes, *ὄλβιοι ἥρωες*, siue curis habitant, iisque terra ter quotannis dulcem fructum profert. Auctore Plutarcho in Vita Sertorii, cap. 8. duodecies centena millia passuum ab Africa distant; et Barbari olim credebant campos ibi Elysios et sedem fortunatorum fuisse, quam Homerus laudaverit. Putant designatas esse istis insulas, quæ hodie *Canariæ* dicuntur; vid. Heynii Opuscul. Acad. vol. i. p. 395. et Mitscherlichium ad Horatium dicto loco. *Ante* Lenzius conjungit cum *viri*, ut *οἱ πρὶν*, *οἱ πρόσθεν* intelligantur. Ego jungo cum *fuisse*, olim fuisse, nempe ea ætate, quam Hesiodus heroicam vocat; sic infra ver. 222, *ante erat*.

Quæ fuerit mihi forma, grave est narrare modestæ;
Sed generum matri repperit illa deum.
Ver erat; errabam: Zephyrus conspexit; abibam:
Insequitur; fugio: fortior ille fuit;
Et dederat fratri Boreas jus omne rapinæ,
Ausus Erechthea præmia ferre domo.
Vim tamen emendat dando mihi nomina nuptæ;
Inque meo non est ulla querela toro.
Vere fruor semper: semper nitidissimus annus:
Arbor habet frondes, pabula semper humus.
Est mihi fecundus dotalibus hortus in agris:
Aura fovet; liquidæ fonte rigatur aquæ.

199. Observa modestiam, qua formam suam laudat. *Grave*, molestum. Pro, maritum mihi repperit, maluit, ut minus vulgare, *generum matri repperit*. Similiter fere Metam. ii. 746. Mercurius ad sororem virginis, quam petebat: tu velis "prolis meæ matertera dici." In verbis *ver erat—fuit*, exemplum insigne habemus incisorum, sive brevium orationis membrorum. *Errare* de ambulantibus. *Fortior*, velocior; deest *cursu*, quod Met. iii. 219. additum. Zephyrus velocior erat, quippe ventus, et pennis Amoris adjutus, ut Phœbus Met. i. 540. Excusationem etiam marito reperit: *Et dederat*, etc. vim et rapinam licere sibi putabat ad exemplum fratris. De *Borea* Orithyam, *Erechthei*, regis Atheniensis, filiam *rapiente*, Met. vi. 677 sqq. Raptum formula lenissima exprimit *præmia ferre*, namque *præmium* etiam de præda dicitur; Metamorph. vi. 518: "spectat sua præmia raptor;" et Horatius, Epod. ii. 36: "jucunda captat præmia."

205. *Vim emendat*, vim illatam compensat et honore et beneficiis. *Querela*. Douza observat, allusisse poetam ad formulam in epitaphiis obviam *vixerunt sine querela*. Jam felicitatem suam efferre incipit. *Nitidissimus annus* etiam ver. 265. legitur. *Nitere* bene dicitur de læto colore et jucunda facie terræ, ut jam ad iv. 126 et 430. admonitum. *Annus* ut alias de proventu terræ annuo legitur (Virgil. Georg. ii. 516: "pomis exuberat annus;" Plin. paneg. xxix. 3: "messibus nostris annus exuberat") sic nunc de superficie terræ. *Ver* hic optime repetitur; vere semper fruor, vere nitidissimus est annus, etenim humus tum semper habet pabula.

209—228. De hortulo suo et floribus narrat facunde et suaviter. *Dotales agri*, ut Metam. xiv. 459. *dotalia arva*. *Implevit*; Zephyrus enim flores provocat. *Arbitrium*, potestas, imperium, ut iii. 316; iv. 818. *Colores*; confer iv. 439. *Digestos*, apte dispositos. *Roscida pruina*, ros. *Excussa* nil nisi amota, siccata. *Comæ*, ut iv. 438: *comæ papavereæ*. Figmentum hoc de *Horis* et *Gratiis* aptum et ad horti præstantiam, et ad Floræ felicitatem declarandam. *Horæ*, Jovis et Themidis filiæ, Eunomia, Dice, et Irene, hominum operibus venustatem addunt; Hesiod. Theog. 900 sqq:

Hunc meus implevit generoso flore maritus;
  Atque ait: Arbitrium tu, dea, floris habe.
Sæpe ego digestos volui numerare colores;
  Nec potui: numero copia major erat.
Roscida quum primum foliis excussa pruina est, 215
  Et variæ radiis intepuere comæ,
Conveniunt pictis incinctæ vestibus Horæ;
  Inque leves calathos munera nostra legunt.
Protinus arripiunt Charites; nectuntque coronas,
  Sertaque cœlestes implicitura comas. 220
Prima per immensas sparsi nova semina gentes:
  Unius tellus ante coloris erat.
Prima Therapnæo feci de sanguine florem:
  Et manet in folio scripta querela suo. [tos:
Tu quoque nomen habes cultos, Narcisse, per hor-
  Infelix, quod non alter et alter eras! 226

vide Grævium. Itaque et Ἔργ. 73. cum Gratiis adsunt ad Pandoram floribus vernis coronandam. Quin ab iis ipsis pulchritudo Græcis dicta est ὥρα. Incedunt *pictis vestibus incinctæ*, ut apud Orpheum hymn. 42. 6: πέπλους ἐννύμεναι δροσεροὺς ἀνθῶν πολυτέρπων. Heinsius hoc loco, intellig. vestes e floribus contextas, et tres MSS. habent *pictis floribus*. Equidem malim de vestibus capere, quales in Cyprio carmine, quod Neapolis laudavit, describuntur. Ibi Gratiæ vestes factas ἔβαψαν ἐν ἄνθεσιν εἰαρινοῖσιν, ubi additur οἷα φοροῦσ' Ὧραι. *Leves*, nempe a vimine lento textos; iv. 435.

221. Merita Floræ. Florum ex hominibus natorum creationem sibi vindicat, quia ejus opera intercesserat. *Therapnæo de sanguine flos* est hyacinthus, factus ex Hyacintho, juvene Lacedæmonio, quem Apollo sibi carissimum imprudens disco percussit, et in florem cognominem mutavit; Metam. x. 162. Is mox *Amyclides* vocatur, mox *Œbalides*, nunc *Therapnæus* a Therapnis, urbe Laconiæ, quamquam nunc omnino Lacedæmonium eo nomine indicari puto. Ita Callisto Arcas nunc *Tegeæa* vocatur, nunc *Mœnalia*, nunc *Parrhasis* et *Nonacrina*; vide ad ii. 167. Ita v. 89. Evander *Nonacrius*, qui fuit Pallanteo ortus; vide et ad i. 478. De hyacintho veterum dictum ad Metam. x. 211; ibi quoque Phœbus *suos gemitus foliis inscribit, et ai ai Flos habet inscriptum funestaque litera ducta est.* Intelligunt nonnulli Delphinium Ajacis (*eine Art Rittersporn*) cujus folium candidum figuras AJ cæruleo colore refert: confer Metam. xiii. 395.

225. *Narcissus* Thespiensis, juvenis pulcherrimus, suæ ipsius imaginis, quam in fonte quodam conspexerat, insano amore correptus, atque tabescendo in florem sui nominis mutatus est; Metam. iii. 339 sqq. *Alter et alter* argute, tu et is quem amabas,

Quid Crocon, aut Attin referam, Cinyraque crea-
De quorum per me vulnere surgit honor? [tum;
Mars quoque, si nescis, per nostras editus artes:
Jupiter hoc ut adhuc nesciat, usque precor.
Sancta Jovem Juno, nata sine matre Minerva
Officio doluit non eguisse suo.
Ibat, ut Oceano quereretur facta mariti;
Restitit ad nostras fessa labore fores.
Quam simul adspexi; Quid te, Saturnia, dixi,
Adtulit? exponit quem petat illa locum;
Addidit et causam: verbis solabar amicis;
Non, inquit, verbis cura levanda mea est:
Si pater est factus neglecto conjugis usu
Jupiter, et nomen solus utrumque tenet:
Cur ego desperem fieri sine conjuge mater;
Et parere intacto, dummodo casta, viro?
Omnia tentabo latis medicamina terris;
Et freta, Tartareos excutiamque sinus.

non eratis diversi juvenes, sed unus idemque. Fabula de *Croco* juvene in crocum florem mutato minus celebrata est; attingitur Metam. iv. 283. *Attis*, juvenis Phrygius, de quo supra iv. 223. Is, Metam. x. 104. a Cybele in pinum transformatur, hoc loco in florem, nempe violam; vide Arnob. advers. Gentes, v. p. 160. *Cinyra creatus*, Adonis, ab apro percussus Veneris beneficio in anemonen florem mutatus est; Metam. x. 735. *Honor*, flos, ut jam alibi notatum.

229. Mars a Junone sine Jove Floræ opera editus. Hæc commode inserta, quia causam habent, cur Flora sit dea Romana, et quia vim ejus maxime illustrant. Fabulam autem hanc verbo attigit etiam Festus in *Gradivi* etymo: "vel, ut alii dicunt, quia gramine sit ortus." Sed secundum Homerum, Il. E. 896; Hesiodum, Theog. 921; Apollodorum, I. iii. 1. Jupiter cum Junone Martem genuit. Quamquam aliis Enyo mater Martis erat; Scholiast. ad Homerum dicto loco. Vulcanum contra alii sine patre ex Junone natum fingebant; Hesiodus, Theog. 925. *Precor*, opto.

231. De Minerva sine matre nata iii. 842. Ad *Oceanum* senem auxilii aut consilii petendi causa descendebant interdum dii, etiam Juno Metam. ii. 509; via igitur occidentali per Floræ hortum descendit.

241. Ad rem, quæ hic speratur, interp. Gallicus comparat librum recentiorem: *Lucina sine concubitu*. *Viro* nempe meo. *Dummodo casta*, non cum alieno concumbens. *Sinus*, recessus remotiores. *Excutiam*, perquiram.

Vox erat in cursu: vultum dubitantis habebam:
Nescio quid, Nymphe, posse videris, ait.
Ter volui promittere opem, ter lingua retenta est:
Ira Jovis magni causa timoris erat.
Fer, precor, auxilium, dixit; celabitur auctor:
Et Stygiæ numen testificatur aquæ.
Quod petis, Oleniis, inquam, mihi missus ab arvis
Flos dabit: est hortis unicus ille meis.
Qui dabat, Hoc, dixit, sterilem quoque tange juven-
Mater erit: tetigi; nec mora, mater erat. [cam,
Protinus hærentem decerpsi pollice florem:
Tangitur; et tacto concipit illa sinu;
Jamque gravis Thracen, et læva Propontidos intrat;
Fitque potens voti; Marsque creatus erat.
Qui memor accepti per me natalis; Habeto
Tu quoque Romulea, dixit, in urbe locum.

245. Verba *vox erat in cursu* et ad Junonem et ad Floram referri possunt. Si ad illam, sensus: plura loqui volebat, ut vi. 362. *spes erat in cursu*, longius progredi posse videbatur. Interpres Gallicus ad Floram retulit, sed *in cursu esse* potius notionem continuationis habet. Non autem audiendus est Taubnerus qui deam putat hæc locutam esse, quum curreret. *Dubitare*, deliberare, ut Æneid. ix. 190: "Percipe quid dubitem."

251. Qualis flos intelligatur non constat. *Olenus* et Achaiæ et Bœotiæ oppidum. *Mater*, gravida. *Hærere* frondes et poma dicuntur in arbore, flores in caule plantæ; ergo *hærentem* nunc plenitudinis tantum causa additum. *Tangitur;* Neapolis legit, *Tangit et intacto*. Eum vituperat Heinsius, quia de Junone agitur, non de juvenca; sed Burmannus monet, non adeo ineptam esse hanc lectionem; eam capiendam esse de Junone, quæ tangat florem a Flora decerptum, et statim concipiat; se tamen malle: *Tangit ut, intacto concipit*.

257. *Gravis*, gravida. In *Thracia* Mars natus; Vegetius, i. 28. Vulcani vinculis solutus in Thraciam migrat; Homerus, Il. Θ. 361. Ibi sedet alto in vertice Hæmi; Callimachus Del. 63. Thracia ad *læva Propontidos* sita. *Potens voti*, quum fit quod optamus, etiam Met. viii. 80. et 409; *votum potens*, ibid. 745; *jussi potens*, postquam effecerat, quod jussa erat, Metam. iv. 509.

261—274. Floræ potestas et regnum quam late pateat. Omnia amplectitur, quibus *flos* tribuitur. Hinc Floralia, auctore Plinio xviii. 29. instituta, "ut omnia bene defloresceret." *Coronas* posuit pro floribus. *Tangere* nos dicuntur omnia quæ animum quocumque modo, etiam cura et sollicitudine commovent. *Area dives*, quia in *area*, soli data agri parte, fru-

Forsitan in teneris tantum mea regna coronis
Esse putes: tangunt numen et arva meum.
Si bene floruerint segetes, erit area dives:
Si bene floruerit vinea, Bacchus erit:
Si bene floruerint oleæ, nitidissimus annus;
Pomaque proventum temporis hujus habent.
Flore semel læso pereunt viciæque fabæque;
Et pereunt lentes, advena Nile, tuæ.
Vina quoque in magnis operose condita cellis
Florent; et nebulæ dolia summa tegunt.
Mella meum munus; volucres ego mella daturas
Ad violam, et cytisos, et thyma cana voco.
Nos quoque idem facimus tunc, quum juvenilibus
Luxuriant animi, corporaque ipsa virent. [annis

menta exterebantur et inde in granaria transferebantur; Horatius, lib. I. Od. i. 10: "Quidquid de Libycis verritur areis;" Virgilius, Georg. i. 190: "magna veniet tritura." *Oleæ* flos non copiam tantum olei, sed omnino *nitidissimum annum* portendebat, ut et flos abundans amygdali; Virgil. Georg. i. 187. *Nitidissimus annus* etiam ver. 207; pro eo ver. 327: *si bene floreat annus.* Pomaque. Sensus: pomorum proventus, copia, pendet a tempore, quo florent.

267. *Lædi florem* omnium frugum putabant, si plenilunium in Floralia incideret; Plinius dicto loco. *Nilus advena*, ut ii. 68. *Tibris advena*, quia ex alia terra decurrit. *Nili lentes*, quia magna earum et copia et præstantia in Ægypto; Martialis, xiii. 9: "Accipe Niliacam, Pelusia munera, lentem." Virgil. Georg. i. 228. ubi et ipse hæc tria frugum genera conjungit: "Si vero viciamque seres, vilemque faselum, Nec Pelusiacæ curam aspernabere lentis." Quæ de *vino* sequuntur, ea melius abessent. *Flos* enim et *nebula* vini est spuma tenuis in summo vino natans; Plinius, xiv. 27. "Flos vini candidus probatur; rubens triste signum est, si non is vini colos sit." Columell. xii. 30: "Si vinum florere incipiet, sæpius curare oportebit." *Operose*, diligenter.

271. *Mellis* donum rectius sibi vindicat propter succos, quos floribus inidit apibus colligendos. *Violam*; itaque et Virgil. Georg. iv. 31. præcipit: circum alvearia *irriguum bibant violaria fontem.* De *thymo* res nota; et fuit proverbium: *dum thymo pascentur apes*; Virgil. Ecl. v. 77. *Cytisus* fruticis genus, jucundo foliorum et sapore et odore, quo tam capellæ quam apes delectantur; Virg. Ecl. x. 30: vide Martin. ad Georg. ii. 431. *Nos quoque idem facimus:* meum quoque munus est, quum juvenes florent. Verbis *luxuriant*, etc. describitur is, quem Horatius florente juventa fervidum vocat. *Luxuriare* alias de succulentis et vegetis membris dicitur, ut Metam. vii. 292; Virg. Georg. iii. 81. Hoc loco de animorum vigore.

Talia dicentem tacitus mirabar: at illa,
  Jus tibi discendi, si qua requiris, ait.
Dic, dea, ludorum, respondi, quæ sit origo.
  Vix bene desieram; rettulit illa mihi:
Cætera luxuriæ nondum instrumenta vigebant;
  Aut pecus, aut latam dives habebat humum.
Hinc etiam locuples, hinc ipsa pecunia dicta est:
  Sed jam de vetito quisque parabat opes.
Venerat in morem populi depascere saltus;
  Idque diu licuit, pœnaque nulla fuit.

275—330. Ludorum Floralium origo ad veritatem historicam narratur. Anno U. C. 513. ut jam ad iv. 943. admonitum, Publicii Malleoli fratres, ædiles plebis, quum multi cives in publico pascerent, peculatus eos condemnarunt, atque e pecunia multatitia ludos Floræ instituerunt; ii vero diu intermissi, tandem anno U. C. 580. L. Postumio Albino, M. Popillio Lænate coss. a C. Servilio instaurati sunt, et quotannis deinceps celebrati; vide Spanhem. de Usu et Præstant. Num. tom. ii. p. 146.

279. *Instrumenta luxuriæ*, quæ serviunt luxuriæ, ei alimenta ministrant; Plinius, ix. 13: "Pollio, sagacis ad luxuriæ instrumenta ingenii." Sallustius, Catilin. xxv. 2: "psallere, saltare et multa alia, quæ instrumenta luxuriæ." Adde Justinum, xxx. 1; Cicero Catilin. ii. 5. *instrumenta virtutis* similiter. *Vigebant* dictum, ut Horat. I. Satyr. iii. 61: *vigent ubi crimina. Latam humum*, latos agros. *Hinc etiam*, etc. Sic et Plinius xviii. 3: "Hinc et locupletes dicebant, loci, hoc est agri plenos. Pecunia ipsa a pecore appellabatur." Columella vi. præf. "Nomina pecuniæ et peculii tracta videntur a pecore, quod non solum veteres possederunt, sed adhuc apud quasdam gentes unum usurpatur divitiarum genus." Paulo aliter Plinius xxxiii. 3: "Signatum est nota pecudum: unde et pecunia appellata." *Sed jam* iis temporibus, quibus, judice Livio in præf. quanto rerum minus, tanto minus cupiditatis erat, nitebantur in *vetitum*.

283. *Saltus*, pascua; vide Clav. Cicer. in hoc vocab. Et nunc publica pascua intelliguntur. Talia pascua habebat multa populus Romanus, unde luculentum vectigal, quum, qui pascere in iis vellent, pro singulis pecoribus certam pecuniam solverent. Jus pascendi habebant, postquam nomina sua detulerant, atque apud publicanum subscripserant, unde vectigal illud *scriptura* dicebatur, quod diu unum vectigal fuit; vide Clav. Ciceron. hoc vocab. atque Burmannum de Vectigalibus, cap. iv. Sed multi se subtrahebant ei oneri, conniventibus iis, quibus ejus rei cura data, atque clam armenta illuc abigebant. Itaque *vulgus*, populus, *sua publica servabat nullo vindice*, sic habebat, ut nemo depascendi morem coerceret. *Licentia* illa eo progressa est, ut tamquam *inertes*, timidi, riderentur, qui in privato pascerent.

Vindice servabat nullo sua publica vulgus:
Jamque in privato pascere inertis erat.
Plebis ad ædiles delata licentia talis
Publicios: animus defuit ante viris.
Rem populus recipit: mulctam subiere nocentes;
Vindicibus laudi publica cura fuit:
Mulcta data est ex parte mihi; magnoque favore
Victores ludos instituere novos.
Parte locant clivum, qui tunc erat ardua rupes:
Utile nunc iter est; Publiciumque vocant.
Annua credideram spectacula facta; negavit;
Addidit et dictis altera verba suis:

287. Ad *ædiles plebis* cura pascuorum pertinebat. *Publicios*; Festus Lucium et Marcum Publicios Malleolos vocat. *Deferre* nunc est indicis, qui rem ædilibus notam facit, ut eam ad populum perferant. *Animus defuit ante*; tamen Livius, x. 23 et 47. narrat jam anno U. C. 457. ædiles plebis, et an. 462. ædiles curules e multatitia pecunia, quam pecuariis damnatis exegissent, vel ludos fecisse, vel viam stravisse. *Pecuarios* Drakenb. et Burmann. publicanos intelligunt; Stroth. et Ernest. in Glossar. Liviano, homines qui conductis pascuis publicis e re pecuaria quæstum faciebant. Sed non apparet, cur ab his mulctam exegerint. Sine dubio hoc nomine illis locis iidem designantur, quos Ovidius hoc loco notat. *Recipit* judex nomen et causam, quæ ad eum defertur; *rem populus recipit*, quia res in judicio populi acta est, quod ex alio Livii loco xxxiii. 42. patet: "Ædiles plebis multos pecuarios ad populi judicium adduxerunt, ex eorum multatitia pecunia ædem in insula Fauni fecerunt." *Vindices*, qui rem detulerant ad populum. Ab hac *publica cura* Lenzius putat Publicios fratres nomen traxisse.

291. Floræ pars multæ data, quia et arva atque pascua ejus numen tangebant, ver. 262. Data autem ei pars duplex, namque auctore Tacito, Annal. ii. 49; "juxta circum maximum ædes Floræ ab L. et M. Publiciis ædilibus constituta est," quam Tiberius instauravit. *Victores* in illa causa. De *clivo* munito consentiunt Varro de Ling. Lat. iv. et Festus in hoc vocab. Ille enim hæc habet: "Clivus Publicius ab ædilibus plebis Publiciis, qui eum publice ædificarunt." Festus addit, eum a Publiciis munitum esse, ut in Aventinum vehicula venire possent. *Locant*, quum muniendum redemtori addicunt, verbum in hac re solemne.

295. Ludi illi semel tantum exhibiti. *Tangit*, oblectat, suaviter afficit: contra Metam. viii. 279. ubi Dianæ aræ cessant: *Tangit et ira deos.* Ut hic *turba ambitiosa*, quæ cultum studiose affectat, ut honore valeat, sic Metam. viii. 277. *honos* ille ipse in plurimis MSS. *ambitiosus* dicitur. *Iniqui* dii sunt irati, *æqui* faventes. Vocab. *blandus* solemne de placatione deorum, ita ut nunc sacra facientibus, nunc eorum victimis aut precibus tribuatur; vide Bentl. ad Horat. III. Od. xxiii. 18. *Sustinere*, retinere.

Nos quoque tangit honor: festis gaudemus et aris;
  Turbaque cœlestes ambitiosa sumus.
Sæpe deos aliquis peccando fecit iniquos;
  Et pro delictis hostia blanda fuit.
Sæpe Jovem vidi, quum jam sua mittere vellet
  Fulmina, ture dato sustinuisse manum.
At si negligimur, magnis injuria pœnis
  Solvitur, et justum præterit ira modum.
Respice Thestiaden; flammis absentibus arsit:
  Causa est, quod Phœbes ara sine igne fuit.
Respice Tantaliden; eadem dea vela tenebat:
  Virgo est; et spretos bis tamen ulta focos.
Hippolyte infelix, velles coluisse Dionen,
  Quum consternatis diripereris equis!
Longa referre mora est correcta oblivia damnis:
  Me quoque Romani præteriere Patres.

303. Vis iræ divinæ exemplis comprobatur. *Solvitur injuria*, quando expiatur, quum pœnæ solvuntur ob injuriam factam. *Præterit modum*, non servat, excedit modum. Diana, quum Œneus, Ætoliæ rex, ipsius aras sine ture reliquisset: "At non impune feremus; Quæque inhonoratæ, non et dicemur inultæ;" vid. Metam. viii. 280. Tum agris Calydoniis immisit aprum terribilem, ad quem interficiendum ex omni Græcia viri fortissimi concurrerunt. In ea venatione Meleager, *Thestii*, ex Althæa matre nepos, matris fratres interficit. Mater, ut fratrum cædem accipit, stipitem fatalem, in quo filii vita continebatur, comburit, eoque absumto Meleager, quamquam *absens*, extinguitur; Met. viii. 260—545. *Tantalides*, Agamemnon, Tantali pronepos, cujus *vela*, classem in Aulide congregatam, Diana ob interfectam cervam sibi sacram irascens, vento adverso immisso, diu *tenebat*, retinebat; Metam. xii. 1—38. Nonnulli *tela* legebant, atque de Niobe cogitabant, cujus filias Diana telis suis transfixit, ut Apollo filios; Met. vi. 288 sqq. *Virgo*, cui mitior animus convenit. *Hippolytus*, furiis direptus equorum, jam supra iii. 265. memoratus. Is, quum Dianam et studio venandi et castitate coleret, *Dionen* sprevisse nunc dicitur, ut ad eam ejus interitus referri posset. *Dione*, Ætheris et Terræ filia, mater Veneris ex Jove, nunc ipsa Venus. *Corrigere*, castigare, punire. *Oblivia*, neglectus deorum, *damnis*, calamitatibus immissis, punita sunt.

312. *Præteriere*, ludos meos intermiserunt; Met. viii. 278: *Præteritæ Letoidos aræ*. *Manifesta doloris*, manifestans dolorem. *Qualia damna exigerem?* quales pœnas sumerem? quales calamitates, immitterem? Sed vocab. *notæ* varie interptt. acceperunt. Plerique ignominiam aut injuriam

Quid facerem, per quod fierem manifesta doloris?
Exigerem nostræ qualia damna notæ?
Excidit officium tristi mihi: nulla tuebar
Rura, nec in pretio fertilis hortus erat.
Lilia deciderant; violas arere videres,
Filaque punicei languida facta croci.
Sæpe mihi Zephyrus, Dotes corrumpere noli
Ipsa tuas, dixit: dos mihi vilis erat.
Florebant oleæ; venti nocuere protervi:
Florebant segetes; grandine læsa Ceres:
In spe vitis erat: cœlum nigrescit ab Austris,
Et subita frondes decutiuntur aqua.
Nec volui fieri, nec sum crudelis in ira:
Cura repellendi sed mihi nulla fuit.
Convenere Patres; et, si bene floreat annus,
Numinibus nostris annua festa vovent.
Adnuimus voto: consul cum consule ludos
Postumio Lænas persoluere mihi.
Quærere conabar, quare lascivia major
His foret in ludis, liberiorque jocus:

Floræ illatam intellexerunt; Taubnerus, reprehensionem, castigationem. Sed rectius cum Burmanno hæc verba interpretaberis: quæ quidem a nobis profecta facile cognoscerentur. Vide eum ad Petronium, 83. *Excidit officium mihi*, desii curare rura et hortos. *Croco fila* tribuuntur et capillamenta, unde Græci eum ξανθότριχα dixerunt; vide Salmasium ad Solinum, pag. 749. *Dotes;* vide ad ver. 209. Sequentia, *Florebant oleæ*, etc. respondent iis, quæ inde a versu 263. leguntur. *Crudelis in ira*, ut Ceres rapta Proserpina sæviens Metam. v. 478—486. *Repellendi* ventos, grandinem, pluvios austros.

327. *Annus*, arbores, vites, fruges illius anni. *Adnuimus voto*, feci id, cujus causa illi votum nuncupaverant; Claudianus, xxiv. 212: "votisque senatus Adnue, diva, tui." *Consules* L. *Postumius* Albinus et M. Popilius *Lænas* anno U. C. 580. instituerunt ut quotannis ludi Florales exhiberentur. Primus autem exhibuit C. Servilius, ædilis plebis, quod nummus testatur; vide Spanhemium ad ver. 275. laudatum. *Persolvuntur* proprie vota, hinc etiam res, quæ fiunt ex voto, aut instituuntur.

331—354. Unde *lascivia* in illis ludis? Celebrabantur illi cum omni obscœnitate. Lactantius, Inst. I. xx. 6; Arnobius adversus Gentes, iii. p. 113; vii. p. 238; Schol. Juvenalis

Sed mihi succurrit, numen non esse severum,
Aptaque deliciis munera ferre deam.
Tempora sutilibus cinguntur tota coronis:
Et latet injecta splendida mensa rosa.
Ebrius incinctis philyra conviva capillis
Saltat, et imprudens utitur arte meri.

ad vi. 249. Aliquando, quum Cato illis ludis interesset, populus ut mimæ nudarentur postulare erubuit. Cato igitur discessit e theatro, ne præsentia sua spectaculi consuetudinem impediret: quem abeuntem ingenti plausu populus prosecutus, priscum morem jocorum in scenam revocavit; Valerius Maximus, ii. 10. Postea ille librum de re Floria scripsit, qui a Gellio, Noct. Attic. ix. 12. laudatur. Obscænitatis illius causam multi repetunt inde, quod Flora olim meretrix fuerit, ut ad ver. 195. vidimus. Sed Ovidius lenius de ea re judicat; est dea *deliciis*, id est, voluptati inserviens, vultque sua sacra et plebi patere.

335. Non ea jam recenset quæ Floralibus facta sint; sed Floram deliciis munera ferre quovis tempore docet; *coronæ* enim, quibus illa flores ministrat, non a tristibus et severis, sed a lætis et voluptati indulgentibus sumuntur. *Sutiles coronæ*, in quibus mera folia rosarum consuta, quum *pactiles* de multiplici flore texerentur; Plinius, xxi. 8: "Summa auctoritas pactili coronæ. Sutiles Saliorum in sacris invenimus, et solemnibus cœnis. Transiere deinde ad rosaria: eoque luxuria processit, ut non esset gratia, nisi mero folio: sutilibus mox petitis ab India, aut ultra Indos." Rosis eas consutas esse, etiam e Martiali, v. 65; ix. 91. 94. discimus, ubi *tempora rosis sutilibus* et *sutilis rosa* leguntur. Quidam hoc loco *tortilibus*, *nexilibus*, etc. Tum valde arridet Heinsii conject. *tota* in *pota*, id est, ebria, mutantis; omni enim hoc loco id urgetur, coronas inservire non nisi iis, qui genio indulgeant, aut *ebriis*; nihil contra ad rem pertinet, *tota* tempora cingi. *Latet mensa*, etc. Immensa interdum florum copia et mensæ et convivæ obruebantur, e tecto etiam desuper dejectorum. Vide Salmasium ad Spartac. Ælium Verum, cap. 5.

337. *Saltatio* Romanis non omnino honesta; Cornelius Nepos in Epaminonda, i; vide Cortium ad Sallustium Catil. xxv. 2. In conviviis *ebrii* fere saltabant. *Philyra*, tenuis tiliæ membranula inter corticem et lignum, qua utebantur ad nectendas coronas convivales; Plinius, xvi. 14; xxi. 3. Etiam Horatius, I. Od. xxxviii. 2: *nexæ philyra coronæ*. *Merum* varias addocet *artes*; Horatius, I. Ep. v. 18. Possis hoc loco de facundia capere, quæ *imprudenter* recludit arcana. Sed alii hoc quoque ad saltationem referunt, et *imprudentem* Lenzius explicat titubantem, incertis pedibus utentem. *Ad durum*, etc. Tales occentationes (*παρακλαυσίθυρα*) frequentes erant. In iis convicia faciebant januæ, eamque *duram* vocabant, quia puella *dura*, inexorabilis, quæ eos excludebat; Tibullus, I. ii. 5 sqq. Eamdem vero et *ungere* atque *sertis* velare solebant; Lucretius, iv. 171: "At lacrymans exclusus amator limina sæpe Floribus et sertis operit, postesque superbos Unguit amaracino."

Ebrius ad durum formosæ limen amicæ
  Cantat: habent unctæ mollia serta comæ.
Nulla coronata peraguntur seria fronte;
  Nec liquidæ vinctis flore bibuntur aquæ:
Donec eras mixtus nullis, Acheloe, racemis,
  Gratia sumendæ non erat ulla rosæ.
Bacchus amat flores: Baccho placuisse coronam
  Ex Ariadnæo sidere nosse potes.
Scena levis decet hanc: non est, mihi credite, non
  Illa cothurnatas inter habenda deas.
Turba quidem cur hos celebret meretricia ludos,
  Non ex difficili causa petenda subest.
Non est de tetricis, non est de magna professis:
  Vult sua plebeio sacra patere choro.
Et monet ætatis specie, dum floreat, uti;
  Contemni spinam, quum cecidere rosæ.
Cur tamen, ut dantur vestes Cerealibus albæ,
  Sic est hæc cultu versicolore decens?

342. *Liquida* nunc ponitur pro: cui nihil vini admixtum. Meri aqua temperandi auctores plures nominantur; vide Harduin. ad Plinium, vii. p. 415. In iis Cerasus Ætolus, qui *Acheloi* aquam adhibuisse in eum usum traditur; Hyginus, fab. 274. Unde et Virgilius, Georg. i. 9: "Poculaque inventis Acheloia miscuit uvis" tellus; ubi vide interpp. De *corona Ariadnæa*, iii. 513. unde apparet, eam, quum non esset florida, parum commode hic esse memoratam.

347. *Hanc;* respicit ad ver. 334. nam reliqua quasi per parenthesin interjecta, ut jam supra notatum. *Levis* sæpe est et histrionum et scenæ epitheton, ut quæ voluptati inserviat; Cicero Orat. i. 5: *levis histrionum ars et scena.* Nunc autem hac voce respicitur ad ludos joculares et lascivos, quibus tragœdiarum gravitas opponitur, qua, quæ delectantur deæ, *cothurnatæ* hic dicuntur. Taubnerus in Ind. non bene deas majores et superiores interpretatur. Cæterum similem sententiam habemus infra versu 598. de Marte: *Non visa est fortem scena decere deum. Ex difficili petenda*, difficulter invenienda. *Subesse causa* sæpe dicitur, quod Heinsius exemplis docet.

351. *Tetricus*, severus, horridus; Livius, i. 18: "Tetrica et tristis Sabinorum disciplina." *Plebeius chorus*, ille ipse meretricum saltantium et discurrentium cœtus. *Species*, pulchritudo, decor, quem gignit juventutis vigor.

355. De *vestibus* illis *albis* confer iv. 619. *Cultu decens est*, habet vestem, eamque decoram. De *versicolore* ves-

An quia maturis albescit messis aristis;
Et color et species floribus omnis inest?
Adnuit; et motis flores cecidere capillis,
Accidere in mensas ut rosa missa solet.
Lumina restabant, quorum me causa latebat;
Quum sic errores abstulit illa meos:
Vel quia purpureis collucent floribus agri,
Lumina sunt nostros visa decere dies:
Vel quia nec flos est hebeti nec flamma colore,
Atque oculos in se splendor uterque trahit:
Vel quia deliciis nocturna licentia nostris
Convenit; a vero tertia causa venit.
Est breve præterea, de quo mihi quærere restat,
Si liceat, dixi: dixit et illa, Licet.
Cur tibi pro Libycis claudantur rete leænis
Imbelles capreæ, sollicitusque lepus?

timento Floræ ad ver. 217. Tali amictu uti mulieribus Romanis interdictum erat lege Oppia; Livius, xxxiv. 1. *Accidere*, cadere, verbum bonæ notæ, ut Heins. ad hunc locum, et ad Silium, iv. 238. docuit; et reperitur in MSS. veteribus plerisque: vulgo autem *decidere* editur. Rosas dejectas esse in mensas convivantium jam ver. 336. vidimus. Hac igitur similitudine, rosarum e Floræ capillis cadentium multitudo declaratur.

361—368. Faces accensæ. *Me latebat*; Burmanno Latinius videtur, quod Mazarin. habet, *mihi latebat*. Vide Gronovium ad Senec. Œdip. 295. Burm. accusativum *me* per Græcismum excusari putat; quidvis ad hoc dicat, ego illi non adsentior. *Errores*, incertitudinem, ut supra aliquoties. Fluctuationem poetæ referunt versus sqq. usque ad *Convenit*. Tum Flora eum interpellat et certiorem reddit verbis: *a vero tertia causa venit*. *Purpurei* flores poetis omnino sunt pulchri, colore splendido. *Collucent agri* hominum *oculis* dixit Cicero Nat. Deor. ii. 39; sed nunc cum vi positum, quia *luminum* ratio redditur. Pro *floribus* Marsus edidit *ignibus*, atque ita et unus Heinsii codex. *Ignes* autem posse flores igneis coloribus intelligi Burmannus exemplis docet. *Hebes* color est obscurus, non lucidus; unde et *hebetare* pro obscurare ponitur.

371. Venatorii ludi, haud dubie in circo Floræ. Eorum meminit et Martialis, viii. 67: "Floralitias lasset arena feras." Venatoriis ludis plerumque inserviebant belluæ *Libycæ*, pantheræ inprimis, quæ et simpliciter *Africanæ* dicebantur; Plinius, VI. Ep. xxxiv. 3. Sed in Floralibus mitia animalia committebantur; Cælius Rhodiginus Antiq. lect. xxv. 30: Galba prætor "commissione ludorum Floralium novum spectaculi genus,

Non sibi, respondit, silvas cessisse, sed hortos,
Arvaque pugnaci non adeunda feræ.
Omnia finierat: tenues secessit in auras:
Mansit odor; posses scire fuisse deam.
Floreat ut toto carmen Nasonis in ævo,
Sparge, precor, donis pectora nostra tuis.
Nocte minus quarta promet sua sidera Chiron
Semivir, et flavi corpore mixtus equi.

elephantos funambulos edidit." In circo autem venationes esse editas et aliunde constat; Suetonius Calig. 18: "Edidit et Circenses, interjecto modo Africanarum venatione;" Claud. 21: "permisit Circensium gratia Africanas importari." *Rete* pro *reti*. Feræ in arena ita agitabantur, ut in retia incurrerent; Plinius, Panegyr. lxxxi. 3. feras *emissas colligere* dixit. *Silvas cessisse*, ut Met. iv. 532. Neptuno *proxima cælo cessit potestas*. Flora *tenues secessit in auras*, ut Æneid. ix. 657. Apollo *in tenuem ex oculis evanuit auram;* et, ut dearum comæ aut totum corpus divinum quemdam odorem spirare solebant, sic Flora, cujus loquentis ex ore rosæ exibant, ver. 194. merito florum *odorem* reliquisse fingitur. *Floreat*, etc. aptum votum, quia omnia, quibus flos tribui solet, hujus deæ arbitrio subjecta sunt. *Dona* Floræ sunt *deliciis apta* ver. 334; Lenzius juvenilem florem et vigorem intelligit.

379—414. *V. Nonarum, sive die tertio, Centaurus oritur.* Ejus sideris origo narratur, ut hic, ita et ab Hygino, Poetic. Astron. ii. 38. Fuit Chiron Centaurus tempore Argonautarum, multosque artium suarum habuit discipulos, in quibus Achilles; Clemens Alex. Strom. i. p. 360. *Nocte minus quarta*, nocte tertia a Kalendis. *Semivir*, et Metam. ii. 633. *semifer;* alibi etiam *geminus* et *biformis* vocatur ob naturam Centaurorum. De eo est locus classicus et ad hæc nostra intelligenda aptissimus Orphei in Argon. 375 sqq. Ibi Peleus Argonautis ostendit *Pelion* umbrosum, in cujus jugo medio *antrum* habeat Chiron, *justissimus* Centaurorum, qui et morbis sanandis operam det, et mox citharam Phœbi pulsans, mox phorminga Mercurii, vicinis jura reddat, Achillemque puerum educandum acceperit. His dictis ingrediuntur antrum. Ibi prope Chirona stat Achilles manibusque lyram tangit. De hac Achillis educatione vide etiam Apollonium, iv. 812; Pindarum N. iii. 75. sqq; et de *antro* Chironis in *Pelio* monte, Callimachum, hymn. Del. 104. *Phillyrides*. Etiam ab Orpheo, ver. 480. φιλλυρίδης vocatur a Philyra matre, quacum Saturnus, sumta equina forma, congressus habuit; Apollonius Rhodius, ii. 1236; Virgil. Georg. iii. 92. *Missuras*, etc. Achillis; Homerus Il. I. 186. sqq. *Detinuit*, occupatas tenuit, adeoque exercuit. Etiam Statius Achilleid. i. 116. de Chirone: "monstrare lyra veteres heroas alumno." Plures heroes a Chirone instituti memorantur. Achilles non musicam tantum, sed et mores integros, artem venandi, inprimisque artem medicam ab eo accepit; confer Claudianum, vii. 60 sqq. Et exstabat olim Chironis institutio ad Achillem versibus consignata; Pau-

Pelion Hæmoniæ mons est obversus in Austros;
  Summa virent pinu; cætera quercus habet.
Phillyrides tenuit: saxo stant antra vetusto,
  Quæ justum memorant incoluisse senem.
Ille manus, olim missuras Hectora leto,
  Creditur in lyricis detinuisse modis.
Venerat Alcides exacta parte laborum;
  Jussaque restabant ultima pæne viro:
Stare simul casu Trojæ duo fata videres;
  Hinc puer Æacides, hinc Jove natus erat.
Excipit hospitio juvenem Philyreius heros,
  Et causam adventus hic rogat, ille docet.
Perspicit interea clavam spoliumque leonis,
  Virque, ait, his armis, armaque digna viro.
Nec se, quin horrens auderent tangere setis
  Vellus, Achilleæ continuere manus.
Dumque senex tractat squalentia tela venenis,
  Excidit, et lævo fixa sagitta pede est.
Ingemuit Chiron, traxitque e corpore ferrum;
  Adgemit Alcides, Hæmoniusque puer.
Ipse tamen lectas Pagasæis collibus herbas
  Temperat, et varia vulnera mulcet ope.

sanias, Bœot. p. 772. In arte medica plura et magistri et discipuli inventa a Plinio memorantur.

387. *Exigi* dicuntur, quæ ad finem perducuntur. *Duo fata*, duo viri urbi Trojanæ fatales; Hercules, Laomedontis perfidiam ulturus, Ilium expugnavit; Apollodorus, II. vi. 4; Hyginus, fab. 89. *Philyreius heros* etiam Metam. ii. 676. A Philyra est Φιλυραίος, et inde per diæresin Φιλυρήϊος.

393. Qui rem diligenter spectat, tractat, examinat, eam *perspicere* dicitur. *Auderent.* Namque Achilles puer admodum ad Chironem deductus erat. *Squalentia*, tincta; Virg. Georg. iv. 91. adeo, *squalentes auro maculæ*. Cæterum non de Chirone, sed de Pholo hæc narrant Philarg. ad Virgil. Georg. ii. 456; Servius ad Æneid. viii. 294.

401. *Pagasæ*, oppidum Thessaliæ ad Pelion montem, postea Demetrias dictum. In ejus portu Argo navis fabricata; Hyginus, Poetic. Astron. ii. 37. ibique Munkerus. Sed nunc *Pagasæus* omnino Thessalicus. Thessalia autem ferax herbarum medicarum; Metam. vii. 221. *Temperare*,

Virus edax superabat opem; penitusque recepta
Ossibus, et toto corpore pestis erat.
Sanguine Centauri Lernææ sanguis Echidnæ
Mixtus ad auxilium tempora nulla dabant.
Stabat, ut ante patrem, lacrymis perfusus Achilles;
Sic flendus Peleus, si moreretur, erat.
Sæpe manus ægras manibus fingebat amicis;
Morum, quos fecit, præmia doctor habet.
Oscula sæpe dedit: dixit quoque sæpe jacenti;
Vive, precor; nec me, care, relinque, pater.
Nona dies aderat; quum tu, justissime Chiron,
Bis septem stellis corpora cinctus eras.
Hunc Lyra curva sequi cuperet; sed idonea non-
Est via: nox aptum tertia tempus erit. [dum
Scorpios in cœlo, quum cras lucescere Nonas
Dicimus, a media parte notandus erit.

miscere herbas, et succos adhibere ad medicamen componendum. *Mulcere*, ut *fovere*, gratam refectionem et curam indicat. *Varia* bene se habet; sed vulg. *vana* respuenda est. Cura Chironis hic describitur; vanam fuisse eam in sqq. demum monetur.

403. Secundum Plinium, xxv. 30. Chiron superavit ope virus: "Centaurio curatus dicitur Chiron, quum Herculis excepti hospitio pertractanti arma sagitta cecidisset in pedem." Veneno *Echidnæ Lernææ* periit et Nessus, Met. ix. 130. et ipse Hercules ibid. ver. 158. Affectus Achillis pueri in magistrum egregie hic notatus. *Sic flendus Peleus erat;* sic flendus pater: quasi dicat, non aliter patrem morientem flevisset. *Fingere*, leviter tergere, mulcere; Heroidd. xx. 133: "Me miserum! quod non medicorum jussa ministro, Effingoque manus, insideoque toro." Virg. Æn. viii. 635. de lupa: "Mulcere alternos, et corpora fingere lingua." Heinsius valde metuit, ne versus 410. *Morum*, etc. sit grammatici alicujus, aut pædagogi commentum, quum oscitantia librarii genuinus Ovidii esset omissus; sed eum habere frigus et lenitatem semibarbaram. Ab eo Schirachius plane dissentit, negatque et versum frigere, et *facere mores* esse phrasin barbaram. Hoc certum est, sententiam esse veram, nec alieno loco adhibitam. Itaque ver. merito defenditur etiam ab Heinsio in Opusc. p. 234. cui et Krebsius assentitur. *Jacenti*, ægrotanti. *Vive*, etc. vera vox teneræ ætatis in tali discrimine. *Bis septem*. Schol. Germanici xx. Eratosth. et Hygin. Poet. Ast. iii. 37. quatuor et viginti stellas in Centauro numerant, quæ tamen non omnes in conspectum nostrum prodeunt.

415. *Lyra* iii. *Nonas oritur* ortu acronichio, sed Aetio pridie. *Μηνὶ τῷ αὐτῷ δ' Λύρα ἑσπέριος ἐπιτέλλει.*

417. *Scorpii pars altera pridie Nonas occidit cosmice.*] Sic et Columella:

Hinc ubi protulerit formosa ter Hesperus ora,
  Ter dederint Phœbo sidera victa locum;
Ritus erit veteris, nocturna Lemuria, sacri;
  Inferias tacitis Manibus illa dabunt.
Annus erat brevior; nec adhuc pia februa norant;
  Nec tu dux mensum, Jane biformis, eras:
Jam tamen exstincto cineri sua dona ferebant;
  Compositique nepos busta piabat avi.
Mensis erat Maius, majorum nomine dictus,
  Qui partem prisci nunc quoque moris habet.
Nox ubi jam media est, somnoque silentia præbet;
  Et canis, et variæ conticuistis aves:
Ille memor veteris ritus, timidusque deorum
  Surgit; habent gemini vincula nulla pedes;

" Pridie Nonas Maias Nepa medius occidit."

419—492. *Lemuria inde a* vii. *Id.* per triduum, sed non continuatum, ut e ver. 491. et Kalendario vetere apparet. *Lemures*, interprete poeta nostro ver. 483. sunt animæ Silentum; auctore Nonio, larvæ nocturnæ et terrificationes imaginum et bestiarum. Ii his sacris placari credebantur, ut Feralia mense Februario ad placandos Manes valebant ii. 533. sqq. Ovidius illius sacri ritus 421—444. et inde ejus originem describit.

Victa, quia diffugiunt, oriente Phœbo. *Inferiæ*; sacrificia quæ Manibus ad sepulcrum offerebantur, *dari, ferri, mitti* dicuntur. *Taciti* Manes, ut alibi et apud cæteros *silentes* Umbræ.

423—428. Olim Maio, mense anni tertio, Feralia celebrabantur, quæ postea in Februarium translata sunt. Hinc eodem mense nunc Lemuria peraguntur. Per *pia februa*, de quibus ii. 19. sqq. Februarium notat. *Norant* scilicet homines. Quidam *norat*, nempe annus. *Mensum*, ut ver. 187. *Exstincto cineri*; ii. 534. *in exstinctas munera ferte pyras.* Locus, in quo mortuus et combustus et sepultus est, *bustum* dicitur; vid. Kirchmannum de Funeribus pag. 312. *Piare busta*, ad busta placare Manes; Met. vi. 569. *piaculum* de inferiis. *Compositi*, conditi.

429. Ritus in his sacris; confer ii. 571. de sacris Tacitæ; Metam. vii. 176 sqq. de Medeæ arte magica, et quæ ibi laudavimus. Peragi illa solebant *media nocte*, (Horat. Epod. v. 51.) quæ a poetis solet ita, ut hoc loco describi; Met. vii. 185: " Homines volucresque ferasque solverat alta quies." Virg. Æneid. iv. 522: " tacent pecudes pictæque volucres;" inde Noster *variæ*, versicolores, *aves*.

431. *Memor* est et is, qui retinet aliquid et imitatur. *Timidus deorum*, religionibus deditus. *Vincula*, calcei. Apud Virgilium, dicto loc. 518: *Unum exuta pedem vinclis*; Metam. vii. 183, *nuda pedem*. *Digitorum* usus varius in arte magica. Digitis pectinatim inter se junctis impedie-

Signaque dat digitis medio cum pollice junctis;
Occurrat tacito ne levis umbra sibi:
Terque manus puras fontana perluit unda:
Vertitur, et nigras accipit ore fabas;
Aversusque jacit; sed dum jacit, Hæc ego mitto;
His, inquit, redimo meque meosque fabis.
Hoc novies dicit, nec respicit: umbra putatur
Colligere, et nullo terga vidente sequi.
Rursus aquam tangit, Temesæaque concrepat æra;
Et rogat, ut tectis exeat umbra suis.
Quum dixit novies, Manes exite paterni;
Respicit, et pure sacra peracta putat.
Dicta sit unde dies, quæ nominis exstet origo,
Me fugit: ex aliquo est invenienda deo.

bant aliquid; Met. ix. 299; sed nunc crepitus intellig. quem digitus medius pollici junctus et deinde celeriter in palmam depressus edit. *Levis*, tenui et umbratico corpore induta; Horatius I. Od. x. 18: *levis turba*. *Tacito*, nudis pedibus et sine rumore incedenti. Tibullus, I. ix. 4: "Sera tacitis Pœna venit pedibus."

435. Metam. dicto loco, Medea "Ter se convertit; ter sumtis flumine crinem Irroravit aquis." Apud Horatium, Epod. v. 25. Canidia per totam domum spargit *Avernales aquas*. Confer Æn. iv. 512. De *fabis* confer ii. 576. ubi anus *septem nigras versat in ore fabas*. *Redimo me*, ne domum meam turbetis et vexetis; Varro de Vita populi Romani: "Quibus temporibus in sacris fabam jactant noctu, ac dicunt se Lemures extra januam ejicere." Festus: "Fabam nec tangere, nec nominare Diali flamini licet; quod ea putatur ad mortuos pertinere: nam et Lemuralibus jacitur larvis, et Parentalibus adhibetur sacrificiis; et in flore ejus luctus literæ apparere videntur." *Colligere* nempe fabas.

441. Heinsius ex uno Mazarinæo invexit *aqua tangit*, scilicet *æra*; sed hic ritus non aliunde notus est. Revocavi igitur *aquam*, quod etiam τὸ *rursus* confirmare videtur, respicere enim nos jubet ver. 435. *Temesa*, urbs Bruttiorum jam Homeri ætate æris fodinis clara; Strabo, vi. p. 393; etiam Met. vii. 207. *Temesæa æra* in usu magico. Æris autem tinnitum aptum esse habitum ad spectra ejicienda, docet Neapolis. *Pure*, quod alias *rite*.

445. Nominis origo, ad quam inveniendam, more suo poeta deum invocat, et quidem Mercurium, cui res infernæ sunt notissimæ, et qui hoc mense colebatur; ver. 663: Plutarchus, Quæst. Roman. p. 148. *Invenire*, perscrutari. *Virga*, insigne Mercurii *potens*, quo multa efficere potest, quo etiam umbras ad *Stygii Jovis*, sive Plutonis regiam deducit ψυχοπομπός· Horat. dicto loco, ver. 17. *Adoratus*, imploratus a me.

Pleiade nate, mone, virga venerande potenti;
Sæpe tibi Stygii regia visa Jovis.
Venit adoratus Caducifer: accipe causam
Nominis: ex ipso cognita causa deo est.
Romulus ut tumulo fraternas condidit umbras,
Et male veloci justa soluta Remo:
Faustulus infelix, et passis Acca capillis
Spargebant lacrymis ossa perusta suis.
Inde domum redeunt sub prima crepuscula mœsti,
Utque erat, in duro procubuere toro:
Umbra cruenta Remi visa est adsistere lecto,
Atque hæc exiguo murmure verba loqui:
En ego dimidium vestri parsque altera voti,
Cernite, sim qualis; qui modo qualis eram!
Qui modo, si volucres habuissem regna jubentes,
In populo potui maximus esse meo.

451. Etiam Porphyrio ad Horatium, II. Ep. ii. 209: "Lemures dictos esse putant quasi Remures a Remo, cujus occisi umbram frater Romulus quum placare vellet, Lemuria instituit, id est Parentalia, quæ mense Maio per triduum celebrari solent ante additum anno mensem Februarium: ob quam rem Maio mense religio est nubere." Hæc fecunda Ovidii phantasia sic exornavit, ut Remi umbram nutritoribus suis in somnis adsistentem atque festum diem sibi poscentem fingeret. Cohæreut autem hæc cum iv. 810—856. ubi de *Remi* nece et exsequiis, atque de *Faustuli* et *Accæ* erga eum pietate. *Condidit*; sepulto corpore, *umbra* aut anima *sepulcro condi* dicebatur; Plinius, VII. Ep. xxvii. 11: Domus rite conditis Manibus caruit." Vide et Servium ad Æn. iii. 67. *Male*, in suam ipsius perniciem.

455. *Sub prima crepuscula.*] Ergo illæ exsequiæ tempore pomeridiano factæ, quum serius funera indictiva mane, tacita noctu instituerentur. Festus in vocab. *Vespillones. Torus durus*, sponda non strata ulvis aut aliis rebus mollibus; vide ad i. 200; et mox ver. 519. *Ut erat* sine apparatu. *Visus est adsistere* aut *adesse* formula solemnis de iis, qui in somnis apparent. *Dimidium et pars vestri voti*, alter alumnorum vestrorum; de *votis* parentum Metam. viii. 499. Eadem et nutricum erant; Horatius, I. Ep. iv. 8: "Quid voveat dulci nutricula majus alumno?" *Dimidium* autem et *pars voti* dictum ut in illis: *animæ dimidium meæ* Horatii, I. Od. iii. 8; et *animæ nostræ majorem partem*, Stat. Silv. III. i. 7. *Qualis eram* Heins. ex multis, iisque melioribus, prætulit, quia *qualis* pro *quantus* ponitur.

461. *Regna jubentes* dictum, ut Sallust. Jugurth. 84. 1: "Postquam ei

Nunc elapsa rogi flammis, et inanis imago;
Hæc est ex illo forma relicta Remo.
Heu! ubi Mars pater est? si vos modo vera locuti,
Uberaque expositis ille ferina dedit?
Quem lupa servavit, manus hunc temeraria civis
Perdidit: o quanto mitior illa fuit!
Sæve Celer, crudelem animam per vulnera reddas;
Utque ego, sub terras sanguinolentus eas.
Noluit hoc frater: pietas æqualis in illo est:
Quod potuit, lacrymas in mea fata dedit.
Hunc vos per lacrymas, per vestra alimenta rogate,
Ut celebrem festo signet honore diem.
Mandantem amplecti cupiunt, et brachia tendunt:
Lubrica prensantes effugit umbra manus.
Ut secum fugiens somnos abduxit imago;
Ad regem voces fratris uterque ferunt.

provinciam populus jussit." Aves autem *jubent*, dum portendunt, id est, divinitus significant. Atque ita Livius, i. 8. de Romulo: aves, *quæ augurio regnum portenderant;* ibidem 12. Romulus: *Jupiter, tuis, inquit, jussus avibus hic prima urbi fundamenta jeci. Inanis imago*, umbra exsanguis sine carne et ossibus. Ea levitate sua bene dicitur *elabi* flammis.

465. *Ubi est* vox ejus, qui indignatur, cessare aut negligi aliquid; Phædrus, i. fab. 9: "Ubi pernicitas illa est?" *Ille dedit ubera*, illius impulsu lupa dedit ubera. De marte nunc sermo est; ad eum bene refertur illa nutritio. *Mitior;* Livius, i. 4. lupam "submissas infantibus adeo mitem præbuisse mammas, ut lingua lambentem pueros magister regii pecoris invenerit."

469. De *Celere* vide ad iv. 837. *Per vulnera reddere animam*, ut iv. 150: *per vulnera animam expellere.* Gravis autem hæc imprecatio. Servius ad Æneid. iv: "Physici dicunt, eos, qui morte violenta concidissent, non recipi in originem suam, donec errantes legitimum fati tempus complevissent." *Sanguinolentus* autem Remus humum premit iv. 844. Ibi et de *pietate* Romuli, qui primum *lacrymas* devorat, mox autem fundit. *Æqualis*, æque magna ac in me est. Lacrymas dat *in* rem, qui eam lacrymis suis honestat. *Honore signare* formula exquisita, honestare; Plinius, V. Ep. i. 11: "factum meum nobili honore signavit." Similiter Paneg. xxiii. 1: honore nominum signare." Ergo et nunc sensus, hunc honorem huic diei habeat, ut eum festum esse jubeat. Honoris illius notionem pluribus verbis expressit.

476. Etiam Virg. Georg. iv. 501. Orphea inducit "prensantem nequidquam umbras" Eurydices, quæ, "ceu fumus in auras Commixtus tenues, fugit. Cedentem et fumi instar tactus fugientem *lubricam* nunc vocat.

Romulus obsequitur, lucemque Remuria dixit
Illam, qua positis justa feruntur avis.
Aspera mutata est in lenem tempore longo
Litera, quæ toto nomine prima fuit.
Mox etiam Lemures animas dixere silentum;
Is verbi sensus, vis ea vocis erat.
Fana tamen veteres illis clausere diebus;
Ut nunc ferali tempore operta vides.
Nec viduæ tædis eadem, nec virginis apta
Tempora: quæ nupsit, non diuturna fuit.
Hac quoque de causa, si te proverbia tangunt,
Mense malas Maio nubere vulgus ait.
Sed tamen hæc tria sunt sub eodem tempore festa
Inter se nullo continuata die.
Quorum si mediis Bœotum Oriona quæres;
Falsus eris: signi causa canenda mihi.
Jupiter, et, lato qui regnat in æquore, frater
Carpebant socias, Mercuriusque, vias.

483. *Lemures* in glossis explicantur *νυκτερινοὶ δαίμονες*. *Fana claudebantur* Feralibus quoque; confer ii. 563.

487. Hic quoque mos Lemuriis et Feralibus communis; ii. 557. Etiam Plutarchus, Quæst. Roman. p. 147. vol. vii. narrat, mense Maio non facile matrimonia contrahi, sed in Junium differri; ejusque rei causas plures adfert, etiam hanc, quod tunc mortuis parentent. Idem pag. 161. auctor est, publicis feriis *virgines* non nubere, sed *viduas*. *Non diuturna fuit*, non diu vixit. *Inter se nullo*, etc. Consentit Kalend. vetus.

493—544. V. *Idus Orion occidit*. Hic Orionis procreatio et relatio inter sidera narratur. Fabulam hanc absurdam et obscœnam habent etiam Apollodor. I. iv. 3; Palæphat. 5; Hyginus, fab. 195; Poet. Astron. ii. 26 et 34. aliique. Est autem *Orion* prope viam lacteam sidus egregium, cui hodie 78. stellæ tribuuntur.

Bœotum dedi, non *Bœoton*, quia omnes fere MSS. sic exhibent. Oriundus autem erat Tanagra, oppido Bœotiæ; Palæph. Sed Pindarus in dithyrambis patrem ejus Chium fecerat; Aristomachus Thebanum; Hyginus, ii. 26. *Falsum esse*, errare; Terent. Eun. II. ii. 43: *ut falsus animi est!* Hoc loco non invenire quod quæris. *Jupiter* et *Mercurius* sæpius ambulabant una in terris; nunc accessit *Neptunus*, quem tamen alii apud Hyginum, ii. 34. omiserunt, et cui Tzetzes ad Lycophr. Cassand. 328. Apollinem substituit.

Tempus erat, quo versa jugo referuntur aratra;
Et pronum saturæ lac bibit agnus ovis.
Forte senex Hyrieus, angusti cultor agelli,
Hos videt, exiguam stabat ut ante casam.
Atque ita; Longa via est, nec tempora longa super-
Dixit, et hospitibus janua nostra patet: [sunt,
Addidit et vultum verbis: iterumque rogavit.
Parent promissis; dissimulantque deos:
Tecta senis subeunt, nigro deformia fumo;
Ignis in hesterno stipite parvus erat.
Ipse genu posito flammas exsuscitat aura,
Et profert quassas comminuitque faces.
Stant calices: minor inde fabas, olus alter habebant;
Et fumant testu pressus uterque suo.
Dumque mora est, tremula dat vina rubentia dex-
Accipit æquoreus pocula prima deus. [tra:
Quæ simul exhausit; Da, nunc bibat ordine, dixit,
Jupiter: audito palluit ille Jove.

497. Tempus vespertinum describit fere ut Horatius, Epod. ii. 61: "Juvat pastas oves Videre properantes domum! Videre fessos vomerem inversum boves Collo trahentes languido!" Sed oves alia imagine exornavit, in qua tamen dubites, utrum *pronum* cum Mazarin. et Zulichemiano unde Heinsius accepit, an cum longe plurimis *pronus* præferas. *Pronum lac*, defluens ex ubere submisso; *pronus agnus* contra, caput submittens ad ubera ore pressanda.

499. *Hyrieus.*] Varie hoc nomen corruptum est in MSS; sed Ursini codex veram scripturam servavit. Græcis est Ὑριεύς. Eum regem nonnulli faciunt, Noster pauperculum, et alterum Philemona, cujus fab. Metam. viii. 626 sqq. cum hac comparanda est. Interp. Gallicus nescit, utrius exornationem præferat. Ego alterius in Metam. facile præfero; est enim multo et uberius et suavius tractata. *Tempora longa* diei. *Hospitibus.* Etiam a Palæphato φιλοξενώτατος vocatur. *Addidit vultum*, vultu hilari adjuvit hæc verba; Met. dicto loco: "super omnia vultus Accessere boni."

506. *Ignis in hesterno*, etc.] Sic explicat, quod Græci una voce Ζώπυρον. Formulam *exsuscitare ignem* multis exemplis comprobat Heinsius. Etiam Virg. Æn. viii. 410: "cinerem et sopitos suscitat ignes." *Et profert*, etc. Metam. dicto loco, Baucis "Multifidasque faces, ramaliaque arida tecto Detulit et minuit." *Quassæ* sunt non integræ, quas porro *minuit*, in fragmenta minuta concidit.

509. *Calices* nunc vasa in quibus cibi coquebantur.

Ut rediit animus, cultorem pauperis agri
  Immolat, et magno torret in igne bovem:
Quæque puer quondam primis diffuderat annis,
  Promit fumoso condita vina cado.
Nec mora; flumineam lino celantibus ulvam,
  Sic quoque non altis, incubuere toris.
Nunc dape, nunc posito mensæ nituere Lyæo:
  Terra rubens crater, pocula fagus erant.
Verba fuere Jovis: Si quid fert impetus, opta;
  Omne feres; placidi verba fuere senis:
Cara fuit conjux, primæ mihi cura juventæ
  Cognita: nunc ubi sit, quæritis? urna tegit.

517. *Diffundere* verbum proprium de vino, quando in dolia transfunditur condendum; Horatius, I. Ep. v. 4: Vina bibes iterum Tauro "diffusa." *Promere* solemne de rebus, quæ conditæ et servatæ proferuntur; Horat. Epod. ii. 47: "horna dulci vina promens dolio;" I. Od. ix. 7: "benignius Deprome quadrimum Sabina merum diota." Cadi apud veteres in fumariis reponebantur, ut fumo maturitatem contraherent; Tibullus, II. i. 27: fumosos veteris proferte "Falernos Consulis." Horat. III. Od. viii. 11: "Amphoræ fumum bibere institutæ consule Tullo."

519. Metam. dicto loco: *In medio torus est de mollibus ulvis*; confer supra i. 200. *Ulvam lino celabat torus*; ulva, linteo tegumento inclusa, imposita erat toro. *Alti* tori erant in ædibus beatiorum hominum; Æneid. ii. 2. Heinsius *testa*, operculo, *rubens* legi volebat, quia *crater* semper fuerit ex ære. Immo crater pauperiorum erat fictilis; Metam. dict. loc. 668. apponebantur "Omnia fictilibus; post hæc cælatus eadem Sistitur argilla crater, fabricataque fago Pocula," ubi vide notam. Et *pocula fagina* etiam Virgilio, Ecl. iii. 37; Tibullo, I. i. 38. memorantur.

523. *Fert impetus*, cupis; Met. i. 1. *fert animus*. Pro *opta* Francofurt. *ede*. Palæphatus; Ὁ δὲ ἄτεκνος ὢν ᾐτήσατο παῖδα. Id. Noster ut poeta exornavit. *Primæ juventæ*. Burmannus nesciebat, an satis Latine diceretur: *Cara conjux fuit cura, cognita mihi prima juventa*. Ipse, si per libros veteres liceret, libentius legeret: *primæ mihi flore juventæ Cognita*; certe vitium latere putabat. Taubnerus lectionem *primæ juventæ* tuetur, atque sensum sic constituit: cara fuit conjux, cognita a me, quam ut ducerem prima mihi juventa curandum putabam. Sunt et aliæ quædam varietates. Ego *condita* præfero atque cum sequentibus sic jungo: quæritis, ubi illa nunc abdita lateat, quum eam non cernatis? *Cura* autem vel homo, quem amamus, vel res, qua oblectamur. *Vocat deos in verba*, qui eos testes facit verborum suorum; Virgilius, Æneid. v. 234: *divos in vota vocare*, ubi vide Heynium. *Sed enim*, at vero. *Et pater*. Equidem sic capio, *et* non conjux, *et* pater. Notum est, *nec—et* sæpe legi.

Huic ego juratus, vobis in verba vocatis,
  Conjugio, dixi, sola fruere meo.
Et dixi, et servo ; sed enim diversa voluntas
  Est mihi : nec conjux, et pater esse volo.
Adnuerant omnes : omnes ad terga juvenci
  Constiterant : pudor est ulteriora loqui.
Tum superinjecta texere madentia terra :
  Jamque decem menses ; et puer ortus erat.
Hunc Hyrieus, quia sic genitus, vocat Uriona :
  Perdidit antiquum litera prima sonum.
Creverat immensum : comitem sibi Delia sumsit :
  Ille deæ custos, ille satelles erat.
Verba movent iras non circumspecta deorum :
  Quam nequeam, dixit, vincere, nulla fera est.

531. Unus Farnesianus *constiterunt ;* tum Heinsius etiam *annuerunt* legi vult ; sed plusquamperfectum bene se habet, indicatque paratissimos fuisse deos ad ista facienda ; vide Clark. ad Homerum, Il. A. 37. p. 10. Heinsius etiam putat, vaccam a diis esse initam, ideoque *juvencæ* dedit. Immo sumserunt : *τὴν τοῦ ἱερουργηθέντος αὐτοῖς βοὸς βύρσαν·* Palæphat. *Mercurius de tauro, quem Hercules* (forte *Hyrieus*) *ei immolarat, corium protulit ;* Hyginus, fab. 195. Reliqua idem Poet. Astron. ii. 34. Pindari dithyrambis (Strabo, x. p. 620.) sic narrat : " et quod fecerant urinæ in corium infudisse, et id sub terra poni jussisse : ex quo postea natum puerum, quem Hyrieus e facto Uriona nomine appellaret : sed vetustate et consuetudine factum est, ut Orion vocaretur." Palæphato dictus est *Οὐρίων, διὰ τὸ οὐρῆσαι ὥσπερ τοὺς θεούς· ἔπειτα κατ' εὐφημισμὸν, Ὡρίων.* Sic et alii, ut Servius ad Æneid. i. 539. qui putat, Dorica lingua *ov* mutatum esse in *o*. Cæterum Pherecydes et Hesiodus Oriona Neptuni fecerunt ex Euryale, Minois filia, filium, atque adeo honestiorem ei dederunt originem. Nomen autem ab *Oreo* monte, in quo educatus, accepisse legitur apud Strabonem, x. p. 632.

537. *Creverat immensum.*] Apollodorus dicto loco : *τοῦτον γηγενῆ λέγουσιν ὑπερμεγέθη τὸ σῶμα.* Secundum Eratosthium, Palæphat. et Theon. ad Arat. p. 80. Orion vim inferre voluit Dianæ venanti, illa vero irata scorpium e terra protulit ; a quo ictus Orion periit, sed a Jove inter sidera relatus est. Alii cum Callimacho narrabant, confixum eum esse sagittis Dianæ ; Hyginus, ii. 34. Inde etiam Horatius, III. Od. iv. 71 : " integræ Tentator Orion Dianæ, Virginea domitus sagitta." Sed traditioni, quam Ovidius secutus est, similem fere habet Hyginus, ii. 26. *Gemellipara dea* Latona etiam Metam. vi. 315. vocatur, et videtur hoc nomen ab ipso Ovidio compositum esse. *Ferre deæ*, immittere spicula sua in deam ; Burmannus comparat *ferrum jugulo ferre* apud Silium, ix. 519.

Scorpion immisit Tellus: fuit impetus illi
Curva gemelliparæ spicula ferre deæ.
Obstitit Orion: Latona nitentibus astris
Addidit; et, Meriti præmia, dixit, habe.
Sed quid et Orion, et cætera sidera mundo
Cedere festinant, noxque coartat iter?
Quid solito citius liquido jubar æquore tollit
Candida, Lucifero præveniente, dies?
Fallor, an arma sonant? non fallimur; arma sonant:
Mars venit; et veniens bellica signa dedit.
Ultor ad ipse suos cœlo descendit honores,
Templaque in Augusto conspicienda foro.
Et deus est ingens, et opus: debebat in urbe
Non aliter nati Mars habitare sui.
Digna Giganteis hæc sunt delubra tropæis:
Hinc fera Gradivum bella movere decet;

545—598. IV. *Idus, sive die* xii. *Ludi Circenses in honorem Ultoris,* cui Augustus in Foro suo templum posuit, votum illud in bello Philippensi; Suetonius August. 29. Vide Masson. in Vita Ovidii ad annum 752.

Sed quid Orion, etc.] Ipsa sidera et sol cupide exspectant initium illorum solemnium. Simile figmentum habes iv. 673. *Orionis* autem nexus causa, cæterum non satis commode, mentio facta; occiderat enim jam vesperi. *Cedunt mundo,* occidunt; Metam. xi. 511. *excedere olympo;* Virgilius amat sic *decedere,* ut Georg. i. 222. 450. et alibi. *Coartatur iter* alias, quando montibus aut silvis occurrentibus fit angustius. Nunc brevius iter intel. *Præveniente Lucifero;* stella Veneris, quæ prænuntiat diem. Lem.

549. Incipit cum sonitu armorum, fere, ut iv. 181. Dii evocari solebant carminibus κλητικοῖς, ut *venirent,* sacrisque suis adessent. *Signa dedit,* ut Jupiter Metam. i. 220: "signa dedi venisse deum." *Ad ipse.* Præpositiones sic solent interdum transponi, ut Metam. i. "in domino dignos everti tecta Penates," ubi vide notam. *Forum* suum *Augustus* exstruxit, quia duo hominum et judiciorum multitudini non sufficiebant: ideoque festinantius, nondum perfecta Martis æde, publicatum est; Suetonius dicto loco. Insigne hoc templum fuisse, vel ex hoc loco apparet. Jam Julius Cæsar: "Marti templum, quantum nusquam esset, exstruere" voluit; Suetonius Jul. 44.

555. *Digna—decet.*] Hæc lucem accipiunt e verbis Suetonii dicto loco, de Augusto: "Sanxit ergo, ut de bellis triumphisque hic consuleretur senatus; quique victores redissent, huc insignia triumphorum inferrent." *Fastigia summa* templorum ornari solebant simulacris deorum; Metam. ii. 3: "ebur nitidum fastigia summa

Seu quis ab Eoo nos impius orbe lacesset;
Seu quis ab occiduo sole domandus erit.
Prospicit Armipotens operis fastigia summi;
Et probat invictos summa tenere deos.
Prospicit in foribus diversæ tela figuræ,
Armaque terrarum milite victa suo.
Hinc videt Æneam oneratum pondere sacro,
Et tot Iuleæ nobilitatis avos.
Hinc videt Iliaden humeris ducis arma ferentem,
Claraque dispositis acta subesse viris.
Spectat et Augusto prætextum nomine templum,
Et visum, lecto Cæsare, majus opus.

tenebat," ubi vide notam. *Invictos*, quia Roma invicta. Interpres Gallicus putat Jovem, Herculem, ipsumque Martem intelligi. *Tela* Neapolis intelligit insignia triumphorum, de quibus Suetonius dicto loco; verum hæc non potuerunt *in foribus* esse. Intellige *tela* foribus vel insculpta, vel præfixa. In verbis *arma victa* non debebat hærere Burmannus; sunt utique arma victarum terrarum.

563. Et statuis et tabulis pictis Augustus Forum suum instruxit; Suetonius August. 31: "Proximum a diis immortalibus honorem memoriæ ducum præstitit. Itaque et opera cujusque, manentibus titulis, restituit: et statuas omnium triumphali effigie in utraque Fori sui porticu dedicavit." Ac *titulis* quidem forum ejus prænituisse, etiam Velleius, ii. 39. narrat. Plinius, xxxv. 10. ubi Apellis tabulas quasdam nominavit, pergit: "Quas utrasque tabulas divus Augustus in Fori sui partibus celeberrimis dicaverat simplicitate moderata." In istis simulacris non mirum est fuisse etiam *Iuleæ nobilitatis avos*, de quibus iv. 29 sqq. *Æneam sacra et, sacra altera, patrem humeris ferentem* sæpius Noster memorat; i. 527; iv. 37; Metam. xiii. 625. Pro eo nunc, *oneratum pondere sacro*, id est, et patre et penatibus. *Iliades*, Romulus Iliæ filius, *ducis*, regis, Cæninensis, a se obtruncati, *arma*, spolia, retulit. Redux Jovi Feretrio templum vovit, sedem spoliis opimis; Livius, i. 10. *Claraque*, etc. Statuæ virorum illustrium ordine quodam collocatæ in basi habebant titulos, sive indicem rerum præclare ab iis gestarum; vide quæ modo ad versum 563. dedimus.

567. Templum in fronte *Augusti nomen* ex more inscriptum ostentabat. Quæ in fronte rei aut in margine sunt, ea *prætexta* vocantur; Plinius, paneg. lii. 2: *postibus prætexi*, statuas suas ante fores templi ponere. Seneca, Epist. 89: "Fluminum ripas ædificia prætexunt." *Lecto Cæsare*, lecto Cæsaris nomine, visum majus, quia tanto a viro dedicatum. Succurrit illud Gnathonis apud Terentium, Eun. iii. 1: "Læta est non tam ipso quidem dono, quam abs te datum esse: id vero serio triumphat!" De tempore templi voti consentit Suetonius, 29:

Voverat hoc juvenis tunc, quum pia sustulit arma:
A tantis princeps incipiendus erat.
Ille manus tendens, hinc stanti milite justo,
Hinc conjuratis, talia dicta dedit:
Si mihi bellandi pater est, Vestæque sacerdos
Auctor, et ulcisci numen utrumque paro:
Mars, ades; et satia scelerato sanguine ferrum;
Stetque favor causa pro meliore tuus.
Templa feres; et, me victore, vocaberis Ultor.
Voverat; et fuso lætus ab hoste redit:
Nec satis est meruisse semel cognomina Marti:
Persequitur Parthi signa retenta manu.
Gens fuit et campis, et equis, et tuta sagittis,
Et circumfusis invia fluminibus.

"Ædem Marti bello Philippensi pro ultione paterna suscepto voverat." *Princeps incipiendus erat*, principalis dignitas a tantis rebus proficisci debebat.

571. Ipse vovens inducitur. *Hinc stanti*, etc. De Julio Cæsare, *Vestæ sacerdote*, interfecto vide iii. 699. *Numen utrumque*, patris et pontificis maximi.

579. Anno U. C. 699. M. Crassus a Parthis erat occisus, Orode regnante, exercitusque ejus partim deletus, partim captus. Postea Antonius clademab iisdem hostibus accepit. Sed anno U. C. 734. quum Augustus in Asia versaretur, Phraates, rex Parthorum, et metuens, ne bello ab eo peteretur, et suis diffidens, signa Romanis olim adempta ei sponte remisit. De ea re tamquam de victoria insigni, mirum in modum lætatus est Augustus, in gaudii societatem venientibus Romanis, qui eam et nummis et carminibus celebrarunt; Justin. xlii. 5: "Plus Cæsar magnitudine nominis sui fecit, quam armis alius imperator facere potuisset." Vide Dionem, liv. 8. qui et hujus templi meminit: Νεὼν Ἄρεως Τιμωροῦ ἐν τῷ Καπιτωλίῳ κατὰ τὸ τοῦ Διὸς φερετρίου ζήλωμα, πρὸς τὴν τῶν σημείων ἀνάθεσιν καὶ ψηφισθῆναι ἐκέλευσε, καὶ ἐποίησεν. His verbis atque varia forma, quam Martis Ultoris templum in nummis habet, (vide Patin. ad Suetonii dictum locum) moti nonnulli putarunt, duo templa Augustum huic deo posuisse, alterum Ultori in Foro suo, alterum, receptis signis, in capitolio Marti Bisultori. Sed nec Ovidius, nec alius scriptor hanc opinionem confirmat. Itaque Masson. et Reimar. monent, apud Dionem verba ἐν τῷ Καπιτωλίῳ ad ζήλωμα pertinere, aut corrupta esse; nummos autem non diversa templa, sed varias ejusdem templi facies exhibere. Quo jure poeta hæc Parthica addiderit, dixi ad versum 545.

581. Amplificatur Augusti honor. Quo difficilior aditu illa gens, quo ferocior rebus suis secundis, quo tristior ignominia Romanis inde illata, eo major Augusti gloria receptis signis.

Addiderant animos Crassorum funera genti,
Quum periit miles, signaque duxque simul.
Signa, decus belli, Parthus Romana tenebat;
Romanæque aquilæ signifer hostis erat.
Isque pudor mansisset adhuc, nisi fortibus armis
Cæsaris Ausoniæ protegerentur opes.
Ille notas veteres, et longi dedecus ævi
Sustulit: agnorunt signa recepta suos.
Quid tibi nunc solitæ mitti post terga sagittæ,
Quid loca, quid rapidi profuit usus equi,
Parthe? refers aquilas: victos quoque porrigis ar-
Pignora jam nostri nulla pudoris habes. [cus:
Rite deo templumque datum, nomenque bis ulto,
Et meritus votis debita solvit honos.
Solemni ludos circo celebrate, Quirites:
Non visa est fortem scena decere deum.

Parthi *equis* metuendi ac *sagittis*, quibus e simulata fuga retro missis, hostem incaute persequentem obruebant; Horatius, I. Od. xix. 11; II. Od. xiii. 17; Justinus, xli. 2. *Campi* eorum immensi et equis alendis, et præliis equestribus committendis inserviebant. *Crassorum*, patris et filii; Florus, iii. 11: "Cupiditas Crassi, dum Parthico inhiat auro, undecim strage legionum et ipsius capite multata est.—Filium ducis pæne in conspectu patris telis operuere." Justinus, xlii. 4: "Orodes Crassum imperatorem cum filio et omni exercitu Romano delevit." E signis militaribus maxima *decora* erant *aquilæ* argenteæ legionum. *Pudor*, idem quod mox *nota*; Plinius, paneg. xci. 2. *notam pudoremque* conjungit.

589. *Notas*, ignominias, *veteres*, quæ per triginta amplius annos inultæ manserant. Ipsis *signis* vitam et sensum tribuit, ut Plinius, paneg. i. 4. tectis: "sentire et lætari videntur, quod niteant." *Quid tibi*, etc. Hæc exacte respondent superiori ver. 581.) In nummis quibusdam Parthus flexo genu porrigit Augusto altera manu signa, altera suos *arcus* et pharetras; inde Horatius, I. Ep. xii. 27: "jus imperiumque Phraates Cæsaris accepit genibus minor." Sic illi *victi* dici poterant, quia victarum gentium erat arma sua *porrigere* victori, ut i. 646: *Germania crines suos porrigit. Pignora pudoris*, quæ testantur ignominiam nostram pudendam; ignominiam illam describit Horatius, III. Od. v.

596. *Meritus*, etc.] Augustus votis suis honorem meritus solvit debita. *Sollemnis circus* bene dicitur in quo ludi exhibentur. Art. Amat. i. 133: *sollemnia theatra. Scena decere*; conf. ver. 347. Augustum naumachia exhibita templi illius dedicationem celebrasse, narrat Velleius, ii. 100.

Pleiadas adspicies omnes, totumque sororum
Agmen, ubi ante Idus nox erit una super.
Tum mihi non dubiis auctoribus incipit æstas;
Et tepidi finem tempora veris habent.
Idibus ora prior stellantia tollere Taurum
Indicat: huic signo fabula nota subest.
Præbuit, ut taurus, Tyriæ sua terga puellæ
Jupiter, et falsa cornua fronte tulit.
Illa jubam dextra, læva retinebat amictus;
Et timor ipse novi causa decoris erat.
Aura sinus implet; flavos movet aura capillos.
Sidoni, sic fueras accipienda Jovi!
Sæpe puellares subducit ab æquore plantas;
Et metuit tactus adsilientis aquæ.
Sæpe deus prudens tergum demittit in undas,
Hæreat ut collo fortius illa suo.
Litoribus tactis stabat sine cornibus ullis
Jupiter; inque deum de bove versus erat.

599—602. III. *Idus* sive *die* xiii. *Pleiades oriuntur heliace*, et *Æstas incipit*. De *Pleiadibus* vide iv. 169 sqq. Earum ortu et occasu jam Hesiod. Ἔργ. 383. opera rustica definiebat. Ortum alii die 44. alii 48. ab æquinoctio verno contingere putabant; Varro, i. 28; Columella, xi. 14. Vid. Petavius Varr. Dissert. lib. ii. cap. 9. ubi eos tuetur, qui diem 48. inter xiv. et xv. diem Maii constituerunt, atque Ovidium, qui xiii. diem habet, errasse ostendit. Plin. xviii. 29: "Virgiliarum (id est, Pleiadum) exortu æstas incipit, occasu hiems." Sic et Aratus.

603—620. *Pridie Idus Tauri caput oritur.*] De hoc sidere iv. 717. Tauri et Europæ fabulam Noster etiam Metam. ii. 383. ad finem, narravit, ubi et alios auctores laudavimus. *Ora stellantia* supra ver. 165. *ora septem radiantia flammis* vocantur. Europa, Agenoris, regis Phœnicum filia, mox *Tyria*, mox *Sidonis* a poetis appellatur. *Falsum* passim in Metam. de forma aliena, quam quis fallendi causa ad tempus sumsit, aut in quam mutatus est a deo aliquo.

607. Hæc fortasse e tabula antiqua expressa sunt. Etiam Lucianus Dialog. Zephyri et Noti, tom. ii. pag. 125: *ἡ δὲ τῇ λαιᾷ μὲν εἶχετο τοῦ κέρατος, ὡς μὴ ἀπολισθάνοι, τῇ ἑτέρᾳ δὲ ἠνεμωμένον τὸν πέπλον ξυνεῖχε.* Met. dicto loco, *dextra cornu tenet, altera dorso imposita est. Juba* nunc tribuitur *tauro*, ut III. Amor. v. 24. De illo *novo decore* vide ad ii. 757. *Aura sinus implet*; Metam. dicto loco: "tremulæ sinuantur flamine vestes." *Accipienda*, scilicet dorso tauri.

615. *Litoribus*, nempe Cretæ. Ibi

Taurus init cœlum: te, Sidoni, Jupiter implet;
Parsque tuum terræ tertia nomen habet.
Hoc alii signum Phariam dixere juvencam;
Quæ bos ex homine est, ex bove facta dea.
Tum quoque priscorum virgo simulacra virorum
Mittere roboreo scirpea ponte solet.
Corpora post decies senos qui credidit annos
Missa neci, sceleris crimine damnat avos.
Fama vetus: tum, quum Saturnia terra vocata est,
Talia fatidici dicta fuere dei:
Falcifero libata seni duo corpora, gentes,
Mittite, quæ Tuscis excipiantur aquis.

" posita fallacis imagine tauri Se confessus erat" Jupiter; Metam. iii. 1. *Hoc alii*, etc. conf. iv. 717; Hyginus, Poet. Astron. ii. 21. *Phariam juvencam*, Io, Inachi filiam, cujus duplicem transformationem *ex homine in bovem* et *in Deam ex bove* habes Met. i. *Phariam*, Ægyptiam. Amat hanc vocem Claudianus. Verba *Quæ bos*, etc. etiam Heroid. xiv. 86. leguntur, atque adeo placuisse videntur Ovidio.

621—662. Eodem die pontifices et virgines vestales scirpea virorum simulacra in Tiberim projicere solebant; cujus rei causæ adferuntur. Vide Dionys. Halicarn. i. 19 et 38; Plutarchum, Quæst. Rom. p. 102. Reisk.

Tum, Idibus Maiis, sacrificio ante peracto, pontifices, vestales, prætores aliique cives, simulacra ad humanæ formæ similitudinem facta, numero triginta, de ponte sublicio in Tiberim mittebant; Dionysius, qui simulacra illa vocat εἴδωλα ἀνδρείκελα, κεκοσμημένα τὸν αὐτὸν ἐκείνοις τροπον. *Scirpea* fuisse, testatur etiam Varro, qui tantum viginti quatuor numerat. Dicta autem sunt *Argei*. *Roboreus*, sublicius; a Dionysio sacer, a Plutarcho ligneus, ξυλίνη, vocatur. *Corpora post decies*, etc. Falsa fama improbatur. Sexagenarii, Oscorum lingua *casnares* dicebantur. Varro: " Vix effatus erat, quum more majorum ultro casnares arripiunt, de ponte in Tiberim deturbant."

625. Pelasgis Dodonæ oraculum erat editum: Στείχετε μαιόμενοι Σικελῶν Σατουρνίαν αἶαν, Ἡδ' Ἀβοριγενέων Κοτύλην, οὗ νᾶσος ὀχεῖται. Οἷς ἀναμιχθέντες δεκάτην ἐκπέμψατε Φοίβῳ, καὶ κεφάλας Ἄδῃ, καὶ τῷ πατρὶ πέμπετε φῶτα. " Ite quærentes Siculorum Saturniam terram, atque Aboriginum Cotylen, ubi insula natat. Quibus permixti decimam mittite Phœbo, et capita Diti, et patri mittite virum;" Dionysius. *Dei* ex Mediceo Heins. dedit, ut de Apolline agatur. Quia vero, auctore Dionysio, Dodonæum fuit oraculum, propterea idem *Jovis* mallet. *Falcifero seni*, sive Saturno priscos Italiæ incolas homines obtulisse ita, ut eos pedibus manibusque vinctos in Tiberim projicerent, narrant et Dionys. et Lactant. *Tuscæ aquæ*, Tiberis, et i. 500.

Donec in hæc venit Tirynthius arva, quotannis
  Tristia Leucadio sacra peracta modo.
Illum stramineos in aquam misisse Quirites:
  Herculis exemplo corpora falsa jaci.
Pars putat, ut ferrent juvenes suffragia soli,
  Pontibus infirmos præcipitasse senes.
Tibri, doce verum; tua ripa vetustior urbe:
  Principium ritus tu bene nosse potes.
Tibris arundiferum medio caput extulit alveo;
  Raucaque dimovit talibus ora sonis:
Hæc loca desertas vidi sine mœnibus herbas:
  Pascebat sparsos utraque ripa boves.

629. Omnes, quos supra laudavi, auctores in eo consentiunt, Herculem ex Hispania redeuntem abrogasse illum morem. *Leucas* ad litus Acarnaniæ, olim peninsula, postea insula; Metam. xv. 289; Plinius, ii. 90. ibique Harduinus. In ea insula scopulus erat, unde, ad exemplum Saphus, desilire solebant, qui amorem excuti e pectore suo aliisque injici vellent; Heroid. xv. 163 sqq; Athenæus, xiv. 3; Servius ad Virg. Eclog. ix. 57; Vossius ad Catullum. Inde hic scopulus amantium dictus est. Sed inde et in sacris Apollinis malefici quidam, quibus alæ illigatæ erant, dejiciebantur, ita quidem, ut exciperentur ab hominibus in cymbis dispositis; Strabo, x. p. 452. *Quirites* Herculis tempore nondum erant. Suasit autem Hercules hominibus istius terræ: "Ut faustis sacrificiis infausta mutarent, inferentes Diti, non hominum capita, sed oscilla ad humanam effigiem arte simulata, et aras Saturnias, non mactando viros, sed accensis luminibus excolentes, quia non solum virum, sed et lumina *φῶτα*" (quod in oraculo occurrit) "significat;" Macrobius, Sat. lib. i. cap. 7; de Herculis adventu in Italiam.

633. Hæc opinio orta erat e proverbio male intellecto. Nonius: "Quum in quintum gradum pervenerant, atque habebant sexaginta annos, tum denique erant a publicis negotiis liberi atque expediti et otiosi: ideo in proverbium quidam putant venisse, sexagenarios de ponte dejici oportere, id est, quod suffragium non ferant, quod per pontem ferebant." Similia habet Festus. Alias causas Plutarchus dicto loco adfert, aut barbaros, qui antiquissimis temporibus illa loca incolerent, Græcos si quos cepissent, interfecisse, aut ipsum Evandrum, quum Argivi Arcadibus inimicissimi essent, istam odii memoriam secum in Italiam adtulisse.

637. *Arundine* cingi Flumina solebant; Met. ix. 3. Achelous: "inornatos redimitus arundine crines." *Sparsi* non paucos indicat, sed in pascuis errantes, non gregatim incedentes. *Quem nunc*, etc. Met. ii. 259: "Cuique fuit rerum promissa potentia, Tibris." Propter illam potentiam gentes *Tiberin norantque timebantque.*

Et quem nunc gentes Tiberin noruntque timentque,
Tunc etiam pecori despiciendus eram.
Arcadis Evandri nomen tibi sæpe refertur:
Ille meas remis advena torsit aquas.
Venit et Alcides, turba comitatus Achiva:
Albula, si memini, tunc mihi nomen erat.
Excipit hospitio juvenem Pallantius heros:
Et tandem Caco debita pœna venit.
Victor abit, secumque boves, Erytheïda prædam,
Abstrahit: at comites longius ire negant.
Magnaque pars horum desertis venerat Argis:
Montibus his ponunt spemque Laremque suum.
Sæpe tamen patriæ dulci tanguntur amore;
Atque aliquis moriens hoc breve mandat opus:
Mittite me Tiberi; Tiberinis vectus ut undis
Litus ad Inachium pulvis inanis eam.

643. De *Evandri* adventu i. 471 sqq. *Torquere*, alibi *verberare*. De nomine *Albula* ii. 389. *Pallantius heros* supra ver. 97. *Nonacrius heros* vocatur. De *Caco* ejusque *pœna* i. 551 sqq. *Venire* et mala dicuntur quæ nobis accidunt, et bona, quæ contingunt; Phædrus, I. fab. ii. 31: *majus ne veniat malum*. Et apud Ciceronem Verres hæreditatem *sibi venisse* putabat. *Erytheïdes* boves etiam i. 543.

651. *Argis* venisse Herculis socios, et quosdam eorum mansisse in Italia, et aliunde constat. Hinc apud Virgil. Æneid. x. 779. Antores, Herculis comes: "Qui missus ab Argis hæserat Evandro, atque Itala consederat urbe." Ab *Argis* simulacra illa *Argei* dicta. *Desertis*, scilicet a se, e copia poetica additum. Cæterum secundum Macrobium non sponte illi remanserunt, sed ab Hercule relicti sunt, vel irato, quod armentum non satis custodivissent, vel eo consilio, ut aram suam ab incursionibus tuerentur. *Montibus*, etc. "Quum a latronibus infestarentur, occupato edito colle, Saturnios se nominarunt, quo ante nomine etiam idem collis vocabatur;" Macrobius, i. 7. Idem, cap. 11. ex Epicado refert, Herculem ponte, qui post sublicius dictus, ad tempus instructo, hominum simulacra pro numero sociorum, quos casu peregrinationis amisisset, in fluvium dejecisse, ut aqua secunda in mare devecta pro corporibus defunctorum veluti patris sedibus redderentur.

653. Pro *tanguntur* Sarravianus *torquentur*, quod vero τῷ *dulci* non convenit: sed *tangi amore* elegans locutio. *Pulvis*, cinis corporis combusti; Met. viii. 496: *Exiguus jacebimus pulvis*; Anacr. iv. 9: ὀλίγη κεισόμεσθα κόνις· Horatius, IV. Od. vii. 16: *Pulvis et umbra sumus*. Neapolis verbis Scholiast. Lycophr. do-

Displicet hæredi mandati cura sepulcri:
  Mortuus Ausonia conditur hospes humo.
Scirpea pro domino Tiberi jactatur imago,
  Ut repetat Graias per freta longa domos.
Hactenus: ut vivo subiit rorantia saxo
  Antra; leves cursum sustinuistis aquæ.
Clare nepos Atlantis, ades; quem montibus olim
  Edidit arcadiis Pleias una Jovi:
Pacis et armorum superis imisque deorum
  Arbiter, alato qui pede carpis iter,
Læte lyræ pulsu, nitida quoque læte palæstra;
  Quo didicit culte lingua favente loqui.
Templa tibi posuere patres spectantia circum
  Idibus: ex illo est hæc tibi festa dies.

cet, solitos esse Græcos cineres amicorum extra patriam mortuorum arcis inclusos domum deportare. *Sepultus*, quocumque modo conditus, etiam in aquam abjectus; Cuperus in Observ. i. 7.

661. *Hactenus* locutus est Tiberis. In foraminibus, unde fluvius exit, poetæ fingebant *antra*, in quibus dii fluviales habitarent. *Rorare* dicuntur loca humida; Met. iii. 177: "intravit rorantia fontibus antra." *Vivum*, ut Met. iii. 159: *pumex vivus*; et v. 317: *facta de vivo sedilia saxo*. *Leves*, celeres. *Ut*, non *et*, postulat series orationis.

663—692. *Idibus Mercurio templum positum; hinc ille dies mercatoribus inprimis festus.* Præmittuntur Mercurii laudes; sequuntur piamina et preces mercatorum.

Clare nepos, etc.] De virtutibus ejus confer vers. 103 et 447. Vide Bentleium ad dict. loc. cui displicebat hoc loco *una* Pleias, quia sponte intelligatur, non duabus matribus genitum esse Mercurium; suadebat ergo *uda*, quia Pleiades passim poetis *aquosæ*, *madidæ*, *imbriferæ* dicuntur; sed Burmannus ad Heroid. xv. 162. docet *unam Pleiada* recte dici unam ex Pleiadibus. Et hoc loco incommode *uda* nobis Pleias exhiberetur. *Montibus*, Cyllene monte.

666. *Arbiter* idem quod *interpres*, μεσίτης; is, per quem transigitur aliquid inter duos; Livius, ii. 33: "interpres arbiterque concordiæ civium." Mercurius pacis et armorum arbiter propter eloquentiam et prudentiam, qua excellit. Inde *Pacifer* in nummis vocatur. Vide Jani Excursum iii. ad Horatium, Od. lib. i. De *lyra* ab eo inventa supra ver. 104. *Nitida* vocatur palæstra et Metam vi. 241; et *uncta* Heroid. XI. 19. quia luctantes oleo ungebantur. *Palæstra* valebat ad corporis motus formandos roburque confirmandum. *Lætus* poetis omnino, qui aliquid habet aut tractat. *Culte*, facunde.

670. Anno U. C. 258. Idibus Maiis Mercurio ædes posita; quam, populo jubente, dedicavit M. Lætorius,

Te, quicumque suas profitetur vendere merces,
  Ture dato, tribuas ut sibi lucra, rogat.
Est aqua Mercurii portæ vicina Capenæ:
  Si juvat expertis credere, numen habet.
Huc venit incinctus tunicas mercator; et urna
  Purus suffita, quam ferat, haurit aquam.
Uda fit hinc laurus: lauro sparguntur ab uda
  Omnia, quæ dominos sunt habitura novos.
Spargit et ipse suos lauro rorante capillos;
  Et peragit solita fallere voce preces.
Ablue præteriti perjuria temporis, inquit:
  Ablue præterita perfida verba die.
Sive ego te feci testem, falsove citavi
  Non audituri numina magna Jovis;

primi pili centurio; Livius, ii. 21 et 27; unde et apparet, eodem tempore collegium mercatorum esse institutum. Mercaturæ præerat Mercurius, quia illa multa ingenii sollertia opus habet. Hinc in monumentis cum Fortuna jungitur, ancoram tenet, rostro navali insidet. Vide Jani dict. loc. De *aqua Mercurii* nihil apud alios auctores. *Numen*, vis expiandi.

675. *Incinctus*, cinctus; Neapolis monet, eum fuisse habitum mercatorum, ut e cingulo marsupium auri monetalis suspensum gestarent. Vulgo *tunica*. Sed plurale *tunicæ* sæpe de uno homine legitur, ut apud Plinium, II. Ep. xx. 10; IV. xvi. 2. *Suffita*, fumo, suffimine lustrata. De *suffimine* iv. 731; de *lauro* 728; de voce *rorare* ad ver. 778. *Quæ dominos*, etc. merces vendendæ.

680. *Preces*, quibus mercator nil nisi *perjuria* et *perfidiam* sibi condonari, et nova lucra dari petit. Quomodo tales preces *peractæ*, recitatæ sint, ex Horatio, I. Epist. xvi. 58. intelligitur: "Quandocumque deos vel porco, vel bove placat; Jane pater, clare; clare quum dixit, Apollo; Labra movet metuens audiri; pulchra Laverna, Da mihi fallere, da justo sanctoque videri: Noctem peccatis, et fraudibus objice nubem." Hinc apparet quam mala fuerit mercatorum fama. *Ablue*, condona, cum respectu ad purgationes. *Præterita die*, præterito tempore, sive præteriti temporis. Nescio, cur Burmannus hæc ad vesperam tantum ejus diei referebat, quo mercator his sacris operatus sit. *Citare testem* formula propria; Petronius, 2: "Ne poetas quidem ad testimonium citem." Phædrus, i. fab. 17: "lupus testis citatus." Nam *citare* sensu primo est vocare. Ex interpretatione igitur fluxit aliorum *vocavi*. *Non audituri*, sperans eum non auditurum esse. Olim *nomina* aut *numina vana;* male. Tibullus, III. vi. 22: "Qui timet irati (Bacchi) numina magna." *Prudens*, sciens, consulto. Terentius Eunuch. I. i. 27: *sciens prudensque pereo*. Formula jurandi

Sive deum prudens alium divamve fefelli;
  Abstulerint celeres improba dicta Noti.
Et pereant veniente die perjuria nobis:
  Nec curent Superi, si qua locutus ero.
Da modo lucra mihi, da facto gaudia lucro:
  Et face, ut emtori verba dedisse juvet.
Talia Mercurius poscentem ridet ab alto,
  Se memor Ortygias surripuisse boves.
At mihi pande, precor, tanto meliora petenti,
  In Geminos ex quo tempore Phœbus eat?
Quum totidem de mense dies superesse videbis;
  Quot sunt Herculei facta laboris, ait.

erat, *si sciens fallo*. Macrob. Saturn. i. 16: eum, qui talibus diebus (feriis) imprudens aliquid egisset, porco piaculum dare debere: prudentem expiare non posse, Scævola pontifex asseverabat." Res irritas venti *ferre, auferre* dicuntur, et quas quis ex animo ejicere vult, eas *tradit ventis*: Horatius, I. Od. xxvi. 2.

687. *Pereant*, non puniantur. Burmanno placebat, quod in Juniano et altero Puteano est, *perjuria noctis*, ut nec ipsa nocte fallere mercator desistat. Id vero mihi paulo argutius videtur. Eidem Burmanno etiam verbum *locutus* frigere videbatur; malebat igitur *jocatus*; illud enim genus hominum jusjurandum ut jocum habere. Immo ad *qua* repete *perjuria*. Pro *face* multi *fac*. *Poscentem*, precantem; Horatius, I. Od. xxxi. 1: "Quid dedicatum poscit Apollinem Vates?" vulgo *poscentes*; sed de uno sermo est inde a ver. 675. Memor erat Mercurius, se *callidum, quidquid placuit, jocoso Condere furto*, Horatius, I. Od. x. 7. ubi hoc ipsum exemplum subjicitur de bubus Apollinis, quas *arte sua*, id est, calliditate qua excellebat, abegit. Res narratur Met. ii. 676 sqq. *Ortygias*, Apollinis in insula Ortygia nati; vide ad Met. i. 694.

693—720. XIV. *Kalendas Junias sol in Geminos transit.* Ejus sideris origo narratur. Castor et Pollux, Tyndarei filii, quum Phœben et Hilairam, Lycippi filias rapuissent, Lynceo et Idæ, Apharei filiis, quibus virgines illæ desponsatæ erant, bellum moverunt, in quo Castor Lyncei ense trajectus, Lynceus Pollucis hasta transforatus, Idas Jovis fulmine necatus est. Pollux, quum Jupiter eum in cœlum recipere vellet, rogavit, ut eum honorem partiri cum fratre sibi liceret; confer Pindar. Nem. x. 103 sqq. *At mihi*, etc. Ver. 663. Mercurium rogaverat, ut sibi adesset. Eam appellationem oblitus erat in seqq; sed nunc ad eam redit, et rem discit a Mercurio. *Tanto meliora* Burmannus explicat e formula laudandi *tanto melior*, de qua ipse ad Phædrum, III. v. 3. Comparantur nunc sqq. cum precibus mercatorum, quæ antecedunt. Aut *facta laboris* sunt labores, aut *labor Herculeus* est Hercules ipse; sic Horatius, I. Od. iii. 36: *Perrupit Acheronta Herculeus*

Dic, ego respondi, causam mihi sideris hujus.
Causam facundo prodidit ore deus:
Abstulerant raptas Phœben Phœbesque sororem
Tyndaridæ fratres, hic eques, ille pugil.
Bella parant, repetuntque suas et frater et Idas;
Leucippo fieri pactus uterque gener.
His amor, ut repetant, illis, ut reddere nolint,
Suadet: et ex causa pugnat uterque pari.
Effugere Œbalidæ cursu potuere sequentes;
Sed visum celeri vincere turpe fuga.
Liber ab arboribus locus est, apta area pugnæ.
Constiterant illic: nomen Aphidna loco.

labor; eodem sensu Homerus, *βίη Ἡρακληείη*.

699. *Phœbes soror* Elaira, Ilaira, Hilaira, Laira vocatur ab auctoribus. Vera scriptura haud dubie est Ἱλάειρα. Lycippus, pater harum sororum erat frater Apharei Messenii, cujus filii Lynceus et Idas; Apollodorus, III. x. 3. *Raptum* illum etiam Theocritus et Hygin. memorant; sed Pindarus ob boves abactas pugnam ortam esse canit, quod latius persequitur Apollodorus. Apud Schol. Pindari ad ver. 104. Tyndaridæ inter ipsas epulas nuptiales, ad quas invitati erant, sponsas rapiunt. *Hic eques*, etc. ex Homero Il. Γ. 237. et Od. Λ. 302; a quo alter ἱππόδαμος, alter πύξ ἀγαθός vocatur. Auctor Cypriorum in Schol. Pindari ad ver. 144: Κάστορά θ' ἱππόδαμον, καὶ ἀεθλόφορον Πολυδεύκεα. Horat. I. Od. xii. 23: "Hunc equis, illum superare pugnis Nobilem." Illum ἱππόδαμον Apollodorus interpretatur, ἥσκει τὰ κατὰ πόλεμον.

705. *Œbalidæ*, Tyndaridæ, Œbali nepotes. Pugna autem eorum cum Apharei filiis varie tradita. Secundum Pindarum, ver. 117. Lynceus Dioscuros videt in trunco quercus (δρυὸς ἐν στελέχει) latentes, visu enim maxime valebat. Hinc decurrit ex monte et Castora interficit. Ea cæde commotus Pollux proruit e quercu atque Aphareidas persequitur. Hi restiterunt ad sepulcrum patris Apharei, atque inde saxum raptum pectori Pollucis injecerunt. Tum Pollux hasta trajecit Lyncei latera, Jupiter autem Idam fulmine feriit. Similiter fere auctor Cypriorum, et Apollodorus. Ad tumulum Apharei prælium esse commissum, etiam Theocritus tradit. Nostro area pugnæ fuit prope *Aphidnam*, urbem Laconiæ, unde Phœbe et Hilaira erant. Stephanus: Ἄφιδνα δῆμος Ἀττικῆς. Ἔστι καὶ τῆς Λακωνικῆς, ὅθεν ἦσαν αἱ Λευκίππιδες Φοίβη καὶ Ἱλάειρα. Hyginus, Poet. Astron. II. 22. habet *in oppido Ariadnis*; sed et ibi *Aphidnis* legendum. A *Lynceo Castora* esse interfectum plurimi tradunt. Apud Theocritum vero Lynceus cadit Castoris ense trajectus. In voc. *Lynceo* notanda syllaba secunda, quæ hoc versu longa, et brevis vers. 711.

Pectora trajectus Lynceo Castor ab ense,
Non exspectato vulnere pressit humum.
Ultor adest Pollux; et Lyncea perforat hasta,
Qua cervix humeros continuata premit.
Ibat in hunc Idas, vixque est Jovis igne repulsus:
Tela tamen dextræ fulmine rapta negant.
Jamque tibi cœlum, Pollux, sublime patebat;
Quum, Mea, dixisti, percipe verba, Pater.
Quod mihi das uni, cœlum partire duobus:
Dimidium toto munere majus erit.
Dixit; et alterna fratrem statione redemit:
Utile sollicitæ sidus uterque rati.

712. *Premere* bene de confinio; Met. iv. 635: *humum vicinia nulla premebat.* Apud Pindar. ἦλασε Λυγκέος ἐν πλευραῖσι χαλκὸν. Tum insequitur Idam, a quo, Apollodoro auctore, lapide ita percussus est, ut oculorum caligo oboriretur: Βληθεὶς πέτρα κατὰ τῆς κεφαλῆς, πίπτει σκοτωθείς. Sed Jupiter Polluci opem tulit. Ζεὺς δ' ἐπ' Ἴδα πυρφόρον Πλᾶξε ψολόεντα κεραυνόν· Pindarus. Apud eumdem Pollux rogat Jovem, ut se interficiat, quia nolit esse sine socio laborum. Jupiter unum Polluci agnoscit filium suum, fratrem natum esse e Tyndareo. Tum optionem ei dat, utrum solus velit in cœlo habitare, an sortem partiri cum fratre, ut dimidium tempus sit sub terra, dimidium in cœlo. Pollux posterius præfert. Ita alterum diem cum Jove in Olympo, alterum in sepulcro ad Therapnas exigunt. Sed apud Homerum, Od. Δ. 302. vivunt uterque sub terra, habentque hoc a Jove, ut per vices diem supra terram exigant, et divino honore fruantur. De dissensu veterum super hac re, quo alii statuunt, alternis alterum in inferis, alterum cœlo esse, alii, utrumque simul alio die apud inferos, alio apud superos esse, vide Hemsterhus. ad Lucianum, Dialog. Deorum, tom. ii. pag. 88. edit. Bipont. Nostro diebus alternis stationem cœli inferorumque inter se mutant. Eustathius ad Homeri dictum locum fabulam transfert ad sidus Geminorum, qui, dum sunt sub terra, videntur mortui esse, dum oriuntur, vivunt. Aliter Macrobius, i. Saturn. 21: "Gemini, qui alternis mortibus vivere creduntur, quid aliud, nisi solem unum eumdemque significant, modo descendentem in ima mundi, modo mundi in summam altitudinem resurgentem. *Alterna statione redemit*, impetravit, ut, quoties ipse ad inferos descendisset, frater interea cœlesti honore frueretur. Etiam Virgil, Æneid. vi. 121: "Si fratrem Pollux alterna morte redemit;" quem locum Noster expressit. *Utile sollicitæ rati;* vim hujus sideris egregie notavit Horatius, I. Od. xii. 27. Erant enim gemini salutaria nautis numina, ἀρωγοναῦται δαίμονες.

Ad Janum redeat, qui quærit Agonia quid sint:
  Quæ tamen in Fastis hoc quoque tempus habent.
Nocte sequente diem canis Erigoneius exit;
  Est alio signi reddita causa loco.
Proxima Vulcani lux es; Tubilustria dicunt:
  Lustrantur puræ, quas facit ille, tubæ.
Quatuor inde notis locus est; quibus ordine lectis,
  Vel mos sacrorum, vel Fuga regis inest.
Nec te prætereo, populi Fortuna potentis
  Publica, cui templum luce sequente datum.
Hanc ubi dives aquis acceperit Amphitrite,
  Grata Jovi fulvæ rostra videbis avis.
Auferat ex oculis veniens Aurora Booten;
  Continuaque die sidus Hyantis erit.

721. *Agonalia* iterantur, de quibus i. 317 sqq. De *Cane Erigoneio* ad iv. 936; oritur x. Kalend.

725. *Tubilustria* ix. Kalend. Lustrabantur tubæ etiam x. Kalend. Aprilis; vid. iii. 849. Varro: "Tubilustrium appellatur, quod eo die in atrio sutorio sacrorum tubæ lustrantur." Sic ferme et Festus. *Puræ tubæ*, tubæ sacrorum; nisi malis, tubæ, ut sint puræ.

727. *Notæ* et literæ dicuntur, unde *notare* ut *enotare*, scribere. Vide ad Plinium, I. Epistol. vi. 1. et compendia vocum, a quibus *notarii* nomen habent. In kalendario antiquo legebantur notæ hæ, Q. R. C. F. quæ dupliciter legi poterant, vel, quando rex comitiavit fas; vel, quando rex comitio fugit. Sermo autem est de rege sacrorum, cui non nisi hoc die comitium in foro adire licebat sacrorum causa, sacrisque peractis illico se inde proripiebat. Plutarchus, Quæst. Rom. p. 128. Reisk. Ἔστι γοῦν τις ἐν ἀγορᾷ θυσία πρὸς τῷ λεγομένῳ Κομητίῳ πάτριος, ἣν θύσας ὁ βασιλεὺς, κατὰ τάχος ἅπεισι φεύγων ἐξ ἀγορᾶς.

729. De *Fortuna publica* dictum ad iv. 375. Aquila vesperi oritur.

733. VII. Kalendas *Bootes* heliace fertur in occasum; et vi. Kalend. *Hyadum*, de quibus ver. 164. ortus heliacus.

LIBRI SEXTI

ARGUMENTUM.

De nomine Junii tres sententiæ, 1—100. De Carna dea, ejus vi et sacris, 101—182. Templum Junonis Monetæ; Manlii supplicium, 183—190. Martis ædes ante portam Capenam; Tempestatis delubrum; Aquilæ ortus, 191—196. Hyades oriuntur, 197 et 198. Bellonæ templum; obiter aliquid de Appio, 199—208. Herculis Custodis templum in circo Flaminio, 209—212. De Sanco, Fidio aut Semone patre, Sabinorum deo, 213—218. Prior Junii pars nuptiis infausta, 219—234. Arctophylax occidit; Piscatorum ludi in Campo, 235—240. Mentis ædes, 241—248. Vestalia et multa, quæ ad Vestam ejusque cultum pertinent, quibus et de Sileni asello Priapique libidine fabella, et sphæræ Archimedis descriptio, et origo aræ, quæ Jovi Pistori posita, et Palladii historia intexta est, 249—460. Callaici cognomen Bruto inditum; Crassus devictus a Parthis, 461—468. Delphini ortus, 469—472. Matutæ (Græcis Leucothees, in quam Ino mutata, ut Melicertes in Palæmona aut Portunum) templum, et Matralia in ejus honorem, 473—562. Rutilius et Didius ceciderunt in prælio, 563—568. Fortunæ templum a Servio positum; Servii et interitus per Tanaquilem, et origo miraculosa, 569—636. Templum Concordiæ a Livia dedicatum, 637—648. Jovis ædes et Quinquatrus minores; tibicinum Romanorum discessus et reditus; tibiæ inventio et Marsyæ supplicium, 650—710. Hyadum ortus; Vestæ templum purgatur, 711—714. Favonii ortus, 715 et 716. Orionis ortus; Postumii Tuberti triumphus de Volscis et Æquis, 715—724. Solis transitus in Cancrum; Palladis Aventinæ cultus, 725—728. Summani templum, 729—732. Ophiuchi ortus; Hippolyti fata, 733—762. C. Flaminius ad lacum Trasimenum cecidit, 763—768. Syphax victus et Hasdrubal occisus, 769 et 770. Sacra Fortunæ Fortis et de Servio rege quædam, 771—784. Orionis ortus, 785—790. Larium et Jovis Statoris ædes, 791—794. Quirini templum, 795 et 796. Ædes Herculis Musarum; Marciæ laudes, 797—812.

P. OVIDII NASONIS

FASTORUM

LIBER SEXTUS.

HIC quoque mensis habet dubias in nomine causas:
Quæ placeant, positis omnibus, ipse leges.
Facta canam: sed erunt qui me finxisse loquantur,
Nullaque mortali numina visa putent.
Est deus in nobis: agitante calescimus illo;
Impetus hic sacræ semina mentis habet.
Fas mihi præcipue vultus vidisse deorum,
Vel quia sum vates, vel quia sacra cano.

1—100. Quæstio *de origine nominis* quod huic mensi inditum; vide i. 41. *Juvenum* de nomine eum dictum pronuntiaverat; sed nunc e variis sententiis, quas Macrobius, i. Saturn. 12. habet, tres pluribus exposuit, et ita, ut rem tenuissimam figmento poetico exornaret, fere ut iv. initio. Drama fecit e quæstione grammatica: namque poetam in nemore meditantem tres deæ adeunt, e quibus *Juno* suam causam agit 21—64; *Hebe* alteram sententiam patrocinio suo defendit 65—88; *Concordia* tertiam 91—96: quarum reverentia tactus poeta nihil decernit 97—100.

Ipse leges, ipse tibi eligas. *Quæ placeant*, quæ tuearis. *Ponunt*, qui adferunt in disputatione id quod valet ad rem dijudicandam; vide Ernest. Clav. Cic. hac voce. *Facta*, adventum et disputationes dearum, opponit conjecturis.

5. Poetæ sunt ἔνθεοι, pleni deo; III. ex Ponto, iv. 93: "deus est in pectore nostro, Hæc duce prædico vaticinorque deo." Confer Art. Amat. 549. Deus autem ille se ostendit *calore* (Met. ii. 641.) aut *impetu* (supra i. 23.) enthusiasmo, furore poetico. *Hic*; Burmannus cui Taubnerus assentitur, elegantius putat, quod unus Moreti habet, *hinc*, hinc fit, ut in illo calore sint semina sacra mentis. Sed et *hic* bene se habet, hic impetus indicat partem divinæ mentis nobis inesse; Metam. i. 80. de creatione hominis: terra recens "seductaque nuper ab alto Æthere cognati retinebat semina cœli." *Vultus deorum*, deos. *Vel—vel*, partim, partim.

Est nemus arboribus densum, secretus ab omni
  Voce locus, si non obstreperetur aquis.
Hic ego quærebam, cœpti quæ mensis origo
  Esset, et in cura nominis hujus eram.
Ecce deas vidi, non quas præceptor arandi
  Viderat, Ascræas quum sequeretur oves;
Nec quas Priamides in aquosæ vallibus Idæ
  Contulit; ex illis sed tamen una fuit:

9. In *nemore secreto*, quale amant meditabundi, cogitat de nomine mensis. *Voce*, sono. *Obstrepere* de aquis et foliis arborum murmurantibus; Propertius, IV. iv. 4: "multaque nativis obstrepit arbor aquis." Horatius, Epod. ii. 21: *Fontesque* (nisi cum Markl. *frondesque* malis) *lymphis obstrepunt manantibus*. *In cura eram*, de eo cogitabam.

13. *Deas vidi*, non Musas, quæ plerumque poetis adsunt; sed hoc docte variavit. *Præceptor arandi*, Hesiodus propter carmen, quod de Operibus et Diebus inscribitur. Etiam Propertius, II. xxv. 77: "Tu canis Ascræi veteris præcepta poetæ," etc. Quum dicit *Ascræas quum sequeretur oves*, respicit Theog. 22. ubi Musæ nominantur, quæ olim Hesiodum egregium carmen docuerunt, agnos pascentem Helicone sub divino: ἄρνας ποιμαίνονθ' Ἑλικῶνος ὑπὸ ζαθέοιο. Eadem verba respexit etiam Art. Amat. i. 27: "Nec mihi sunt visæ Clio Cliusque sorores, Servanti pecudes vallibus, Ascra, tuis." Fuit autem *Ascra* vicus Bœotiæ, ubi Hesiodus, Cumis relictis, cum patre et Persa fratre vixit, agro colendo pecoribusque habendis operam dans.

15. Erant tres deæ, quæ coram Ovidio causam agebant, ut totidem quondam coram Paride egerant, atque ex his iisdem una et nunc aderat. Juno enim, Minerva et Venus, quum in convivio Thetidis et Pelei nuptiali, immisso ab Eride pomo, de forma concertarent, a Mercurio, jubente Jove, in *Idam* montem deductæ sunt ad Paridem, *Priami* filium, qui eas *conferret*, et inde de pulchritudine earum pronuntiaret; Hyginus, fabul. 92; Lucianus deorum Judic. tom. ii. p. 20. Secundum hunc, judicium latum est in Gargaro, Idæ vertice. Sed Noster secutus est Euripid. Iphig. Aulid. 1294. ubi locus sic describitur: ad aquas limpidas, ubi fontes Nympharum et pratum floridum. Quamquam idem Hel. 23. Idæum specum, Ἰδαῖον κευθμῶνα, et Androm. 274. Idæum nemus, Ἰδαῖαν νάπαν, memorat. Locum illum inde Alexandriam dictum esse, Strabo et ex eo Stephanus Byzantinus atque alii narrarunt; vide Hemsterh. ad Luciani dictum locum. Cæterum *contulit* Lenzius explicat, quæ se simul contulerunt ad Paridem. Immo judicium Paridis per antecedens h. v. exprimitur. Qui judicare vult, is ante *conferre* res, inter se comparare, debet. De *Ida aquosa* vide ad Metam. ii. 218. *Quæ stat*, similis statuæ in Capitolio collocatæ. *Horror* ille sacer intelligendus qui et ii. 502. iii. 331; et describitur i. 92. *Animum* nempe timidum, abjectum. *Fateri* dicitur et is, qui inscius et invitus signis quibusdam animi motus prodit; Met. vi. 35: *confessaque vultibus iram*. Ingeniose

Ex illis fuit una, sui germana mariti:
Hæc erat, agnovi, quæ stat in arce Jovis.
Horrueram, tacitoque animum pallore fatebar:
Quum dea, quos fecit, sustulit ipsa metus;
Namque ait: O vates, Romani conditor anni,
Ause per exiguos magna referre modos;
Jus tibi fecisti numen cæleste videndi,
Quum placuit numeris condere festa tuis.
Ne tamen ignores, vulgique errore traharis;
Junius a nostro nomine nomen habet.
Est aliquid nupsisse Jovi, Jovis esse sororem;
Fratre magis dubito glorier, anne viro.

additum *tacito pallore*. Cæterum Ovidius in hoc opere jam satis adsueverat numinibus videndis.

21. Oratio Junonis; tuetur Cingii sententiam. Macrobius Saturn. i. 12: "Junius Maium sequitur, aut ex parte populi nominatus, aut, ut Cingius arbitratur, quod Junonius apud Latinos ante vocitatus, diuque apud Aricinos Prænestinosque hac appellatione in Fastos relatus sit: adeo, ut, sicut Nisus in commentariis Fastorum dicit, apud majores quoque nostros hæc appellatio mensis diu manserit, sed post, detritis quibusdam literis, ex Junonio Junius dictus sit; nam et ædes Junoni Monetæ Kalendis Juniis dedicata est." Sic historici et grammatici. *Condere* omnino ordinare, constituere; Livius, i. 42. "Conditor omnis in civitate discriminis;" iii. 58: "Conditor Romani juris." Itaque *conditores anni Romani* proprie Romulus, Numa, Jul. Cæsar, qui annum ejusque tempora constituerunt. Sed nunc poeta sic dicitur, qui annum dispositum aut digestum carmine persequitur. *Exigui modi* sunt elegi; vide ii. 3—8. unde et patet, quæ *audacia* sit in hoc. Mox *numeri* vocantur; Horatius, Art. Poet. 211: "Accessit numerisque modisque licentia major." Differunt hæc duo sic, ut *numeri* cernantur in rhythmi alternatione, in ordine longorum et brevium temporum, *modi* autem melos vocis elevatæ et depressæ complectantur; vid. Vossius de Cantu et viribus rhythmi, p. 24. Sed quoniam omnis pes est numerus, propterea *numeri* et pedes dicuntur atque omnino metrum; Cicero, Orator. 57. *dactylicus numerus*. Et quoniam poetæ passim musicorum vocabula ad se transferunt et carmina sua, etiam *modi* in eumdem sensum capi sunt.

27. Argumentum primum a nobilitate petitum. *Adspicere* sæpe de eo, qui spectat aliquid, ut eo moveatur, eo motus aliquid faciat credatve. *Sors*, quod sorte datur; tum omnino, quod alicui contingit; IV. Trist. v. 1: "O mihi dilectos inter sors prima sodales." Inde et prolem significat et sexum. Met. ix. 675. *altera sors*, proles alterius sexus. Prima autem sors Saturni non Juno fuit, sed Vesta. Homer. hymn. Vener. 22. Ἰστίη, ἣν πρώτην τέκετο Κρόνος· Hesoid. Theog. 454; Apollod. I. i. 3: sed Noster etiam ver. 285. dissentit. *Saturnia*; ante

Si genus adspicitur, Saturnum prima parentem
  Feci; Saturni sors ego prima fui.
A patre dicta meo quondam Saturnia Roma est;
  Hæc illi a cælo proxima terra fuit.
Si torus in pretio est, dicor matrona Tonantis;
  Junctaque Tarpeio sunt mea templa Jovi.
An potuit Maio pellex dare nomina mensi?
  Hic honor in nobis invidiosus erit?
Cur igitur Regina vocor Princepsque dearum?
  Aurea cur dextræ sceptra dedere meæ?
An faciant mensem luces, Lucinaque ab illis
  Dicar, et a nullo nomina mense traham?

Herculis adventum mons Capitolinus Saturno sacer et *Saturnius* dictus; Dionysius, i. 34. Etiam urbem *Saturniam* ibi fuisse Varro tradit: "Antiquum oppidum in hoc (monte Capitolino) fuisse Saturniam scribitur. Ejus vestigia etiam nunc manent tria, quod Saturni fanum in faucibus: quod Saturnia porta, quam nunc vocant Pandanam: quod post ædem Saturni in ædificiorum legibus parietes postici muri sunt scripti." *A cælo proxima*, e cœlo pulsus fugit in Latium; confer i. 233.

33. *In pretio est*, dignitatem adfert. *Tonantis* maluit, quam Jovis, quia illud notionem majestatis summæ involvit. *Matrona*, conjux; sed illud sonantius et dignius; etiam Metam. ii. 465: "Matrona magni Tonantis." *Juncta Templa;* in templo Capitolino tria delubra; medium Jovis, lævum Junonis; nec longe aberat ædes Junonis Monetæ, de qua i. 638. Huic argumento vim addit, dum se matronam comparat cum *pellice*. Similiter argumentatur apud Virgiliam, Æneid. i. 39: "Pallasne exurere classem Argivûm, atque ipsos potuit submergere ponto.—Ast ego, quæ divûm incedo regina, Jovisque Et soror et conjux," etc. *Invidetur* et ei, cui aliquid non conceditur; Horatius, I. Satyr. vi. 84: "neque ille Sepositi ciceris, nec longæ invidit avenæ," largiter dedit; Art. Poet. 55: *ego cur invideor*, cur id mihi non conceditur? Vide ad Plinium, II. Epist. x. 2.

37. Hac dignitate passim gloriatur Juno.—*Juno Regina* a Camillo dictatore Veiis transvecta erat Romam; Livius, v. 21. *Reginæ* notionem exornat, dum *sceptra* memorat *aurea*. *An faciant mensem*, etc. quum ego a *lucibus*, diebus, quæ mensem faciunt, nomen *Lucinæ* habeam, cur non et a mense nomen traham? Frustra hic hæsit Burmannus, quia et anni lucibus, sive diebus constant; quum igitur unus Moreti *An faciam pueris lucem*, quidam *menses* præferant, de illo amplius cogitandum, et in hoc latere aliquid de gravidis putat, quæ, exactis mensibus, Lucina favente pariant. Sed Ovid. consilii sui oblitus parum accurate scripsit. Juno enim non a mense nomen habere, sed mensi nomen dedisse vult. Taubnerus ad hypallagen confugit. Etiam *Lucinæ* nominis variæ causæ adferebantur, quum alii a *luce*, quam nascentibus dat, alii a *luco* derivarent; ii. 449.

Tunc me pœniteat posuisse fideliter iras
In genus Electræ, Dardaniamque domum.
Causa duplex iræ: rapto Ganymede dolebam;
Forma quoque Idæo judice victa mea est.
Pœniteat, quod non foveo Carthaginis arces;
Quum mea sint illo currus et arma loco:
Pœniteat Sparten, Argosque, measque Mycenas,
Et veterem Latio supposuisse Samon:
Adde senem Tatium, Junonicolasque Faliscos,
Quos ego Romanis succubuisse tuli.
Sed neque pœniteat; nec gens mihi carior ulla est:
Hic colar, hic teneam cum Jove templa meo.

41. Merita Junonis in Romanos, quum odium in Æneæ posteros conceptum posuisset, urbesque sibi carissimas subjici Romanis passa esset. *Iras posuit* secundum Horatium, III. Od. iii. 17. mortuo Romulo; secundum Virgil. Æneid. xii. 791. Æneа adhuc vivo. De *genere Electræ* et *Dardania domo*, unde Romani per Æneam, iv. 31. *Duplex* hæc *iræ causa*, nempe *judicium Paridis*, et *rapti Ganymedis honores*, etiam Æneid. i. 27. memoratur. Ganymedem, Trois filium, longe pulcherrimum inter mortales, ob ipsam pulchritudinem dii in cœlum rapuere, ut Jovi esset pocillator; Homerus, Il. Υ. 233. Non mirum, eo raptu Junonem doluisse; displicuit etiam Cicer. Tusc. i. 26.

45. Virgil. Æneid. i. 15: *Quam* (Carthaginem) *Juno fertur terris magis omnibus unam Posthabita coluisse Samo. Hic illius arma, hic currus fuit.* Hoc de curru fictum e moribus antiquorum heroum, qui currus suos, finito bello, certo loco reponebant. Deorum currus iis locis servari dicebantur, ubi ipsi summa religione coli solebant. Junonis currus ab Homero Il. E. 720 sqq. memoratur. Etiam *arma* Junoni tribuebantur, inprimis hasta; unde Juno Curitis apud Sabinos. Vide Heynium ad Virgil. dicto loco. *Sparten*, etc. Etiam alibi, ut Met. vi. 414. et jam apud Homer. hæ tres urbes sic junguntur, quippe Junoni inprimis caræ. De templo Junonis *Samiæ* vide Herodotum, iii. 60. *Supposuisse*, subjecisse potestati Romanorum; i. 306; IV. Trist. viii. 48: "Nil ita sublime est, ut non sit suppositum deo.

49. *Juno Curis* dea præcipua Sabinorum; itaque *Tatius*, quum Sabini se junxissent Romanis, eidem in omnibus curiis mensas dedicavit, quæ Augusti adhuc tempore exstabant; Dionysius Halic. ii. 50. Falerios in *Faliscis* olim Argivi migraverant. Ibi igitur templum Junonis ad similitudinem Argivi positum in eoque sacra fiebant Argivo ritu; Dionysius, i. 21. *Mavorti* etiam apud Horatium, III. Od. iii. 30. graves iras in Æneadas redonasse dicitur. *Dicta fides sequitur* etiam i. 319; Metam. iii. 527; et *vota fides sequitur* viii. 711. quibus indicatur, factum esse, quod quis vel promiserat, vel optaverat. *Centum* omnino multis. *Mensis honor*, ut alibi *cœli* aut *templorum honor*.

Ipse mihi Mavors; Commendo mœnia, dixit,
Hæc tibi; tu pollens urbe nepotis eris.
Dicta fides sequitur; centum celebramur in aris:
Nec levior quovis est mihi mensis honor.
Nec tamen hunc nobis tantummodo præstat honorem
Roma; suburbani dant mihi munus idem.
Inspice quos habeat nemoralis Aricia Fastos,
Et populus Laurens, Lanuviumque meum;
Est illic mensis Junonius: inspice Tibur,
Et Prænestinæ mœnia sacra deæ;
Junonale leges tempus: nec Romulus illas
Condidit; at nostri Roma nepotis erat.
Finierat Juno; respeximus: Herculis uxor
Stabat, ut in vultu signa dolentis erant:
Non ego, si toto mater me cedere cœlo
Jusserit, invita matre morabor, ait.

57. Etiam vicini populi Junium mensem habent; quo argumento et alii usi sunt: vide ad versum 21. *Suburbani* omnino non longe remoti ab urbe; ver. 723. *suburbanus triumphus* de Volscis. Quæ sequuntur oppida, omnia Latii erant. *Aricia* sub Albano monte; in ejus *nemore* culta Diana; iii. 263: densæ ejus silvæ etiam Met. xv. 488. memorantur. *Laurenti* oppidi incolæ et *Laurentes* et *Laurentini* dicebantur; vide Cortium ad Plin. II. Epist. xvii. initio. *Lanuvium* cultu Junonis sospitæ celebre. Ædes ejus et lucus communis erat Lanuvinis ac Romanis. *Tibur* ad Anienem amnem. *Prænestina dea* est Fortuna Prænestina, cujus templum pulcherrimum. *Fastos* autem aliorum populorum Ovid. etiam iii. 87. memorat.

65—90. Hebe, Jovis et Junonis filia, Herculi nupta, Juventutis dea, prodit, atque Romulum *juvenum* nomen huic mensi indidisse contendit. Fuerat hæc sententia Fulvii nobilioris; Macrob. i. Saturn. 12: "Fulvius nobilior in Fastis Romulum dicit, postquam populum in majores minoresque divisit, ut altera armis rempublicam tueretur, in honorem utriusque partis hunc Maium, sequentem Junium vocasse." Eamdem sententiam Heben tueri voluisse, e versu 84 sqq. apparet. Errat igitur Lenzius, quum putat Heben hoc nomen a se derivare, idque esse inventum ipsius Ovidii; immo Hebe, ut dea Juventutis, juvenum causam agit, et honorem illis habitum, sibi quoque vindicat. Neque res aliter institui poterat, quum deæ darentur hæ partes. Cæterum observa in hac oratione varios animi motus et sensus, dolorem, verecundiam, pietatem: cum matre enim certabat filia de honore unico.

Rem tenere, rem obtinere, vincere; *causam tenere* ap. Cic. passim.

Nunc quoque non luctor de nomine temporis hujus:
Blandior, et partes pæne rogantis ago;
Remque mei juris malim tenuisse precando:
Et faveas causæ forsitan ipse meæ.
Aurea possedit socio Capitolia templo
Mater; et, ut debet, cum Jove summa tenet.
At decus omne mihi contingit origine mensis;
Unicus est, de quo sollicitamur, honor.
Quid grave, si titulum mensis, Romane, dedistis
Herculis uxori, posteritasque memor?
Hæc quoque terra aliquid debet mihi nomine magni
Conjugis; huc captas adpulit ille boves.
Hic male defensus flammis et dote paterna
Cacus Aventinam sanguine tinxit humum:
Ad propiora vocor; populum digessit ab annis
Romulus, in partes distribuitque duas;
Hæc dare consilium, pugnare paratior illa est:
Hæc ætas bellum suadet, at illa gerit.
Sic statuit, mensesque nota secrevit eadem;
Junius est juvenum, qui fuit ante, senum.

73—76. Argumentum ab æquo: matri satis dignitatis est; non debet filiæ unicum, quem habet, honorem eripere. *Possidere* est occupare, sibi vindicare. *Capitolia*, sedem imperii Romani, caput orbis terrarum, eaque *aurea*, tanto ornatu fulgentia. *Socium templum* non est templum Junonis Monetæ, sed lævum delubrum in ipso Capitolio; illud enim *socium* dici non poterat. *Origine mensis*, quod nomen mensis a juvenibus originem habet: qui honor adeo me quoque, juventutis deam, tangit. Lenzius *unicum* explicat, qui unice ad me pertinet; malim, non nisi unus honor mihi contigit, et hic unus mihi eripitur.

77—82. Herculis de Latio merita. *Grave* vel magnum, vel invidiosum. *Titulum mensis* alicui *dare*, ab aliquo, aut in honorem alicujus mensem nominare; sic iv. 115. *titulo mensis spoliare*. De Herculis adventu in Italia et pugna cum *Caco* i. 543; et de hujus *dote paterna* ver. 571.

83. *Propiora* sane hæc sunt; superiora figmento illi data, quo Hebe causam agens inducitur. *Ab annis*, ita, ut annos, ætatem respiceret; confer cum his v. 59 sqq. *Nota*, norma, nempe ætas. His dictis ambabus exarsit studium certandi. *Dissimulare*, occultare, ut non esse videatur. Itaque hoc loco pietas matris in filiam et filiæ in matrem victa esset ad tempus, ni Concordia intervenisset. Ingeniose hic adventus fictus.

Dixit, et in litem studio certaminis issent;
Atque ira pietas dissimulata foret.
Venit Apollinea longas Concordia lauro
Nexa comas, placidi numen opusque ducis.
Hæc ubi narravit Tatium, fortemque Quirinum,
Binaque cum populis regna coisse suis;
Et lare communi soceros generosque receptos:
His nomen junctis Junius, inquit, habet.
Dicta triplex causa est; at vos ignoscite, divæ:
Res est arbitrio non dirimenda meo.
Ite pares a me; perierunt judice formæ
Pergama: plus lædunt, quam juvet una, duæ.
Prima dies tibi, Carna, datur; dea cardinis hæc
Numine clausa aperit, claudit aperta suo.
Unde datas habeat vires, obscurior ævo
Fama; sed e nostro carmine certus eris.

91—96. Concordia breviter sententiam dicit, ex qua Junius nomen a *junctis* Romanis et Sabinis invenit. Unde Ovidius hanc sententiam ineptam et in leges linguæ peccantem acceperit, non constat. Forsitan ipse reperit; neque male *Concordiæ* defendendam dedit. Alii putabant, a Junio Bruto nomen venisse; vide Macrobium dicto loco. *Concordia* cujus templum Tiberius, pace composita, refecit; i. 639. Hinc *lauro* coronata prodit; hinc *ducis*, Tiberii, *opus* et vel *numen*, vel, ut Hamb. Junianus et alter Petavianus habent, *munus* appellatur. Quoniam Junius mensis jam Romuli tempore erat, propterea ex illo ipso tempore concordiæ, sive conjunctionis exemplum repetendum erat. *Lar*, sedes, urbs.

97. Finit hæc eadem modestia, qua v. 109. similem locum. *Perierunt*, etc. Ergo Ovidium quoque vestigia terrebant.

101—182. De *Carna*, dea Romanorum vernacula, quæ sit, unde et jus cardinis habeat, et vim spinæ ope pellendi noxas 101—130; quomodo illa vi olim usa sit in tuendo Proca a strigibus 131—168; cur larda et fabæ ei offerantur 169—182. Diversa ejusdem deæ nomina fuisse videntur, quum *Carna* aut *Carnea* diceretur a *carne*, quia vitalibus præesset. Macrobius dicto loco, ubi narravit ex opinione nonnullorum Junium mensem a Junio Bruto nominatum esse, quod Kalendis Juniis pulso Tarquinio, sacrum Carneæ deæ in Cœlio monte voti reus fecisset, pergit: "Hanc deam vitalibus humanis præesse credunt. Ab ea denique petitur, ut jecinora et corda, quæque sunt intrinsecus viscera, salva conservet. Et quia cordis beneficio, cujus dissimulatione Brutus habebatur idoneus emendationi publici status exstitit, hanc deam, quæ vitalibus præest, templo sacravit."

103. *Vires* has, sive potestatem, habet et Janus i. 188 sqq; infra ver.

Adjacet antiqui Tiberino lucus Helerni;
Pontifices illuc nunc quoque sacra ferunt.
Inde sata est Nymphe, Granen dixere priores,
Nequidquam multis sæpe petita procis.
Rura sequi, jaculisque feras agitare solebat,
Nodosasque cava tendere valle plagas.
Non habuit pharetram; Phœbi tamen esse sororem
Credebant; nec erat, Phœbe, pudenda tibi.
Huic aliquis juvenum dixisset amantia verba,
Reddebat tales protinus illa sonos:
Hæc loca lucis habent nimis, et cum luce pudoris:
Si secreta magis ducis in antra, sequor.
Credulus antra subit; frutices hæc nacta resistit,
Et latet, et nullo est invenienda loco.
Viderat hanc Janus; visæque cupidine captus,
Ad duram verbis mollibus usus erat.

127. *Jus cardinis. Unde datas habeat*, a quo datæ sint vires quas habet.

105. *Tiberinus*, Tiberis fluvius, ut iv. 291; confer ii. 389. *Lucus Helerni* non aliunde satis notus; vulgo editur *Hilernæ*. Et ab Onuphrio Panv. in Topograph. Urbis, in regione tredecima *ædicula* et *lucus Hylernæ* memorantur. *Sacra ferre* proprium est et sacrificantis, Æn. iii. 19. et sacerdotis; hinc Georg. ii. 446. *Musarum sacra fero*, sacerdos sum Musarum.

109. *Rura*, etc. more earum, quæ conjugium spernebant, ut Daphne Met. i. 475; Syrinx ibid. 694; Callisto, ii. 411. *Sequitur* locum, qui voluptatis percipiendæ causa eum adit aut frequentat; vide ad Plinium, I. Epist. xxii. 6. *Nodosæ plagæ* etiam Met. iii. 153. et alibi *nexiles*. *Pharetra* et arcus aureus insignia Dianæ, quibus nymphis antestabat; Metam. i. 697.

117. Taubnero et Krebsio displicuit, quod Heins. *ante subit* MSS. Reg. et primi Bononiens. auctoritate in *antra subit* mutavit: amatorem enim *ante* debuisse subire. Immo, ubi comes non sequitur, sed resistit, alter non *ante* subit antrum, sed solus. Contra *antra* sic bene repetitum et more Ovidiano, de quo diximus in commentar. ad Metam. præf. Nonnulli, *ante iniit*. *Resistere*, subsistere, non longius progredi, de qua vi egit Schwarzius ad Plinium, paneg. x. 4.

120. *Mollia verba* bene dicuntur blanditiæ ad *duram* puellam, quæ non sinit se flecti; Tibullus, III. iv. 76. *Remotum* idem quod secretum, ut Horatius, II. Od. iii. 6. *in remoto gramine*. *Utque*, etc. sequitur quidem primum ut comes, at mox deserit ducem.

Nympha jubet quæri de more remotius antrum;
Utque comes sequitur, destituitque ducem.
Stulta, videt Janus quæ post sua terga gerantur,
Nil agis, en latebras respicit ille tuas;
Nil agis, en dixi! nam te sub rupe latentem
Occupat amplexu; teque potitus, ait:
Jus pro concubitu nostro tibi cardinis esto;
Hoc pretium positæ virginitatis habe.
Sic fatus, virgam qua tristes pellere posset
A foribus noxas, hæc erat alba, dedit.
Sunt avidæ volucres, non quæ Phineïa mensis
Guttura fraudabant, sed genus inde trahunt;
Grande caput, stantes oculi, rostra apta rapinæ:
Canities pennis, unguibus hamus inest.

123. Similiter Metam. iii. 432. Narcissum adloquitur, et alios alibi. *Occupat amplexu* nil nisi, amplectitur; ad hunc amplexum autem Neapolis notavit hæc: "Hui, hui, tu ille Janus, de quo Augustinus, vii. Civit. Dei: De Jano non mihi facile quidquam occurrit, quod ad probrum pertineat; et forte talis fuit, ut innocentius vixerit, et a facinoribus et flagitiis remotius." *Jus cardinis* etiam vim complectitur mala quæque depellendi a foribus, ut e sqq. patet.

129. *Virgam* revocavi, quia sic omnes ferme MSS. Etiam ver. 165. *virga de spina alba*; sed Heins. *spinam* de suo dedit. Intellig. autem rhamnus, *ῥάμνος*, spina semper frondifera, cujus alterum genus nigrum alterum *album*; Theophrast. Hist. Plant. i. 15; iii. 17. Tria genera memorat Dioscorides, i. 119; qui addit, frondes spinæ albæ foribus adpositas avertere maleficia: *κλῶνας αὐτῆς θύραις ἢ θυρίσι προστεθέντας ἀποκρούειν τὰς τῶν φαρμάκων κακουργίας.*

131. *Striges* deformes et noxias, ad quas describendas jam progeditur, non male cum Harpyiis comparat, et genus earum inde ducit. Harpyiæ Homero (Od. A. 242. Ξ. 371.) deæ sunt, quibus vis rapiendi homines. Post alæ iis sunt additæ; mox inde factæ aves fœdissimæ; Hyginus fab. 14; Tzetzes ad Lycophr. 653. Tales etiam a Virgilio, Æneid. iii. 212. descriptæ sunt, ubi vide Heynii Excurs. et confer Vossium, Epistt. mythol. vol. i. p. 198 sqq. Eæ a poetis Argonaut. inprimis adhibitæ in historia *Phinei*, vatis Thracici et excæcati, cujus ab ore cibos auferebant, reliquiasque fœdo odore implebant. *Strix*, Linn. strix alucus, cujus caput grande plumisque velatum, color cinereus et albus, idemque maculis et lineis nigris distinctus; vid. Statius Müller in Linnei Syst. Nat. tom. ii. p. 102. Hæ aves infantibus in cunis sanguinem extrahere, atque etiam ubera sua immulgere vulgo credebantur; Plinius, xi. 95. qui putat non constare, quæ sit avium.

Nocte volant, puerosque petunt nutricis egentes,
Et vitiant cunis corpora rapta suis.
Carpere dicuntur lactentia viscera rostris,
Et plenum poto sanguine guttur habent.
Est illis strigibus nomen; sed nominis hujus
Causa, quod horrenda stridere nocte solent.
Sive igitur nascuntur aves, seu carmine fiunt,
Næniaque in volucres Marsa figurat anus;
In thalamos venere Procæ: Proca natus in illis,
Præda recens avium, quinque diebus erat:
Pectoraque exsorbent avidis infantia linguis.
At puer infelix vagit, opemque petit:
Territa voce sui nutrix adcurrit alumni;
Et rigido sectas invenit ungue genas.
Quid faceret? color oris erat, qui frondibus olim
Esse solet seris, quas nova læsit hiems.
Pervenit ad Granen, et rem docet; illa, Timorem
Pone; tuus sospes, dixit, alumnus erit.

136. *Vitiare*, lædere, nomen generale, ut ver. 167. *violare cunas*. Mox ipse explicat, *carpere viscera*, et ver. 145: *pectora exsorbere*. Puto, *rapta* esse correpta unguibus, et *carpere*, lacerare, arrodere rostro, ut sanguinem inde exhauriant; ver. 148. *rigido ungue secare*. De *nomine* etiam Isidorus: "Strix, nocturna avis, habens nomen de sono vocis, quando enim clamat, stridet." Græcis στρίξ a στρίζειν, stridere. Sed pro *horrenda nocte* cum Heinsio *horrenda voce* legendum arbitror; *horror* enim *vocis* ad rem pertinet, non *noctis*.

141. *Carmine*, incantatione. Hoc jam speciali notione exprimit, *Næniaque*, etc. Anus figurantur in volucres a Marsa ope næniæ. *Marsi* et Sabini ab arte magica famosi erant. *Næniæ Marsæ* etiam Art. Amat. ii. 102; Horat. Epod. xvii. 27. Et hoc loco *Marsa* se tuetur bonorum librorum auctoritate. *Nænia*, omnino carminis formula. De tali anu figurata Noster I. Amorr. viii. 13: "Hanc ego nocturnas vivam volitare per umbras Suspicor, et pluma corpus anile tegi."

143. De *Proca* vide iv. 52. *Pectora* nunc substituit *visceribus* ver. 137. ne idem vocabulum repeteret.

149. Homines in calidiore regione viventes, quum timor eos invadit, flavescunt. Flavum autem colorem trahunt etiam frondes atque segetes frigore tactæ; iv. 918.

Venerat ad cunas; flebant materque paterque:
Sistite vos lacrymas, ipsa medebor, ait.
Protinus arbutea postes ter in ordine tangit
Fronde; ter arbutea limina fronde notat;
Spargit aquis aditus, et aquæ medicamen habebant,
Extaque de porca cruda bimestre tenet:
Atque ita, Noctis aves, extis puerilibus, inquit,
Parcite; pro parvo victima parva cadit:
Cor pro corde, precor, pro fibris sumite fibras;
Hanc animam vobis pro meliore damus.
Sic ubi libavit, prosecta sub æthere ponit;
Quique sacris adsunt respicere illa vetat:
Virgaque Janalis de spina ponitur alba,
Qua lumen thalamis parva fenestra dabat.
Post illud nec aves cunas violasse feruntur;
Et rediit puero, qui fuit ante, color.
Pinguia cur illis gustentur larda Kalendis,
Mixtaque cum calido sit faba farre, rogas?

155. *Arbutea fronde* utitur, sive quia est spinosi fruticis, sive quia obvia erat; iv. 656. quo loco Numa: *bis sua faginea tempora fronde premit. Notat* idem quod *tangit. Exta* diis offerebantur et *cruda*, et cocta, et semicocta, et assa; Arnobius advers. Gentes, ii. p. 91. *Bimestre porcello* curabatur et Genius; Horatius, III. Od. xvii. 15.

159. Sacra strigibus facta. *Exta* et mox *fibræ*, viscera. *Fibras* distinxisse videri possit a reliquis partibus, quum alias *fibræ* sint ipsa *exta*, in quibus et *cor*; sed talia non urgenda sunt in talibus precibus. Exta *prosecta*, in partes secta, alias adolenda injici altari solebant; nunc *ponuntur sub æthere*, sub dio, devoranda strigibus. *Respicere*, retro spectare; vide v. 437.

165. *Janalis*, a Jano accepta, novum vocabulum quod propter insolentiam Heinsio et Burmanno displicebat. Heinsius conjicit vel *Malalis*, vel *ramalis*, virga ex ramo arboris. Burmannus addit, spinæ albæ posse ramos tribui, quum Columella, vii. 19. eam inter arbores recenseat. Idem et proponit *rhamnalem*, quia spinam illam Græci ῥάμνον dixerunt, quamquam ipse huic conjecturæ non multum tribuit. Quum Ovidius plura vocabula finxerit, non offendor eo quod hic legimus, quod rei indicandæ satis accommodatum, atque ei simillimum est, quod ver. 63. legitur, *Junonalis*. Alia adversus has aves antidota Neapolis memorat, ut carmina, allium infantibus annexum.

169. Macrobius dicto loco: "Cui (*Carnæ*) pulte fabaria et larido sacri-

Prisca dea est, aliturque cibis quibus ante solebat;
  Nec petit adscitas luxuriosa dapes.
Piscis adhuc illi populo sine fraude natabat,
  Ostreaque in conchis tuta fuere suis:
Nec Latium norat, quam præbet Ionia dives,
  Nec, quæ Pygmæo sanguine gaudet, avem;
Et præter pennas nihil in pavone placebat;
  Nec tellus captas miserat ante feras.

ficatur, quod vires maxime his rebus corporis roborentur. Nam et Kalendæ Juniæ fabariæ vulgo vocantur, quia hoc mense adultæ fabæ rebus adhibentur." *Gustentur*, comedantur.

172. *Adscita*, aliunde petita, peregrina. Heluones terra et mari conquirebant edulia, quos Varro jam in Satura notaverat, cujus notationis summam Gellius, Noct. Attic. vii. 16. dedit. Confer Plinium, Hist. Nat. ix. 54 sqq; Senecam, Epist. xcv. p. 718; Petronium de Mutat. R. 33 sqq. In deliciis inprimis erant *pisces* rariores. *Fraudem* Schirachius interpretatur damnum. Immo insidias intellige, quibus damnum infertur; ii. 227; iii. 853; Met. iii. 587. ubi *lino et hamo decipere pisces*, ut Virgil. Georg. i. 139. *fallere visco aves*.

175. *Avis quam præbet Ionia*, est attagen. Glossæ: *Gallina rustica*, *ἀτταγήν*. Præstantissimas hujus nominis aves habebat *Ionia*; Horatius, Epod. ii. 54. *attagen Ionicus*; Martialis, xiii. 61: "Inter sapores fertur alitum primus Ionicarum gustus attagenarum." A Gellio dicto loco, *Phrygia attagena* memoratur. *Nec quæ*, etc. grus; gruum autem carnibus et ipsis Romani delectabantur; Horatius, ii. Satyr. viii. 87; Plinius, Hist. Natur. x. 33. Apud Gellium *Melicæ grues* laudantur, ex Melo insula advectæ. Verba *quæ Pygmæo*, etc. respiciunt Homerum, Il. Γ. initio, ubi grues avolant Australes ad terras *ἀνδράσι Πυγμάιοισι φόνον καὶ κῆρα φέρουσαι·* ubi vide Heynium in Observatt. *Pavones* primus Q. Hortensius in cœna auguralia adposuit, M. Aufidius autem primus saginavit; Plinius, x. 20; Ælianus, Hist. Anim. v. 21. *Tellus* scilicet ulla. *Mittere* merces terra dicitur ubi magnus earum proventus. Taubnerus terram universam intelligit, ut hoc innuatur, undique a luxuriosis Romanis conquiri delicias: sed Heinsio et Burmanno *τὸ tellus* sic absolute positum displicebat. Ille igitur pro *ante* malebat, aut *Afra* vel *Inda*, aut cum altero Puteano *arte*, ut leones, pantheræ, elephanti intelligantur Romam ad spectacula missi. Burmannus vero recte monet, non de spectaculis, sed de deliciis gulonum sermonem esse; si quis *Afra* præferat, posse de gallinis Africanis capi; Horatius, Epod. ii. 53: *Non Afra avis descendat in ventrem meum*: ipse Burmannus suadet: *Nec Delus capos miserat ante feros*;) circa *Deliacos capos* fuisse maximum luxum, cognosci ex Petron. 23; eos dici *ante feros*, quia, antequam castrarentur, feroces et pugnaces electi sint a Deliacis; Columella viii. 2; sed posse et legi *arte ferax*, quia, quum insula sterilis et saxosa fuerit Delos, arte hac castrandi gallos reditum sibi fecerit.

Sus erat in pretio; cæsa sue festa colebant:
Terra fabas tantum, duraque farra dabat.
Quæ duo mixta simul sextis quicumque Kalendis
Ederit; huic lædi viscera posse negant.
Arce quoque in summa Junoni templa Monetæ
Ex voto memorant facta, Camille, tuo.
Ante domus Manlî fuerant, qui Gallica quondam
A Capitolino reppulit arma Jove.
Quam bene, dî magni, pugna cecidisset in illa
Defensor solii, Jupiter alte, tui!
Vixit, ut occideret damnatus crimine regni:
Hunc illi titulum longa senecta dabat.
Lux eadem Marti festa est; quem prospicit extra
Adpositum Tectæ porta Capena viæ.

180. De *fabis* Plinius, xviii. 12: "Inter legumina maximus honos fabæ: quippe ex qua tentatus sit etiam panis. Lomentum appellatur farina ea, aggravaturque pondus illa.... Frumento etiam miscetur apud plerasque gentes.... Quin et prisco ritu fabacia suæ religionis diis in sacro est, prævalens pulmentari cibo." *Sextæ Kalendæ*, sexti mensis sive Junii. Sic et *tertias, quartas Kalendas* occurrere, atque Junias dictas esse etiam *fabarias* Neapolis monet.

183. *Iisdem Kalendis, templum Junonis Monetæ dedicatum.* De eo templo i. 638. Locus autem hic plurimum lucis accipit a Livio, vii. 28: "Camillus (dictator anno U. C. 409. in bello cum Auruncis,) deorum quoque opes adhibendas ratus, inter ipsam dimicationem ædem Junoni Monetæ vovit: cujus damnatus voti quum victor Romam revertisset, dictatura se abdicavit. Senatus duumviros ad eam ædem pro amplitudine populi Romani faciendam creari jussit. Locus in arce destinatus, quæ area ædium M. Manlii Capitolini fuerat."

185. De *M. Manlio* res nota. De damnatione ejus Livius, vi. 20: "Tribuni de saxo Tarpeio eum dejecerunt: locusque idem in uno homine et eximiæ gloriæ monumentum, et pœnæ ultimæ fuit. Adjectæ mortuo notæ sunt: publica una; quod, quum domus ejus fuisset ubi nunc ædes atque officina (in qua nummi cudebantur) Monetæ est, latum ad populum est, ne quis patricius in arce aut Capitolio habitaret," etc. Confer Plutarch. in Camillo, 36. Pro *Capitolio* Ovidius gravius *Jovem Capitolinum*, ejusque *solium* memorat. De *pugna* illa lege Livium, v. 47. *Crimine regni*, crimini ei dabatur, quod regnum adpetiisset. *Longa senecta*: nam si prius esset exstinctus, non incidisset in suspicionem regni adfectati.

191. *Martis ædem* ante *portam Capenam* etiam Livius aliquoties memorat, ut x. 23. Eam a L. Sulla restitutam esse et auctam Neapolis

Te quoque, Tempestas, meritam delubra fatemur;
Quum pæne est Corsis obruta classis aquis.
Hæc hominum monumenta patent: si quæritis astra,
Tunc oritur magni præpes adunca Jovis.
Postera lux Hyadas, Taurinæ cornua frontis,
Evocat; et multa terra madescit aqua.
Mane ubi bis fuerit, Phœbusque iteraverit ortus;
Factaque erit posito rore bis uda seges;
Hac sacrata die Tusco Bellona duello
Dicitur; et Latio prospera semper adest.

observat. *Quem prospicit*, in cujus templum prospectus est ad Capenam portam stanti. *Tectæ;* tres veteres, *rectæ*, unus *dextræ*. Et negotium fecit hæc *via* interpretibus. Burmannus de ea cum Cupero per literas egit; sed nec per hos ad liquidum res perduci potuit. Hoc inter eos convenit, fuisse semitam a Capena porta ad Martis templum, diversam illam a via Appia, quæ et ipsa incipiebat a Capena, sed in Campaniam ferebat. Hæc semita postea *via* facta est per censores; Livius: "Viam sternendam a porta Capena ad Martis templum locavere censores." Vocatur vel *recta*, recta ducens ad templum, quum Appia per plures anfractus iret; vel *dextra*, ut bivium extra portam fuerit, et ad dextram viam positum templum, aut, ut Fabret. Dissert. i. de Aquæd. vult, ut adpositum fuerit Viæ Appiæ, quam a dextra habuerit, quum a sinistra esset Latina, quæ ex Appia initium ceperit paululum a porta Capena; vel denique *tecta*, cujus epitheti ratio certa reddi non potest. Donatus in Roma vet. lib. iii. cap. 13. porticibus eam aut fornicibus tectam fuisse conjicit; Burmannus vero putat, si ostendi posset, per hanc viam sacram pompam quamdam duci solitam, in quam ex ædibus despicere non licuerit, se malle *tectam* viam intelligere, ut *relatas vias* Am. III. xiii. 12.

193. *Tempestatis templum:* id posuit, non Marcellus, ut Neapolis putabat, sed L. Scipio, Barbati filius, anno U. C. 494. cos. qui *Corsicam* cepit; id quod patet ex inscript. apud Reines. vi. 34. Hoc quoque templum extra portam Capenam fuit, ubi et lapis cum inscriptione illa effossus est.

195. *Ortus Aquilæ vespertinus.*] Plinius, xviii. 27. sect. 3: "Tertio Nonas Junii Cæsari et Assyriæ Aquila vesperi oritur;" idem, cap. xxix. 4: "Quarto Nonas Junii iterum Aquila exoritur vesperi." Sic et Columella, xi. 2. qui addit: "tempestas ventosa et interdum pluvia." Aquila *Jovis præpes* etiam Metam. iv. 713.

197. IV. *Nonas Hyades oriuntur heliace.*] De Hyadibus vide iv. 679; v. 164 sqq.

199—208. *Pridie Nonas Bellonæ templum sacratum.*] *Duellum* pro bello etiam apud Livium passim. De bello Etrusco, in quo Appius rem gessit, idem, x. 18 sqq: "Dicitur Appius in medio pugnæ discrimine, ita ut inter prima signa manibus ad cœlum sublatis conspiceretur, ita precatus esse: Bellona, si hodie nobis victoriam duis, ast ego tibi templum voveo." Etiam in inscript. quam Neapol. adtulit, *Bellonæ ædem fecisse* dicitur.

Appius est auctor, Pyrrho qui pace negata,
  Multa animo vidit; lumine captus erat.
Prospicit a templo summum brevis area circum:
  Est ibi non parvæ parva columna notæ.
Hinc solet hasta manu, belli prænuntia, mitti,
  In regem et gentes quum placet arma capi.
Altera pars circi custode sub Hercule tuta est:
  Quod deus Euboico carmine munus habet.
Muneris est tempus, qui Nonas Lucifer ante est:
  Si titulos quæris, Sylla probavit opus.
Quærebam, Nonas Sanco Fidione referrem,
  An tibi, Semo pater; quum mihi Sancus ait:

203. Obiter aliquid de Appio addit, quod inprimis celebrabatur, et de quo Valer. Max. viii. 12. similem sententiam habet: "Appius Claudius fessus jam vivendo, lectica se in curiam deferri jussit, ut cum Pyrrho deformem pacem fieri prohiberet. Hunc cæcum aliquis nominet, a quo patria, quod honestum erat, per se parum cernens, coacta est pervidere!"

205. Ante ædem Bellonæ *area* erat, et inde *circus* Flaminius, quem *summum*, cujus partem anteriorem, prospectabat area. *Brevis*, angusta, exigua. *Columnæ* illius meminerunt et alii. Festus in *Bellona:* "Ante ejus templum erat columella, quæ bellica vocabatur; supra quam hastam jaciebant, quum bellum indiccbatur." Victor. in Reg. ix: Ædes Bellonæ versus portam Carmentalem: ante hanc ædem columna index belli inferendi." Antiquis temporibus *hasta* mittebatur a Fetiali in terram hostilem; Livius, i. 32. *Non parvæ notæ*, notabilis, memorabilis admodum.

209. Eodem die, pridie Nonas, *Herculis Custodis templum* in circo Flaminio dedicatum. Kalend. vetus: "Herculi Magno custodi in circo Flaminio." Neapolis putat, in eo circo duo fuisse templa Herculis, alterum a senatu positum jussu carminis Cumani, alterum a Fulvio Nobiliore, instauratum a Philippo, de quo infra ver. 802. De *carmine Euboico* iv. 257. *Muneris tempus*, dies, quo munus dedicatum. *Probare* est et censoris, dum opus absolutum explorat. *Tituli*, inscriptio. De *titulis* templorum vide Schwarzium ad Plinii paneg. liv. 4.

213. *Nonæ Sanco sacræ.*] *Sancus*, aut, ut alii scribunt, *Sangus* et *Sanctus*, primus Sabinorum rex et auctor gentis, post mortem inter deos relatus, ut Faunus apud Latinos; Silius, viii. 422; Augustin. de Civit. Dei xviii. Idem et *Fidius* et *Semo pater* dictus est. Neapolis duas inscriptiones adtulit, in quibus: "Sango Sancto Semoni deo Fidio sacrum," et: "Semoni Sanco deo Fidio sacrum." Festus in *Prædia:* "In æde Sanci, qui deus Fidius putatur." Livius, viii. 20. *Semonem Sancum* aut *Sangum*. Sunt, qui putent eumdem et *Sabum* dictum esse. Sed secundum Catonem in Origg. *Sabus*, a quo nomen Sabinorum, Sanci filius fuisse traditur,

Cuicumque ex illis dederis, ego munus habebo :
Nomina trina fero ; sic voluere Cures.
Hunc igitur veteres donarunt æde Sabini ;
Inque Quirinali constituere jugo.
Est mihi, sitque, precor, nostris diuturnior annis,
Filia, qua felix sospite semper ero.
Hanc ego quum vellem genero dare, tempora tædis
Apta requirebam, quæque cavenda forent.
Tum mihi post sacras monstratur Junius Idus,
Utilis et nuptis, utilis esse viris :
Primaque pars hujus thalamis aliena reperta est ;
Nam mihi sic conjux sancta Dialis ait :

atque etiam a Silio, dicto loco, a Sanco distinguitur. *Referre*, idem quod mox *dare*, dicere alicui sacrum esse.

217. *Sacellum Sanci versus ædem Quirini*, in quo anno U. C. 426. orbes ænei positi sint, etiam Livius d. l. memorat. Dionysius, iv. 58. de fœdere Tarquinii Superbi cum Gabinis icto: Τούτων ἐστὶ τῶν ὁρκίων μνημεῖον ἐν Ῥώμῃ κείμενον ἐν ἱερῷ Διὸς Πιστίου, ὃν Ῥωμαῖοι Σάγκτον καλοῦσιν. Secundum eumdem, ix. 60. hanc ædem, a Superbo Tarquinio exstructam, Spurius Postumius cos. Nonis mensis Junii in *Colle Quirinali* dedicavit. Is autem cos. fuit an. U. C. 290. Quum igitur Ovidius ait, *veteres donarunt* Sabini, forte nil aliud vult, nisi Sabinum deum esse.

219—245. Prior Junii pars nuptiis infausta, posterior apta : qualia et ii. 257 sqq ; iii. 393 sqq. monentur. Hæc ita tractavit poeta, ut *filiæ* suæ memoriam ingeniose et commode intexeret. De *filia* sua IV. Trist. x. 75 : "Filia me mea bis, prima fecunda juventa, Sed non ex uno conjuge, fecit avum." De ea vide Masson. ad annum ætatis Ovid. 20 et 21. *Sitque*, etc. utinam mihi superstes sit ! votum admodum solemne parentum, Romanorum inprimis ; quibus magnum solatium, mori superstitibus suis. Vide ad Plinium, Epist. I. xii. 11.

223. Male Heinsius putabat, intelligi certam quamdam Junii diem, haud dubie diem ante xviii. Kalendas Jun. itaque ei scribendum videbatur, *post actus Idus* ; omnes enim dies postriduanos fuisse atros. Immo, omnes dies Junii ante Idus sunt infausti nuptiis, post Idus incipiunt fausti. Neque adeo huc pertinet, quod Macrobius, Saturn. i. 15. notat, nuptiis copulandis Kalendas, Nonas, et Idus religiosas fuisse. *Sacræ Idus*, ut ii. 121. *sacræ Nonæ*. Hæ enim Junoni, illæ Jovi sacræ.

226. A Flaminica, sive Flaminis *Dialis* uxore, hæc certissime scire poterat. Ea et maritus peculiaribus legibus matrimonialibus erant circumscripti, de quibus Gellius, Noct. Attic. x. 15. Ea inprimis *sancta* erat et esse debebat. Vide omnino Schwarzium ad Plinii panegyr. 83.

Donec ab Iliaca placidus purgamina Vesta
  Detulerit flavis in mare Tibris aquis;
Non mihi detonsos crines depectere buxo,
  Non ungues ferro subsecuisse licet;
Non tetigisse virum; quamvis Jovis ille sacerdos,
  Quamvis perpetua sit mihi lege datus.
Tu quoque ne propera: melius tua filia nubet,
  Ignea quum pura Vesta nitebit humo.
Tertia post Nonas removere Lycaona Phœbe
  Fertur, et a tergo non habet Ursa metum.
Tunc ego me memini ludos in gramine Campi
  Adspicere; et didici, lubrice Tibri, tuos.
Festa dies illis, qui lina madentia ducunt,
  Quique tegunt parvis æra recurva cibis.
Mens quoque numen habet: Menti delubra vide-
  Vota metu belli, perfide Pœne, tui. [mus

227. *Donec—aquis*, id est, usque ad sacra Vestalia, de quibus inde a ver. 249. *Purgamina*; Festus: "Stercus ex æde Vestæ xvii. Kalendas Julias defertur in angiportum medium fere clivi Capitolini: qui locus clauditur porta Stercoraria. Tantæ sanctitatis majores nostri esse judicaverunt." Ab eo Noster dissentit, qui Tibri devehenda purgamina tradit.

329. Etiam alio tempore Dialis uxor *impexas debet habere comas*; iii. 398. *Buxus* aut *buxum* sæpe pro pectine buxeo. Olim hic edebatur *detonso buxo*, et id explicabant, rasili buxo. Heinsius suadebat *dentosa buxo*, id est, pectine buxeo, qui Martiali, xiv. 25. *buxus multifido dente* dicitur. *Perpetua lege*. Lex antiqua apud Gellium dicto loco: "Matrimonium Flaminis, nisi morte, dirimi non est jus." Et ipsa Flaminica univira esse debebat: Tertullianus, Exh. ad Castit. 13. *Vesta ignea*, templum Vestæ, in quo ignis alitur perpetuus. *Pura humo*, æde illa purgata.

235. VII. *Idus* (die septimo) *Arctophylax occidit mane*. *Lycaon* pro *Lycaonides*, Lycaonis nepos, Arcas, qui quum in eo esset, ut Callisto, matrem in ursam mutatam, telo figeret, Jupiter ambos cœlo imposuit, siderague vicina fecit ita, ut Ursa mater præcederet, Arcas filius Arctophylacis nomine *a tergo* sequeretur; Met. ii. 507. Is dies festus piscatorum in campo Martio. *Didici tuos*, quum quærerem, qui essent, cognovi tuos esse. *Lubricus*, ut iv. 337. De hac *festa* die Festus: "Piscatorii ludi vocantur, qui quotannis mense Junio trans Tiberim fieri solent a prætore urbano pro piscatoribus Tiberinis: quorum quæstus non in macellum pervenit, sed fere in arcam Volcani; quod id genus pisciculorum vivorum datur ei deo pro animis humanis."

241—248. *Menti ædes vota.*] In nu-

Pœne, rebellaras: et leto consulis omnes
  Adtoniti Mauras pertimuere manus.
Spem metus expulerat, quum Menti vota senatus
  Suscipit; et melior protinus illa venit.
Adspicit instantes mediis sex lucibus Idus
  Illa dies, qua sunt vota soluta deæ.
Vesta, fave: tibi nunc operata resolvimus ora,
  Ad tua si nobis sacra venire licet.
In prece totus eram: cœlestia numina sensi;
  Lætaque purpurea luce refulsit humus:
Non equidem vidi, valeant mendacia vatum,
  Te, dea; nec fueras adspicienda viro

minibus, quæ leges xii. tabb. coli jubebant, erant et *olla, propter quæ datur homini adscensus in cœlum, Mens, Virtus, Pietas, Fides;* Cicero, Legg. ii. 8. Eam legem ridet Lactantius, Inst. i. 20. Bello Punico secundo, post pugnam ad lacum Trasimenum, decemviri, consultis libris Sibyllinis, retulerunt Veneri Erycinæ ac *Menti* ædes esse vovendas. *Menti* vovit T. Otacilius prætor, idemque duumvir dedicavit; Livius, xxii. 8 et 10; xxiii. 31. *Rebellare*, novum bellum movere, redintegrare bellum: sic Livius, iv. 23. et alibi; Metam. ix. 81. est novam luctam ingredi. *Consulem* Flaminium Insuber eques in prælio lancea transfixit; Livius, xxii. 6. *Manus* haud dubie vis: sæpe *manus* et *tela* pugnantium occurrunt. In exercitu Hannibalis etiam *Mauri* erant; Livius, xxi. 22. *Adspicit*, etc. inter illam diem, qua vota soluta sunt, et Idus interjacent mediæ sex luces. Falso Neapolis putabat, Ovidium hoc disticho diem vi. Idus exprimere voluisse.

249—460. V. *Idus, Vestalia.* De *Vesta* confer i. 528; iii. 417—428; ver. 697 sqq; iv. 949.

Tibi—ora; tua sacra cantaturus sum. *Resolvere ora*, loqui, etiam i. 255; Met. ii. 282. et alibi. *Operari* et sacra facere, et omnino operam dare; Metam. vii. 746. *studiis operata Dianæ;* vide ad iii. 261. Simile autem exordium iv. 723: *Alma Pales faveas pastoria sacra canenti: Prosequor officio si tua festa pio.* *Lux* illa signum præsentiæ divinæ; i. 94. *Purpureus*, lucidus, splendidus. *Purpureum lumen* dixit etiam Virgilius, Æneid. vi. 641. Ab hoc lumine *læta* humus.

253. Dea casta non apparuit viro, ut eum ore doceret ritus suos, ut Janus, lib. i. Sed, quemadmodum iv. 15. Venus myrto leviter admota, sic nunc Vesta lucis ope poetam numine suo implevit, ut sufficeret rebus canendis, *nullo præcipiente*, verbis. *Valeant* de rebus, quas remotas cupimus. Et *mendacia* poetarum sunt fictiones; apud Horat. Arte Poetic. 151. ipse Homerus *mentitur*. Supra ver. 3: *erunt qui me finxisse loquantur, Nullaque mortali numina visa putent. Nec adspicienda viro;* confer ver. 450. *Nullo* generalius quam aliorum *nulla*. *Error* rursus incertitudo.

Sed, quæ nescieram, quorumque errore tenebar,
  Cognita sunt, nullo præcipiente, mihi.
Dena quater memorant habuisse Palilia Romam,
  Quum flammæ custos æde recepta sua est.
Regis opus placidi, quo non metuentius ullum
  Numinis ingenium terra Sabina tulit.
Quæ nunc ære vides, stipula tunc tecta videres;
  Et paries lento vimine textus erat.
Hic locus exiguus, qui sustinet atria Vestæ,
  Tunc erat intonsi regia magna Numæ.

257—264. Primum Vestæ templum apud Romanos. Erant olim, qui contenderent, templum illud jam a Romulo esse conditum. Hos refellit Dionysius Halicarn. ii. 65. Ipse cap. 64. *Numæ* hoc tribuit: Ἀντὸς πρῶτος ἱερὸν ἱδρυσάμενος Ῥωμαίοις Ἑστίας, καὶ παρθένους ἀποδείξας αὐτῇ θνηπόλους. Idem tradit Plutarchus, Num. 9 et 11. ubi narratur: τὸ τῆς Ἑστίας ἱερὸν ἐγκύκλιον περιβαλέσθαι τῷ ἀσβέστῳ πυρὶ φρουράν. Adde Livium, i. 20. *Palilia* describuntur iv. 721 sqq. et e vers. 727—732 apparet, cur hoc loco eorum mentio fiat. *Dena quater;* Numa anno U. C. 38. regnum suscepit; ergo templum condidit anno regni sui secundo. *Custodes flammæ* alias sunt Vestales: nunc ipsa dea *custos;* Velleius, ii. 131. *perpetuorum custos Vesta ignium;* Cic. Nat. Deor. ii. 27. *rerum custos intimarum.* Omnino dii vocantur *custodes* earum rerum, quibus præsunt, ut Pan armenti ii. 277. *Rex placidus,* quia pacis amans. De *ingenio* ejus virtutibus temperato Livius, i. 18: Plut. 3. *Deorum metum* etiam suis injiciendum omnium prim. ratus est.

261. De ædificiis et moribus priscæ ætatis confer i. 199 sqq; iii. 183. et alibi. Seneca, Epist. xc: "Furcæ utrimque suspensæ fulciebant casam: spissatis ramalibus ac fronde congesta et in proclive disposita, decursus imbribus quamvis magnis erat. Culmus liberos texit." Tatio regnante, etiam curia de *stipula* erat; Art. Amat. iii. 118. *Ære* Lipsius putat aurato. *Parietem vimine têxtum* Neapolis credit in nova æde esse servatum, et hunc esse *penum,* de quo Festus: "Penus vocatur locus in æde Vestæ intimus tegetibus septus, qui certis diebus circa Vestalia aperitur."

263. Numæ *regiam* proxime fuisse ad ædem Vestæ, certum est. Plutarchus, Num. 14. sacerdotiis constitutis: ἐδείματο πλησίον τοῦ τῆς Ἑστίας ἱεροῦ τὴν καλουμένην Ῥηγίαν, οἷόν τι βασίλειον οἴκημα. Solinus 2. Numa *habitabat propter ædem Vestæ.* Lipsius de Vesta cap. 4. monet, Ovidium diversa confudisse; *atrium Vestæ* adjunctum fuisse *regiæ.* In *atrio* illo habitabant Vestales; Plinius, VII. Epist. xix: 2. ubi vide notam nostram: conf. et supra 11. 69. *Intonsus,* priscus, ut ii. 30. et alibi. III. Trist. i. 30: "Hic fuit antiqui regia parva Numæ;" nunc dicitur *magna* pro ratione illorum temporum aut propter magnitudinem regis.

Forma tamen templi, quæ nunc manet, ante fuisse
Dicitur: et formæ causa probanda subest.
Vesta eadem est, quæ terra; subest vigil ignis utri-
Significant sedem terra focusque suam. [que:
Terra pilæ similis, nullo fulcimine nixa,
Aere subjecto tam grave pendet onus.
Ipsa volubilitas libratum sustinet orbem,
Quique premat partes, angulus omnis abest:
Quumque sit in media rerum regione locata,
Et tangat nullum plusve minusve latus;
Ni convexa foret, parti vicinior esset;
Nec medium terram mundus haberet onus.

265. De forma templi rotunda, Plutarchus dicto loco, *ἱερὸν ἐγκύκλιον*. Qui monet, Numam hanc formam secutum esse, non ut assimilaret terræ figuram, tamquam ea dea esset, sed universi hujus mundi, cujus medium Pythagorei ignem esse arbitrentur. Dionysius Halicarn. dict. loc. terram et ignem conjungit; Vestam, quum terra sit, quæ medium mundi locum teneat, accendere ex sese superiores illos ignes. Neque Noster sibi constat; namque hic et ver. 460. Vestam facit *terram*; ver. 291. *vivam flammam*. Euripid. Fragm. 178: *Γαῖα μῆτερ· Ἑστίαν δὲ σ' οἱ σοφοὶ Βροτῶν καλοῦσιν, ἡμένην ἐν αἰθέρι*. *Vigil*, æternus, perennis; Virgilius, Æneid. iv. 200: "vigilemque sacraverat ignem." Florus i. 2. de his sacris: "ut ad simulacrum cœlestium siderum custos imperii flamma vigilaret." *Focus*, ignis. Terra et ignis forma illa rotunda significant, ibi esse sedem suam. Lenzius vero *suam* pro *ejus* positum putat, ut sensus sit: forma rotunda terræ et focus describunt templum Vestæ, sunt ei propria.

269. Festus: "Rotundam ædem Vestæ Numa Pompilius, rex Romanorum, consecrasse videtur, quod eamdem esse terram, qua vita hominum sustentaretur, crediderit, eamque in pilæ formam esse, ut sui simili templo coleretur." De *pendente* hoc onere in *aere subjecto* vide Met. i. 12. Versus sqq. sex 271—276. non leguntur, nisi in Ursini libro et sex aliis, et videntur mihi spurii esse, namque quo referes ver. 273. *locata?* ad *terram* ver. 269? at alia subjecta interposita sunt, *volubilitas* et *angulus*. *Ipsa volubilitas*, etc. volubilitas globum sustinet in æquilibrio; vide ad Met. i. 13; Cicero Nat. Deor. ii. 19: "Mundi volubilitas, quæ nisi in globosa forma esse non posset." Idem in Timæo c. 10. deus mundum *ad volubilitatem rotundavit*. Cæterum non orbis planus hic cogitandus est, sed *pila*, globus. Nec *angulus* depressus intelligendus, sed procurrens, prominens, ut ver. 281. diserte monetur. Eminentes autem partes *premunt* inferiora, quibus innituntur. *Nec medium*, etc. non haberet molem terræ in medio. *Onus* quidquid gestatur; iv. 241. *onus inguinis*.

Arce Syracosia suspensus in aere clauso
  Stat globus, immensi parva figura poli:
Et quantum a summis, tantum secessit ab imis
  Terra: quod ut fiat, forma rotunda facit.
Par facies templi; nullus procurrit in illo
  Angulus: a pluvio vindicat imbre tholus.
Cur sit virgineis, quæris, dea culta ministris?
  Inveniam causas hac quoque parte suas:
Ex Ope Junonem memorant Cereremque creatas
  Semine Saturni; tertia Vesta fuit.
Utraque nupserunt; ambæ peperisse feruntur:
  De tribus impatiens restitit una viri.
Quid mirum, virgo si virgine læta ministra
  Admittit castas in sua sacra manus?

277. Archimedes Syracusanus, ut multa, ita et sphæram invenit, quæ motus solis et stellarum errantium referret, ita, ut tarditate et celeritate dissimillimos motus una regeret conversio. Cincta erat capsa vitrica, qua *aer clausus* motum illum efficere credebatur; Cicero, Tuscul. i. 25; Claudianus, Epigr. 68: *Jura poli, rerumque fidem, legesque deorum* (ordinem naturæ, systema mundi) *Ecce Syracosius transtulit arte senex. Inclusus variis famulatur spiritus astris, Et vivum certis motibus urget opus.* Lenzius putat, Archimedem usum esse eam in rem vi magnetica. *Syracosia* etiam metri necessitate correxit Heinsius quum libri omnes *Syracusiæ* haberent. Sic et poetæ græci Συρακόσιος. Idem ex optimo Patavino et duobus aliis *arte* mutavit in *arce;* monetque, intelligi Achradinam, editiorem Syracusarum partem; ibi enim servatam esse illam sphæram, ex Athenæo, V. xi. p. 207. apparere. *Tholus,* tectum (proprie interius) rotundæ ædis in testudinem concameratæ. *Pluvius imber* ut Tacitus, Histor. v. 23. *pluviales imbres;* qui et cum vi cadunt, et diu durant. Cæterum apud Plutarchum, Sympos. vii. 4. quidam observat, mensam quoque terræ esse simulacrum, eamque, quia rotunda sit et stabilis, recte a quibusdam Vestam vocari.

283—294. Cur dea virgineis colatur ministris. Multi inter veteres ejus rei causam quæsiverunt. Plutarchus, cap. 9. Numam putat aut puram incorruptamque ignis naturam impollutis Vestalium corporibus credidisse, aut infecunditatem et sterilitatem virginitati adsimilasse; conf. Cicer. Legg. ii. 12. Etiam Ovidius duas causas adfert: in Græcia viduæ præerant sacris Vestæ. *Vesta* filia erat maxima natu Saturni et Opis; vide ad ver. 30. *Impatiens viri;* ut Metam. i. 479: "impatiens expersque viri." *Lætus* eleganter de eo, qui habet aliquid, qui instructus est aliqua re; Virgilius, Æneid. i. 275. Romulus *lupæ tegmine lætus;* et ver. 696. *duce lætus Achate;* Ovidius, Metam. ii. 634: *divinæ stirpis alumno Lætus.*

Nec tu aliud Vestam, quam vivam intellige flam-
  Nataque de flamma corpora nulla vides. [mam:
Jure igitur virgo est, quæ semina nulla remittit,
  Nec capit; et comites virginitatis habet.
Esse diu stultus Vestæ simulacra putavi:
  Mox didici curvo nulla subesse tholo.
Ignis inexstinctus templo celatur in illo:
  Effigiem nullam Vesta, nec ignis, habent.
Stat vi terra sua; vi stando Vesta vocatur;
  Causaque par Graii nominis esse potest.
At focus a flammis, et, quod fovet omnia, dictus;
  Qui tamen in primis ædibus ante fuit.
Hinc quoque vestibulum dici reor: inde precando
  Adfamur Vestam; Quæ loca prima tenes.
Ante focos olim longis considere scamnis
  Mos erat; et mensæ credere adesse deos.

291. Hanc alteram causam etiam Lactantius, Inst. I. xii. 5. ex hoc loco adfert: "Quia ignis inviolabile sit elementum, nihilque nasci possit ex eo, quippe qui omnia, quæ arripuerit, absumat."

295. In templo nullum Vestæ signum erat, ut nec apud Græcos, (Pausanias, Corinth. cap. 35.) quod Ovidius adhuc ignorabat, quum iii. 45. scriberet. Sed extra templum effigies ejus varie exprimebatur; vid. Lipsius de Vesta, cap. 3.

299. Arnobius adv. Gentes, iii. p. 119: "Terram nonnulli Vestam esse pronuntiant, quod in mundo stet sola, cæteris ejus partibus mobilitate in perpetuo constitutis." Sic jam Plato in Phædon. Μένει μὲν Ἑστία ἐν θεῶν οἴκῳ μόνη. Sed mira est hæc Ovidii etymologia; melius Cicero, Nat. Deor. ii. 27: "Vestæ nomen a Græcis est; ea est quæ ab illis Ἑστία dicitur. Vis autem ejus ad aras et focos pertinet." Conf. idem Legg. ii. 12. *Causa Graii nominis*, ut Ἑστία dicta sit ab ἑστάναι, ὅ ἐστιν ἐν ἑνὶ τόπῳ ἱδρύσθαι· Et sic sane scholiastæ quidam. *Quod fovet*; id quoque ineptum. *Primas ædes* Krebsius intellexit aditum templi. Immo de ædibus humanis cogita, earumque vestibulo: vide ad i. 137. Græci Vestæ primæ sacra faciebant, prius etiam quam Jovi; vide Lipsium de Vesta, cap. 2. cui Ovidius quoque his verbis eo adlusisse videtur, quamquam ipse ad vestibulum retulerit. Vulgo legitur: *inde precando Dicimus, o Vesta.*

305. Etiam Virgilius, Æn. vii. 176: "Perpetuis soliti patres considere mensis," ubi vide Servium. De *Vacuna*, dea otii et vacantium, vide Horatii interpp. ad I. Ep. x. 49. *De more vetusto*, scil. considendi ante focos. Hinc cibi mittebantur *Vestæ*, in focum Vestalem. *Fert*, continet. *Puram* Neapolis nunc explicat, detersam,

Nunc quoque, quum fiunt antiquæ sacra Vacunæ,
Ante Vacunales stantque sedentque focos.
Venit in hos annos aliquid de more vetusto:
Fert missos Vestæ pura patella cibos.
Ecce, coronatis panis dependet asellis;
Et velant scabras florida serta molas.
Sola prius furnis torrebant farra coloni;
Et Fornacali sunt sua sacra deæ.
Subpositum cineri panem focus ipse parabat;
Strataque erat tepido tegula quassa solo.
Inde focum servat pistor, dominamque focorum,
Et quæ pumiceas versat asella molas.
Præteream, referamne tuum, rubicunde Priape,
Dedecus? est multi fabula plena joci:

mundam; quamquam *purum* et omne id, quod rebus sacris inservit.

311. Diebus feriatis etiam animantia coronari solebant, ut juvenci, i. 663. catuli, etc. Vide Wernsdorf. ad Poetas minor. tom. i. pag. 253. Ad nostrum locum pertinet Propert. IV. i. 21. ubi de antiquis temporibus: "Vesta coronatis pauper gaudebat asellis." Recte Neapolis putat, *panem dependentem* habuisse formam coronæ; ver. 347: *de pane monilibus ornas*. Lactantius, Inst. I. xxi. 26: "asinum Vestalibus panibus coronari." Quamquam et flores addebantur; ver. 469. Eraut autem molitorii asini, quibus id honoris habebatur; unde et *molæ* adduntur. Eas et alibi *scabras* vocat; Art. Amator. iii. 290: "Ut rudit ad scabram turpis asella molam;" Medicam. Faciei, 58: "Lenta jube scabra frangat asella mola." Causa hujus epitheti, e Seneca, Epist. 90. patet, ubi de paneficii inventione agit: aliquis "lapidem asperum aspero imposuit ad similitudinem dentium." Quamquam et aliæ molæ partes *scabræ*, id est, non læves, esse potuerunt. De *molis* tam manuariis, quam asinariis veterum vide Beckmann. in Symbolis ad historiam Invent. vol. ii. p. 1. et qui ibi laudantur.

313. Confer cum his ii. 519 sqq. et quæ ibi notata sunt de *farre*, de eo *torrendo* et de *Fornacalibus*. Antequam *furni* usus repertus esset, *foco* calido veteres utebantur ad panem coquendum; Seneca, Epist. 90: "Panem primo cinis calidus et fervens testa percoxit: deinde furni paulatim reperti sunt et alia genera." Panes illi placentæ formam habebant, nec nisi sub cœnæ tempus coquebantur; vide Heynii Opuscul. Acad. vol. i. p. 374. *Pumiceas*: Heinsius in Opusc. p. 236. cum plurimis MSS. *puniceas* tuetur, id est, rubras. Immo *pumex* omnis lapis excavatus; iv. 495. et infra ver. 381. *cava machina* mola vocatur.

319. Simillima fabula i. 391—440; et Noster ex una duas fecisse videtur, ut rem sibi gratissimam bis narrare posset. Sic, ut hic, sed breviter, re-

Turrigera frontem Cybele redimita corona
Convocat æternos ad sua festa deos;
Convocat et Satyros, et rustica numina, Nymphas.
Silenus, quamvis nemo vocarat, adest.
Nec licet, et longum est epulas narrare deorum:
In multo nox est pervigilata mero.
Hi temere errabant in opacæ vallibus Idæ:
Pars jacet, et molli gramine membra levat.
Hi ludunt: hos somnus habet: pars brachia nectit,
Et viridem celeri ter pede pulsat humum.
Vesta jacet, placidamque capit secura quietem,
Sicut erat positum cespite fulta caput.
At ruber hortorum custos Nymphasque deasque
Captat; et errantes fertque refertque pedes.
Adspicit et Vestam; dubium, Nymphamne putarit,
An scierit Vestam; scisse sed ipse negat.
Spem capit obscænam, furtimque accedere tentat;
Et fert suspensos, corde micante, gradus.
Forte senex, quo vectus erat, Silenus asellum
Liquerat ad ripas lene sonantis aquæ.
Ibat, ut inciperet longi deus Hellesponti,
Intempestivo quum rudit ille sono.

petita est a Lactantio, Inst. I. xxi. 25. qui eam ab ipso Ovidio fictam putat. De *turrigera corona* iv. 219 sqq. *Evocat* alterum, qui eum aliunde ad se venire jubet. *Convocat* h. l. aptius est. LEM.

325. *Nec licet.*] Recte Burmannus notat respici Tantali fabulam, qui epulis deorum admotus, quum ibi acta narrasset, pœnam senserit. De *Ida* ejusque *vallibus* ver. 15; iv. 182. *Nectere brachia*, implexis manibus in orbem saltare; Horatius, II. Od. xii. 18: dare brachia Ludentem nitidis virginibus." *Pulsare humum* de saltante etiam Horat. I. Od. xxxvii. I. idem, iii. Od. 18. *pellere humum*, cum Lucretio: "Gaudet invisam pepulisse fossor Ter pede terram;" quibus tripudium, ut et h. l. describitur. Mox nonnulli *posito cespite*, ut cespes de industria subpositus fuerit capiti.

335. *Dubium* non ad Priapum pertinet, sed hæc sunt verba Ovidii interposita. Cum verbis *fert suspensos*, etc. confer i. 425—429.

Territa voce gravi surgit dea: convolat omnis
  Turba: per infestas effugit ille manus.
Lampsacos hoc animal solita est mactare Priapo:
  Apta asini flammis indicis exta damus:
Quem tu, diva memor, de pane monilibus ornas.
  Cessat opus: vacuæ conticuere molæ.
Nomine, quam pretio celebratior, arce Tonantis,
  Dicam, Pistoris quid velit ara Jovis.
Cincta premebantur trucibus Capitolia Gallis:
  Fecerat obsidio jam diuturna famem.
Jupiter, ad solium Superis regale vocatis,
  Incipe, ait Marti; protinus ille refert:
Scilicet ignotum est, quæ sit fortuna meorum,
  Et dolor hic animi voce querentis eget.

344. Edit. Neapolis *effugit illa*, ut Vesta dicatur Priapi manus effugisse: quod placet Taubnero, sed non mihi: immo *ille* Priapus effugit per manus, quas dii convolantes ei injicere volebant. *Lampsacos*, etc. Sic et i. 439; et Lactantius, dicto loco: "Hac de causa Lampsacenos asellum Priapo, quasi in ultionem mactare consuevisse: apud Romanos vero eumdem Vestalibus sacris, in honorem pudicitiæ, panibus coronari." Inde patet Lactantium, qui diserte monet, se ex Ovidii Fastis hanc fabulam repetere, hoc quoque distichon habuisse in suo cod. quod Heinsius ab homine male feriato præter rem inculcatum esse putabat; sed nec potest abesse propter sqq; nam *quem* refertur ad asinum. Burmannus hæc sic refingi volebat: *Lampsacos hinc animal solita hoc mactare Priapo: Hinc asini flammis indicis exta damus;* quia *hinc asini* est in multis edd. *Memor;* aliter judicat Lactantius: "Quid turpius? quid flagitiosius, quam si Vesta beneficio asini virgo est?" *Cessat opus* nempe die Vestalium.

349—394. Digressio ad *aram Jovis Pistoris*, quæ non pertinet ad rem, quamquam in hac fabula etiam Vestæ partes quædam fuere. Forte ver. 318 sqq. hæc inserendi poetæ occasionem dedere. Summam rei habet Livius, v. 48: "Quum identidem Galli (Romanis in Capitolio inclusis) famem objicerent, eaque necessitate ad deditionem vocarent, dicitur avertendæ ejus opinionis causa multis locis panis de Capitolio jactatus esse in hostium stationes." Id consilium ad deos auctores postea relatum et ab Ovidio exornatum est. *Arx Tonantis*, Capitolium. *Trucibus;* etiam Livius, vi. 28: "species Gallorum truces."

354. *Incipere* etiam ver. 341. absolute positum: h. l. supplend. referre. *Scilicet* gravem indignationem cum irrisione quadam exprimit, negatque ignotum esse id, quod jam additur. *Jucere* de victis.

Si tamen, ut referam breviter mala juncta pudori,
  Exigis: Alpino Roma sub hoste jacet.
Hæc est, cui fuerat promissa potentia rerum,
  Jupiter? hanc terris impositurus eras?
Jamque Suburbanos, Etruscaque contudit arma.
  Spes erat in cursu: nunc Lare pulsa suo est.
Vidimus ornatos, ærata per atria, picta
  Veste, triumphales occubuisse senes.
Vidimus Iliacæ transferri pignora Vestæ
  Sede: putant aliquos scilicet esse deos.
At si respicerent, qua vos habitatis in arce,
  Totque domos vestras obsidione premi;

359. Illa *promissa potentia* etiam i. 517; Met. ii. 259. occurrit. Confer Virgilium, Æneid. i. 257 sqq. *Imponi* de dominis; Livius, xlv. 36: "Si domini milites imperatoribus imponantur." *Lare*, sede sua, deleta urbe Roma.

363. Galli, quum in urbem defensoribus nudam penetrassent, in ædium vestibulis sedentes repererunt senes consulares et triumphales, eosque splendidis vestibus ornatos, quos in sedibus suis trucidaverunt; Livius, v. 41. Secundum Plutarchum in Camillo, 21 et 22. id factum in foro; apud Florum, i. 13. in foro viri illi se diis Manibus consecrant; inde in suas quisque ædes regressi in sellis curilibus considunt. Et *atria* et vestibula Livius in hac re memorat. *Ærata* atria explicant, in quibus statuæ æneæ dispositæ. Mihi Heinsii conjectura placet, *reserata;* etenim Livius dicto loco, *patentia atria principum;* Florus *patentes domos;* Valerius Maxim. iii. 117. *apertas januas* habet. *Vestes* eorum Plutarch. vocat ἱερὰς καὶ λαμπράς; Florus *trabeas;* Livius, *quæ augustissima vestis est thensas ducentibus triumphantibusve, ea vestiti medio ædium sedere;* ea erat purpurea, auro intexto *picta;* Plin. viii. 48; ix. 60.

365. Plutarchus in Camillo, 20: Τὸ πῦρ τῆς Ἑστίας αἱ παρθένοι μετὰ τῶν ἱερῶν ἁρπασάμεναι ἔφυγον. Sacra religiosissima tum partim in doliis defossa, partim plaustris deportata sunt; Livius, v. 40; Florus, i. 13. Etiam post *deos* signum interrogandi mutavi, et *scilicet* capiendum ut ver. 355. Hoc sibi vult: stulti illi adhuc putant deos *esse aliquos*, qui vim habeant et curam gerant rerum humanarum; Metam. vi. 542: "Si tamen hæc Superi cernunt; si numina divûm Sunt aliquid." Æque recte autem dicitur *aliquem*, ac *aliquid* esse de iis, qui potentia, dignitate, auctoritate valent. *Qua vos habitatis*, Capitolium, ubi vos multis templis et aris colimini. Omnes fere dii ibi colebantur, et jam illo ipso tempore; apud Livium, vi. 16. Manlius; "Jupiter, Junoque regina, ac Minerva, cæterique dii deæque, qui Capitolium arcemque incolitis." *Nil opis esse in cura*, non opem esse exspectandam a cura. *Tura perire*, frustra accendi, *manu sollicita*, manu hominum de salute sua sollicitorum.

Nil opis in cura scirent superesse deorum,
Et data sollicita tura perire manu.
Atque utinam pugnæ pateat locus! arma capessant;
Et, si non poterunt exsuperare, cadant.
Nunc inopes victus, ignavaque fata timentes,
Monte suo clausos barbara turba premit.
Tum Venus, et lituo pulcher trabeaque Quirinus,
Vestaque pro Latio multa locuta suo.
Publica, respondit, cura est pro mœnibus istis,
Jupiter: et pœnas Gallia victa dabit.
Tu modo, quæ desunt fruges, superesse putentur,
Effice; nec sedes desere, Vesta, tuas.
Quodcumque est Cereris solidæ, cava machina frangat;
Mollitumque manu duret in igne focus.
Jusserat: et fratris virgo Saturnia jussis
Adnuit; et mediæ tempora noctis erant.
Jam ducibus somnum dederat labor: increpat illos
Jupiter; et sacro, quid velit, ore docet:

373. *Inopes victus* ambigue dictum, ut et Burmannus notavit; possunt enim intelligi et Romani victu destituti, et victus exigui, inopia, ut Met. i. Illos longa domant inopi jejunia victu." Burmannus porro monet, elegantius (immo gravius) fore *monte tuo*, quia mons Capitolinus Jovi sacer.

375. De *trabea Quirini* vide ad i. 37; ii. 504. *Lituo* Romulus usus erat in condenda urbe; Virgil. Æn. vii. 187: "Ipse Quirinali lituo, parvaque sedebat Succinctus trabea." Ut ibi *succinctus*, sic hoc loco *pulcher* etiam ad *lituum* refertur.

377. *Curam* Scaliger putat dictam pro curatore. Potest et sic capi: hæc cura nobis omnibus communis esse debet, aut, pertinet non ad rem privatam, sed ad publicam; Livius, ii. 41. *publica sollicitudo* de republica; iii. 48. *publica indignatio* de reipublicæ damno. *Ceres solida*, grana solida. *Frangat*, ea contundantur saxis sibi illisis aut pilo. Id quoque verbo *molere* expresserunt veteres; vide Heynii Opusc. Acad. vol. i. p. 367. *Mollitum manu*, subactum manu, adspersa aqua. *Duret focus*; vide ad ver. 315 sq.

383. Heinsius suadet, *at fratris*, et paulo post, *tempora noctis eunt*. *Increpare*, impellere, excitare, quod posterius unus Moreti habet; Virgil. Georg. iv. 71: "morantes Martius ille æris rauci canor increpat;" Æn. i. 738. ubi *increpitans* est adhortans, aut, ut Servius explicat, inclamans. Mihi *perdere* etiam propterea verum videtur, quia idem verbum mox a Romanis repetitur, quod fieri debebat a deliberantibus.

Surgite, et in medios de summis arcibus hostes
Mittite, quam minime perdere vultis, opem.
Somnus abit, quæruntque novis ambagibus acti,
Perdere quam nolint, et jubeantur, opem.
Ecce, Ceres visa est: jaciunt Cerealia dona:
Jacta super galeas scutaque longa sonant.
Posse fame vinci spes excidit: hoste repulso,
Candida Pistori ponitur ara Jovi.
Forte revertebar festis Vestalibus illac,
Qua Nova Romano nunc via juncta foro est.
Huc pede matronam vidi descendere nudo;
Obstupui; tacitus sustinuique gradum.
Sensit anus vicina loci; jussumque sedere
Adloquitur, quatiens, voce tremente, caput:
Hoc, ubi nunc fora sunt, udæ tenuere paludes;
Amne redundatis fossa madebat aquis.
Curtius ille lacus, siccas qui sustinet aras,
Nunc solida est tellus, sed lacus ante fuit.

389. *Ambages* vocantur monita obscura; iv. 261: *ambages sortis obscuræ;* ibid. 379: *ambages oris obscuri;* Met. xiv. 57: *obscurum verborum ambage novorum. Ceres visa est;* conjectando eo delati sunt, ut crederent *Cererem*, id est, panem, intelligi. *Scuta longa*, sed ad amplitudinem corporis parum lata etiam Livius Gallis tribuit.

395. Cur sacris Vestalibus matronæ pede nudo in forum descendant. Interpreti Gallico hunc locum inseruisse Ovidus videtur, ut Velabrum describere posset. Quod non est; Velabri enim non nisi obiter et breviter fit mentio. Ad *Novam viam* ædes erat Vestæ; Livius, v. 32. Burmanno elegans videbatur lectio, quam Neapolis in suo cod. reperit, *revectabar*, quam recepisset, nisi sequeretur *jussumque sedere*, unde eum pede iter fecisse colligatur. Nec credibile est, poetam tempore sacrorum circumvectatum esse ædem deæ. *Descendere* de iis qui in forum eunt, quia cives honestiores in montibus habitabant. *Gradum*, plures *gradus;* inde Heinsius facit, *tacitos sustinuique gradus.*

399. Simile figmentum iv. 685 sqq. *Fossa*, omnino locus profundus; ibi *lacus*, qui vel bello Sabino a *Metto Curtio*, vel serius a *M. Curtio*, juvene egregio, quum se in specum illum immisisset, nomen invenit; Liv. i. 13; vii. 6; "Redundatæ flumine aquæ" etiam Trist. ii. 51. Eo loco erat *ara* Saturni.

Qua Velabra solent in circum ducere pompas,
  Nil præter salices, cassaque canna fuit.
Sæpe suburbanas rediens conviva per undas
  Cantat: et ad nautas ebria verba jacit.
Nondum conveniens diversis iste figuris
  Nomen ab averso ceperat amne deus.
Hic quoque lucus erat, juncis et arundine densus,
  Et pede velato non adeunda palus.
Stagna recesserunt, et aquas sua ripa coercet;
  Siccaque nunc tellus: mos tamen inde manet.
Reddiderat causam: Valeas, anus optima, dixi;
  Quod superest ævi, molle sit omne, tui.
Cætera jam pridem didici puerilibus annis;
  Non tamen idcirco prætereunda mihi.
Mœnia Dardanides nuper nova fecerat Ilus:
  Ilus adhuc Asiæ dives habebat opes.

405. *Velabrum*, planities inter Capitolinum, Palatinum et Aventinum montem. *Pompas* intp. Gallicus triumphales intelligit; tu vero Circenses intellige, satis illas splendidas, de quibus Amorr. iii. 2. et Suetonius passim. Quamquam et triumphantes Velabrum prætervehebantur; Sueton. Cæsar. 39. *Velabra ducunt pompas*, pompæ procedunt per Velabra. *Cassa*, inanis. Stagnum autem Velabri et alii memorant; Propert. IV. ix. 5: Hercules venit "Qua Velabra suo stagnabant flumine, quaque Nauta per urbanas velificabat aquas;" Tibullus, II. iii. 33: "At qua Velabri regio patet, ire solebat Exiguus pulso per vada linter aqua. Illa sæpe gregis ditis placitura magistro Ad juvenem festa est vecta puella die." Pro *verba* Heins. mavult *dicta*, id est, dicteria; sed *τὸ ebria* satis definit rationem *verborum* istorum. De verbis, quibus lædimus aut lacessimus alterum, usitatum est *jacere*; Cic. Sul. 7. *jacere contumeliam*: quamquam interdum et simpliciter edere significat.

409. Vertumnus intelligend. Propertius, IV. ii. 7. de foro Romano: "Hac quondam Tiberinus iter faciebat; et aiunt Remorum auditos per vada pulsa sonos. At postquam ille suis tantum concessit alumnis, Vertumnus verso dicor ab amne deus;" idem ver. 21. *conuenientem diversis figuris* describit: "Opportuna mea est cunctis natura figuris: In quamcumque voles verte, decorus ero;" id quod latius exornavit Ovidius, Met. xiv. 642 sqq.

419. De *Palladio*, sive signo Palladis, quod e cœlo delapsum, *διοπετὲς*, summa religione in arce Iliaca colebatur, quodque in multis nummis Juliæ gentis expressum cernitur. Historiam ejus habet Apollodorus, III. xii. 3. ubi vide Heynium. *Dardanus* 200 s. 150. ann. ante Trojæ excidium

Creditur armiferæ signum cœleste Minervæ
  Urbis in Iliacæ desiluisse juga.
Cura videre fuit: vidi templumque locumque;
  Hoc superest illi: Pallada Roma tenet.
Consulitur Smintheus; lucoque obscurus opaco
  Hos non mentito reddidit ore sonos:
Ætheriam servate deam; servabitis urbem:
  Imperium secum transferet illa loci.
Servat, et inclusam summa tenet Ilus in arce;
  Curaque ad hæredem Laomedonta venit.
Sub Priamo servata parum: sic ipsa volebas,
  Ex quo judicio forma revicta tua est.
Seu genus Adrasti, seu furtis aptus Ulixes,
  Seu pius Æneas, eripuisse datur.
Auctor in incerto: res est Romana; tuetur
  Vesta, quod adsiduo lumine cuncta videt.

Dardaniam, urbem ad Idam montem, condidit. Ejus pronepos *Ilus* autem *nova mœnia fecit*, Ilion. *Cura*, etc. Iter olim Ovidium fecisse in Asia, magnificasque ejus urbes perspexisse, ex I Trist. ii. 77. II. ex Ponto, x. 21. apparet. *Templum* illud bis deletum est, bello Mithridatico et a Fimbria. Prius instauravit Lysimachus, posterius alius.

425. *Smintheus*, Σμινθεὺς, Apollo Sminthius, haud dubie a Sminthe sive Smintho, urbe Troadis, sic dictus; Heyn. in Observatt. ad Hom. Il. A. 39. *Ætheream*, ex æthere delapsam. *Servabitis*, etc. Pignus imperii describitur. Disputant, utrum eadem fuerit, cujus in arce Ilii positæ genibus peplum Trojanæ mulieres apponunt, Il. Z. 273. an ab ea diversa; vide Heynii excurs. ix. ad Æneid. ii.

432. De *judicio* Paridis vide ver. 15. De Palladio rapto variæ erant traditiones. Secundum alios, Diomedes et Ulysses abstulerunt ante Trojam captam; Æn. ii. 164 sqq: secundum alios, ab Antenore proditum est Achivis. *Furtu*, res clandestinæ; Met. xiii. 104. de Ulysse: furtis incautum decipit hostem." Nonnulli tradebant, Græcos simulacrum ad veri similitudinem eripuisse, *Æneam* autem rei gnarum adtulisse verum; Dionys. Halicarn. ii. 66. *Datur*, id est, narratur.

435. Locus mihi sanus videtur. Quicunque Palladium rapuerit, certe Romæ est, ibique servatur in æde Vestæ, quæ id tuetur, quia in igne perpetuo templi sui omnia videt; sed Heinsius corrigebat: *præses Romana tuetur; quod adsiduo lumine juncta* (ut Gronovius suaserat) *videt;* quod videt junctum Vestæ Palladium, nempe quod eodem templo est sub Vestæ tutela.

Heu quantum timuere Patres, quo tempore Vesta
Arsit, et est adytis obruta pæne suis!
Flagrabant sancti sceleratis ignibus ignes;
Mixtaque erat flammæ flamma profana piæ.
Adtonitæ flebant, demisso crine, ministræ:
Abstulerat vires corporis ipse timor.
Provolat in medium, et magna, Succurrite, voce,
Non est auxilium flere, Metellus ait:
Pignora virgineis fatalia tollite palmis,
Non ea sunt voto, sed rapienda manu.
Me miserum! dubitatis? ait: dubitare videbat,
Et pavidas posito procubuisse genu.
Haurit aquas; tollensque manus, Ignoscite, dixit,
Sacra: vir intrabo non adeunda viro.
Si scelus est, in me commissi pœna redundet:
Sit capitis damno Roma soluta mei.
Dixit, et irrupit: factum dea rapta probavit;
Pontificisque sui munere tuta fuit.

437. De hoc incendio tempore belli Punici secundi, et de Metelli studio servandi Palladium conf. Dionys. Halic. ii. 66; Livii Epitom. 19; Valerium Maxim. i. 4; Senecam, Controv. iv. 2; Plin. Histor. Natur. vii. 43. s. 45. *Flagrabant*, etc. Lusus ineptus, sed Ovidio consentaneus.

441. *Ministræ* apud Dionysium fugiunt. L. Cæcilius *Metellus*, qui, Carthaginiensibus in Sicilia devictis, 138. elephantos in triumpho duxit, pontifex maximus erat, ideoque præfectus Vestalibus et Vestæ sacris. Is, neglecta sua salute, utilitatis publicæ causa, summo cum periculo est ausus in ardens penetrale irrumpere et sacra deserta a virginibus ex ipso incendio eripere. *Magna vox* est clara; etiam apud Livium, i. 48. Servius rex clamat *magna voce*. De *pignoribus imperii* vide iii. 422. *Fatalia*, unde pendet fatum imperii.

449. *Haurit aquas*, quibus se lustraret ante, quam sacra adiret. *Viris* interdiu patebat templum Vestæ; sed ad ejus intima penetrare ne pontifici quidem maximo licebat; Dionysius Halicarn. dicto loco; hinc Lucanus, i. 503. de Vestali: "Trojanam soli cui fas vidisse Minervam."

453. *Irrumpere* verbum in hac re proprium, ut docet Burmannus; alii *eripuit*, *arripuit*. Passus est Metellus id damni, ut incendio usum oculorum amitteret; sed senatus id compensavit magnis honoribus, quos Dionysii adhuc ætate statua in Capitolio ei posita testabatur; Plinius dicto loco: "Tribuit ei populus Romanus quod nunquam ulli alii ab condito ævo, ut, quoties in senatum iret, curru vehere-

Nunc bene lucetis sacræ sub Cæsare flammæ: 455
Ignis in Iliacis nunc erit, estque, focis:
Nullaque dicetur vittas temerasse sacerdos
Hoc duce; nec viva defodietur humo.
Sic incesta perit; quia, quam violavit, in illam
Conditur; et Tellus Vestaque numen idem est.
Tum sibi Callaico Brutus cognomen in hoste 461
Fecit, et Hispanam sanguine tinxit humum.
Scilicet interdum miscentur tristia lætis,
Ne populum toto pectore festa juvent.
Crassus ad Euphraten aquilas, natumque, suosque
Perdidit, et leto est ultimus ipse datus. 466
Parthe, quid exsultas? dixit dea: signa remittes;
Quique necem Crassi vindicet, ultor erit.
At simul auritis violæ demuntur asellis,
Et Cereris fruges aspera saxa terunt; 470

tur ad Curiam. Magnum et sublime, sed pro oculis datum."

455. Desinit hic locus in votum. *Cæsar* vel Augustus, vel, ut Lenzius vult, Tiberius. Augustus quidem Vestalium commoda inprimis auxit; Suetonius August. 31. *Temerare* plus est, quam polluere; Metam. ii. 592. *patrium temerasse cubile. Vittæ* virgineæ pro ipsa virginitate. De *incestu* Vestalium earumque supplicio vide Plinium, iv. Epist. 11. et quæ ibi notavimus.

461—468. *Eodem die Brutus Callaici cognomen invenit, Crassus autem devictus est a Parthis.* Hæc quo arctius jungerentur superioribus, interposuit versu 467. *deam*, nempe Vestam. *Gallæci*, populus Lusitaniæ inter Minium et Durium amnes; hos vicit anno U. C. 618. *Decimus Brutus;* Florus, II. xvii. 12: "D. Brutus aliquanto latius Celticos Lusitanosque, et omnis Gallæciæ populos, formidatumque militibus flumen Oblivionis: peragratoque victor Oceani litore, non prius signa convertit, quam cadentem in maria solem, obrutumque aquis ignem, non sine quodam sacrilegii metu et horrore deprehendit." Adde Velleium, II. v. 1. Sic apparet, meruisse eum *Gallæci* nomen; sic illud apud Plinium, Florum, Velleium constanter scribitur; sed hoc loco non nisi unus Neapolis cod. *Gallæco*, quod haud dubie verum. Sed quia omnes reliqui libri, scripti et editi, in *Callaico* conspirant, nolui hoc movere. *Scilicet* in principio sententiarum excitat mentem legentis, ut Met. iii. 135.

465. De *Crassi* pernicie et *ultore* vide v. 580 sqq.

466—472. IV. *Idus Delphini ortus vespertinus;* sic et Plinius, xviii. 27. *Violæ*, coronæ, de quibus versu 310. *Auritus* debetur Afranio, quem Virgil. Georg. i. 308. secutus, *auritos lepores*

Navita puppe sedens, Delphina videbimus, inquit;
  Humida quum pulso nox erit orta die.
Jam, Phryx, a nupta quereris, Tithone, relinqui:
  Et vigil Eois Lucifer exit aquis.
Ite, bonæ matres; vestrum Matralia festum;
  Flavaque Thebanæ reddite liba deæ.
Pontibus et magno juncta est celeberrima circo
  Area, quæ posito de bove nomen habet.
Hac ibi luce ferunt Matutæ sacra parenti
  Sceptriferas Servî templa dedisse manus.
Quæ dea sit; quare famulas a limine templi
  Arceat, arcet enim, libaque tosta petat;
Bacche, racemiferos hedera redimite capillos,
  Si domus illa tua est, dirige navis iter:
Arserat obsequio Semele Jovis; accipit Ino
  Te, puer; et summa sedula nutrit ope.

dixit. De *asino*, quem Phædrus, i. 11. *auritulum* vocavit, legitur etiam Art. Amat. ii. 547. *Saxa terunt*, quæ die superiore cessabant; ver. 348.

473—562. III. *Idus Matutæ templum positum est et Matralia in ejus honorem celebrantur.*

De *Tythone Phryge*, ejusque conjuge Aurora, vide i. 461; iii. 403. *Exit aquis*, ut ii. ex Ponto, v. 50: "Qualis ad Eois Lucifer exit aquis;" quamquam ibi plurimi, *ortus aquis*; Met. iv. 92. *aquis nox surgit ab isdem.* Verum Pembroc. Putean. Frcf. et tredecim alii, *exit equis*, quod sine causa damnat Burmannus. Lucifer vel equo solitario vehebatur, vel curru et equis jugalibus; Tibullus, I. ix. 62. ibique Heynius; hinc Met. xv. 189. *quumque albo Lucifer exit Clarus equo.* De *libis* ver. 531. *Thebana* Ino in hanc *deam* mutata est.

477. *Area*, forum boarium, ubi *positus* erat *bos* ex ære Æginetico; Tacit. Annal. xii. 24. forum boarium, "ubi æreum tauri simulacrum adspicimus;" Plinius, xxxiv. 2. s. 5. de ære Æginetico: "Bos æreus inde captus in foro boario est Romæ." Fuit autem id forum in regione octava, ut ex Victore constat. Ibi ædem fuisse *Matutæ matris*, etiam ex Livio, xxxiii. 27. constat; idem, v. 19. ubi Camillus vovet, se Veiis captis, eam esse refecturam, et cap. 23. dedicat, addit eam jam pridem dedicatam esse a *Servio Tullio* rege; confer Plutarchum Camill. 5.

483. Invocat *Bacchum*, qui ex eadem familia, et a Matuta olim educatus. *Domus*, familia, nempe Cadmea.

485—498. Has fabulæ partes Met. iii. 260—315, iv. 416—529. copiosissime narravit. *Obsequio*, ut Metam. iii. 293: "peritura amantis Obsequio Semele." *Educet*, atque edeo eo alumno superbiat; Met. iv. 416.

Intumuit Juno, rapta quod pellice natum
  Educet: at sanguis ille sororis erat.
Hinc agitur furiis Athamas et imagine falsa:
  Tuque cadis patria, parve Learche, manu.
Mœsta Learcheas mater tumulaverat umbras;
  Et dederat miseris omnia justa rogis.
Hæc quoque, funestos ut erat laniata capillos,
  Prosilit; et cunis te, Melicerta, rapit.
Est spatio contracta brevi, freta bina repellit,
  Unaque pulsatur terra duabus aquis.
Huc venit insanis natum complexa lacertis;
  Et secum e celso mittit in alta jugo.
Excipit illæsos Panope, centumque sorores,
  Et placido lapsu per sua regna ferunt.
Nondum Leucothee, nondum puer ille Palæmon
  Vorticibus densi Tibridis ora tenent.

Rapta mihi non placet; veteres plurimi *raptum*, quod Taubnerus præfert, ut intellig. *genetricis ab alvo ereptus*, Met. iii. 311; sed *pellice* potius ad *natum* pertinet, et ita *raptum* foret otiosum. *Sanguis;* ita Metam. v. 515. Ceres Proserpinam *sanguinem* suum et Jovis vocat. Plenior forma est Met. iv. 788: "matris de sanguine natos."

489. *Furiis*, furore Tisiphones, quæ, excitata a Junone, Athamanti et uxori, admoto serpente, graves animas inspiravit. Hinc Athamanti objecta *imago*, ut uxorem et duos filios pro leæna haberet cum gemina prole, *Learchum*, autem, alterum filiolum, raptum de sinu matris saxo illideret. Mox mater quoque furore correpta cum Melicerta, filio altero, e scopulo se præcipitat in mare; Ovidius, dicto loco. *Tumulaverat umbras;* sepulto corpore, anima aut *umbra sepulcro condi* dicebatur; vide ad v. 451.

495. Isthmus Corinthiorum describitur; ibi Moluris scopulus, unde Ino se cum filio præcipitasse credebatur; Pausanias, Attic. p. 108. *Breve*, angustum, non latum. *Contracta spatio*, contracta in spatium.

499. Hanc fabulæ partem Metam. d. l. paucissimis verbis attigit et aliter narravit. Nunc id agit, ut Ino cum filio in Italiam deferatur, ibique in Matutam deam, Melicertes autem in Portunum mutetur. Illa Græcis *Leucothee*, hic *Palæmon*. *Panope*, una ex quinquaginta Nereidibus, quarum omnium nomina Hesiodus, Theog. 240. habet. *Lapsus* bene de ea, quæ more Nereidum per mare natat. *Nondum Leucothee*, etc. Ea, quæ nondum Leucothee dea erat, is, qui nondum Palæmon, jam tenebant *ora*, ostium, Tibridis. *Densis* Heinsius mutavit in *densi*; *densus* idem quod frequens.

Lucus erat: dubium, Semelæ Stimulæne vocetur;
Mænadas Ausonias incoluisse ferunt.
Quærit ab his Ino, quæ gens foret: Arcadas esse
Audit; et Evandrum sceptra tenere loci.
Dissimulata deam, Latias Saturnia Bacchas
Instimulat fictis insidiosa sonis:
O nimium faciles, ô toto pectore captæ,
Non venit hæc nostris hospes amica choris:
Fraude petit; sacrique parat cognoscere ritum.
Quo possit pœnas pendere, pignus habet.
Vix bene desierat; complent ululatibus auras
Thyades effusis per sua colla comis;
Injiciuntque manus, puerumque revellere pugnant.
Quos ignorat adhuc, invocat illa deos:
Dîque, virique loci, miseræ succurrite matri!
Clamor Aventini saxa propinqua ferit.
Adpulerat ripæ vaccas Œtæus Iberas:
Audit; et ad vocem concitus urget iter.

503. *Semelæ* lucus etiam Romæ fuit; vide Neapol. et Heinsium qui lucum *Faunæ Fatuæ* sive *Bonæ deæ* intellig. Semelen enim a Bœotis Fauni filiam esse habitam. *Similæ lucum* habet Livius, xxxix. 12: "Expromeret sibi, quæ in luco Similæ Bacchanalibus in sacro nocturno solerent fieri." Porro *Stimulam* deam etiam Augustin. de Civit. Dei, memorat, ejusque *lucum* scholiast. Juvenalis ad Sat. ii. 3: "Sacra Bacchanalia ex SC damnata sunt, quum probatum esset senatui, honestissimas feminas ad Stimulæ deæ lucum fœde adulterari." Burmannus putat, *Stimules* vel *Stimulæ* lucum a vulgo corrupta pronuntiatione pro *Semeles* appellatum. Vide et Gronov. ad Livii dictum locum.

509. *Faciles* ad credendum, credulæ. In altero *toto pectore captæ* hæserunt interpp. Schirachius: "hæc dictio si quam habet vim, eam, habet: vos totæ deditæ aliis, ut ironice hic sit adhibita." Immo, ut ver. 204. *lumine captus* est usu oculorum privatus, ita *pectore captæ* sunt, privatæ usu pectoris sive sensu, stolidæ. *Petit*, invadit vos, decipere vos vult; verbum sumtum a gladiatoribus, qui *petere* dicuntur quum ictum inferunt. *Pignus* amoris, filium.

515. *Revellere*; alii *avellere*: sic Cic. pro Font. 17: "De matris complexu avellere."

519. De Herculis cum *vaccis Iberis* adventu, *tempore* Evandri, vide i. 543 sqq. *Œtæus* hic vocatur per prolepsin, qui serius se combussit in Œta monte; Met. ix. 230. Unus *Tirynthius heros*. *Concitus*, ὁρμηθείς, qui ruit celerrime; iv. 461.

Herculis adventu, quæ vim modo ferre parabant,
  Turpia femineæ terga dedere fugæ.
Quid petis hinc, cognorat enim, matertera Bacchi?
  An numen, quod me, te quoque vexat, ait?
Illa docet partim; partim præsentia nati
  Continet: et furiis in scelus isse pudet.
Rumor, ut est velox, agitatis pervolat alis;
  Estque frequens, Ino, nomen in ore tuum.
Hospita Carmentis fidos intrasse penates
  Diceris, et longam deposuisse famem.
Liba sua properata manu Tegeæa sacerdos
  Traditur in subito cocta dedisse foco.
Nunc quoque liba juvant festis Matralibus illam:
  Rustica sedulitas gratior arte fuit.
Nunc, ait, ô vates, venientia fata resigna,
  Qua licet: hospitiis hoc, precor, adde meis.
Parva mora est: cœlum vates ac numina sumit,
  Fitque sui toto pectore plena dei.
Vix illam subito posses cognoscere; tanto
  Sanctior, et tanto, quam modo, major erat.

526. *Continet*, coercet, reprimit, impedit; Cicero, Haruspic. Resp. 1. *Exsultantem continui.* Mox Heinsius non bene volebat *provolat*, ut ver. 443; at ibi *provolare in medium*, nunc *pervolat* scilicet omnia loca; Claud. xxii. 408: "Jam Fama loquacibus ales Pervolat oceanum linguis:" ibi quoque Fama *alata*. Minus graviter Noster Met. vi. 147. *per oppida facti Rumor it.*

529. Læti cod. *Carmentæ;* et *Carmenta* et *Carmentis* dicta Evandri mater; vide Victor. de Orig. R. 5. De *Tegeæa* vid. i. 645. *Liba:* testuatia intelliguntur; Varro: "Testuatium, quod in testu caldo coquebatur; ut etiam nunc Matralibus id faciunt matronæ." Ea quomodo ex caseo, farina siliginea et ovo facta sint, atque in foco caldo sub testu leviter cocta, docet Cato de Agric. 75. *Subitus* focus est subito calefactus.

535. *Resignare* bene de vata, qui prodit latentia. Si *meis* propter consensum tot codd. tuemur, interpretabimur, quibus ego a te excipior. Ut *sumere* animum, vires dicimur, quibus vel commovemur, vel implemur; sic vates nunc *sumit numina* et *cœlum*, sive vim cælestem. *Sanctior*, augustior; ita apud Plinium, pan. viii. 3. Nerva "repente fit solito major et augustior," quasi forma divina indutus.

Læta canam: gaude, defuncta laboribus, Ino,
Dixit; et huic populo dextera semper ades.
Numen eris pelagi: natum quoque pontus habebit;
In vestris aliud sumite nomen aquis.
Leucothee Graiis, Matuta vocabere nostris:
In portus nato jus erit omne tuo.
Quem nos Portunum, sua lingua Palæmona dicet:
Ite, precor, nostris æquus uterque locis.
Adnuerant: promissa fides: posuere labores;
Nomina mutarunt; hic deus, illa dea est.
Cur vetet ancillas accedere, quæritis? odit;
Principiumque odii, si sinat ipsa, canam:
Una ministrarum solita est, Cadmei, tuarum
Sæpe sub amplexus conjugis ire tui.
Improbus hanc Athamas furtim dilexit: ab illa
Comperit agricolis semina tosta dari.

542. *Dextera* pro *prospera* Heinsius ex quatuor MSS. recepit, quia etiam i. 67. ad Janum: *Dexter ades ducibus;* Metam. dicto loco Neptunus, Veneris precibus commotus, natantibus his in mari "nomenque simul faciemque novavit: Leucotheeque deum cum matre Palæmona dixit." Hos cuncta Græcia venerabatur; Cicero, Nat. Deor. iii. 15. Fons fabulæ ex Homeri Od. E. 335. sqq. Eamdem esse *Matutam* Romanorum, etiam Cicero, Tusc. i. 12. narrat: "Quid? Ino, Cadmi filia, nonne Leucothea nominata a Græcis, Matuta habetur a nostris?" De *Matuta* Nonius Marcel. "Manum dicitur clarum, unde etiam mane post tenebras noctis diei pars prima. Inde Matuta, quæ Græce Leucothea." Neapolis dubitabat, utrum *Portunus*, an cum suis MSS. *Portumnus* scribendum sit; sine causa: Cicero, Nat. Deor. ii. 26: "Ut Portunus a portu, sic Neptunus a nando."

549. *Promissa fides;* ut *vota fides sequitur* passim, etiam in his Fastis, legitur, quum fit, quod quis optaverat; sic *fides promittitur*, quum quis promittit se aliquid facturum esse; iii. 366: *Pollicitam dictis adde fidem;* Pseudo-Lact. de Pasch. 65: "pollicitam redde fidem;" Metam. vii. 323: "promissa postquam Exhibuere fidem."

551. Confer Plutarchum, Quæstion. Roman. tom. vii. p. 83: Δούλαις τὸ τῆς Λευκοθέας ἱερὸν ἄβατον, qui addit, unam ancillam introduci a matronis, colaphisque verberari. *Sub amplexus ire* etiam Metam. vii. 616. De *seminibus* illis *tostis* vide ii. 628: iii. 853. Illam *unam* fuisse Ætolam gente, Antipheram nomine, et inde apud Chæronenses ædituum ante ædem Leucothees cum flagello stantem dicere: Ne quis servus intret, ne qua serva, ne quis Ætolus, ne ulla Ætola, Plutarch. dicto loco narrat.

Ipsa quidem fecisse negat, sed fama recepit:
Hoc est, cur odio sit tibi serva manus.
Non tamen hanc pro stirpe sua pia mater adoret,
Ipsa parum felix visa fuisse parens.
Alterius prolem melius mandabitis illi,
Utilior Baccho quam fuit ipsa suis.
Hanc tibi, Quo properas, memorant dixisse, Rutili?
Luce mea Marso consul ab hoste cades.
Exitus accessit verbis; flumenque Tolenum
Purpureo mixtis sanguine fluxit aquis.
Proximus annus erat: Pallantide cæsus eadem
Didius hostiles ingeminavit opes.

559. Matutam non invocasse matres pro suis, sed pro sororum liberis, propter causam hic adlatam, narrat et Plutarch. dicto loco p. 84.

563—568. Eodem, quo Matralia die, anno U. C. 663. in bello Marsico *Rutilius*, et anno proximo *Didius* occisus. *Marsicum* bellum est sociale, quod ortum a Marsis tradiderunt Strabo et Diodor. Siculus, quamquam Velleius, ii. 16. potius ab Asculanis ortum, deinde a *Marsis* exceptum narrat. Itaque et Ovidius *Marsum* (id est, Marsicum, ut Horatius, I. Od. i. 28. *Marsus aper*) potissimum hostem memorat. Eo bello *P. Rutilium Lupum* cos. periisse certum est; Velleius, dicto loco: "Tam varia atque atrox fortuna Italici belli fuit, ut per biennium continuum duo Romani consules Rutilius, ac deinde Cato Porcius ab hostibus occiderentur." Florus, III. xviii. 12. *fusas* tantum *Rutilii copias* memorat. Nexus causa non male Ovidius Matutam deam inducit Rutilio fata prædicentem. De *Toleno* amne vide Cluver. Ital. Ant. ii. 10.

567. *Titus Didius* unus ex prætoribus in bello Marsico, ut ex Appiano constat; sed eumdem in eodem bello periisse, nullus veterum tradidit. Immo Velleius d. l. eum potius cum Minatio Magio Herculaneum cepisse narrat, et paulo post, ut modo vidimus, *Rutilium* et *Catonem Porcium* nominat, qui per biennium continuum ab hostibus cæsi sint. Florus d. l. *Julium Cæsarem* nominat: "Nam ipse Julius Cæsar, exercitu amisso, quum in urbem cruentus referretur, miserabili funere mediam etiam urbem perviam fecit." Neapolis igitur pro *Proximus annus erat* legi volebat, *Annus erat decimus*, quo Didium stragem accepisse putabat a Sertorio juxta Bætin in Hispania. Sed apud Plutarchum in Sertor. 12. cujus auctoritate Neapolis hoc credebat, duo quidem libri Δείδιον habent; verum hoc nomen ibi corruptum esse constat. Quum excerpta Douz. et quatuor codd. pro *cæsus* exhibeant *victus*, Taubnerus legi vult *victor*, ut sensus sit: Didium effecisse victoria sua, ut hostes copias suas augerent; suadet etiam *Didius* mutare in *Lucius*, nempe Cato. Equidem arbitror Ovidium lapsum esse in nomine. *Pallantide eadem*, ut iv. 373. *Postera Pallantias*.

Lux eadem, Fortuna, tua est, auctorque, locusque;
Sed superinjectis quis latet æde togis?
Servius est: hoc constat enim; sed causa latendi
Discrepat; et dubium me quoque mentis habet.
Dum dea furtivos timide profitetur amores,
Cœlestemque homini concubuisse pudet;
Arsit enim magna correpta cupidine regis,
Cæcaque in hoc uno non fuit illa viro:
Nocte domum parva solita est intrare fenestra;
Unde Fenestellæ nomina porta tenet.
Nunc pudet, et vultus velamine celat amatos;
Oraque sunt multa regia tecta toga.
An magis est verum, post Tullî funera plebem
Confusam placidi morte fuisse ducis?

569—636. *Eodem die Servius rex Fortunæ templum dedicavit*, in quo regis statua togis tecta cernebatur. Eorum tegumentorum causas adfert tres, atque ita immiscet partem rerum ad Servium pertinentium. *Lux eadem, auctorque, locusque*, idem Servius, qui Matutæ templum dedit (ver. 480.) tibi quoque eodem loco, in foro boario, eodemque die, ædem dedicavit. Servium Fortunæ diversis sub nominib. templa dedisse, jam ad iv. 145. e Plutarcho, Quæst. Roman. p. 135. ed. Reisk. docuimus. Huc inprimis pertinet Dionys. Halicarn. iv. 27. ubi tradit, Servium Tullium Fortunæ, qua omnem per vitam secunda usus fuerit, templa duo ædificasse, alterum scilic. in boario foro, alterum ad ripam Tiberis, eamdemque deam Virilem eum appellasse. Idem, cp. 40. addit, in altero fuisse statuam ejus ligneam et inauratam; statua illa duabus togis superinjectis tecta erat. Varro de Vita populi Romani apud Nonium Marc. narraverat, hoc signum in *Virginis* (forte *Virilis*) *Fortunæ æde duabus undulatis togis esse opertum*. Plinius, Hist. Natur. viii. 74: "factam ab ea (*Tanaquile*) togam regiam undulatam in æde Fortunæ, qua Servius Tullius fuerat usus."

572. *Discrepat*, non uno modo adfertur. *Dubius mentis*, ut Livius, i. 7. *incertus animi*. Quia Servius Fortuna semper usus erat secunda, inde fluxit fabella hæc, quam etiam Plutarchus de Fort. Roman. tom. vii. p. 279. Reisk. refert: "Ὡστε καὶ συνεῖναι δοκεῖν αὐτῷ τὴν τύχην διά τινος θυρίδος καταβαίνουσαν εἰς τὸ δωμάτιον, ὃ νῦν Φενεστέλλαν πύλην καλοῦσιν. Conf. idem, Quæst. Rom. pag. 106.

581. Altera causa: etiam Dionysius, iv. 40. narrat, ingentem tumultum et ululatum ob Servii mortem ortum esse per totam urbem. *Placidus dux*; Dionysius, ἐπιεικὴς καὶ μέτριος ἀνήρ. Et *plebis* inprimis voluntatem sibi conciliaverat; Livius, i. 46.

Nec modus ullus erat: crescebat imagine luctus,
Donec eam positis occuluere togis.
Tertia causa mihi spatio majore canenda est:
Nos tamen adductos intus agemus equos.
Tullia, conjugio, sceleris mercede, peracto,
His solita est dictis exstimulare virum:
Quid juvat esse pares, te nostræ cæde sororis,
Meque tui fratris, si pia vita placet?
Vivere debuerant, et vir meus, et tua conjux,
Si nullum ausuri majus eramus opus.
Et caput, et regnum facio dotale parentis:
Si ver es; i, dictas exige dotis opes.
Regia res scelus est: socero cape regna necato;
Et nostras patrio sanguine tingue manus.
Talibus instinctus solio privatus in alto
Sederat: adtonitum vulgus ad arma ruit.

585. Tertia causa, quæ habet partem memorabilem historiæ Romanæ. *Nos tamen*, etc. de hac formula vide ad iv. 16. *Tullia* minor ferox nupserat Arunti Tarquinio, mitis ingenii juveni; Tullia major vero, modesta et patris amans, Lucio Tarquinio, cui animus ardentior. Sed illa sic quoque Lucium celeriter suæ temeritatis implevit; "L. Tarquinius et Tullia minor prope continuatis funeribus, quum domos vacuas novo matrimonio fecissent, junguntur nuptiis;" Livius, i. 46. *Exstimulare* gravius est, quam aliorum *sollicitare:* apud Livium: "nec nocte, nec interdiu virum conquiescere patitur, ne gratuita præterita parricidia essent." Conf. Dionysium, iv. 28.

589—596. Si placuerit hæc cum Livio, i. 47. comparare, hunc videbis multo superiorem. Ibi quot verba, tot pondera, quibus multo acrius instigatur juvenis animus. *Pietas* nunc est eorum, qui nihil audent in patrem; sed *pietatis* imaginem nunc non bene Tulliæ tribuit poeta: melius Livius, "Eo nunc pejus mutata est res, quod istic cum ignavia est scelus."

593. Apud Livium jus regni a Tarquinii patre repetit, hoc loco a se suoque conjugio; sic et Dionys. 29: illud melius. *Dicere dotem* aut *doti* esse formulam solemnem, quum *dicere* etiam polliceri, addicere, adsignare, constituere significet, docuit Heinsius. Cum verbis, *Regia res scelus est*, Neapolis comparat ex Seneca, Thyest. ver. 217: "Sanctitas, pietas, fides, Privata bona sunt: qua juvat, reges eant."

597. Apud Livium, i. 48. Servius Tarquinio: "Qua tu audacia, me vivo, ausus es in sede considere mea?" Neapol. non definiebat, utrum *instinctus*, an aliorum *instructus* verius esset: immo *instructus* hoc loc. nimis languidum; Livius: "muliebribus in-

Hinc cruor; hinc cædes; infirmaque vincitur ætas:
  Sceptra gener socero rapta superbus habet.
Ipse sub Esquiliis, ubi erat sua regia, cæsus
  Concidit in dura sanguinolentus humo.
Filia, carpento patrios initura penates,
  Ibat per medias alta feroxque vias.
Corpus ut adspexit, lacrymis auriga profusis
  Restitit; hunc tali corripit illa sono:
Vadis? an exspectas pretium pietatis amarum?
  Duc, inquam, invitas ipsa per ora rotas.
Certa fides facti: dictus Sceleratus ab illa
  Vicus, et æterna res ea pressa nota.
Post tamen hoc ausa est templum, monumenta pa-[rentis,
  Tangere: mira quidem, sed tamen acta loquar.
Signum erat in solio residens sub imagine Tullî:
  Dicitur hoc oculis opposuisse manum.
Et vox audita est; Vultus abscondite nostros,
  Ne natæ videant ora nefanda meæ.

stinctus furiis." *Adtonitum;* Livius: "Concursus populi fiebat in curiam, apparebatque regnaturum, qui vicisset." *Gener socero:* cum vi hæc sic junguntur etiam a Livio, i. 49: "Socerum gener sepultura prohibuit."

601. Secundum Livium, i. 48. Tullia a curia in collem Esquiliarium se recipiens, pervenit ad summum Cyprium vicum: ibi quum auriga carpentum dextra in Urbium clivum flecteret, regem trucidatum in via jacentem vidit. In *Esquiliis* Servium habitasse, etiam ex Solini Polyh. ii. constat. Tò *alta* non retulerim ad carpentum, quo vehebatur, sed ad superbiam animi; Metam. vi. 169. Niobe pedibus incedens, *ut oculos circumtulit alta superbos.*

605. Auriga hic *laerymas profundit;* a Liv. melius *pavidus* inducitur. *Amarum,* grave: apud Dionys. Tullia aurigæ correptum pedum scabellum infligit. Læti cod. habet *amaræ,* quæ mihi amara, molesta est: quidam *iniquum. Fides* potest argumentum intelligi, quo confirmatur aliquid; Livius, *monumentoque locus est; Sceleratum vicum vocant.* Dionys. auctore, ille vicus, quum antea *Orbius* (sive *Urbius*) appellaretur, Scelerati nomen accepit. *Æterna nota.* Putem *notam* hic esse ignominiam, aut nomen ignominiosum; Livius, iv. 29: "Imperioso Manlio cognomen inditum; Postumius nulla tristi nota est insignitus;" idem xxxi. 44. *notam ignominiamque* conjungit. *Ignominia* autem, ut *culpa,* recte dicitur hominem aut rem *premere.* De cognomine *nota* legitur etiam i. 596.

Veste data tegitur: vetat hanc Fortuna moveri;
Et sic e templo est ipsa locuta suo:
Ore revelato qua primum luce patebit
Servius, hæc positi prima pudoris erit.
Parcite, matronæ, vetitas adtingere vestes;
Solemni satis est voce movere preces:
Sitque caput semper Romano tectus amictu,
Qui rex in nostra septimus urbe fuit.
Arserat hoc templum: signo tamen ille pepercit
Ignis; opem nato Mulciber ipse tulit.
Namque pater Tullî Vulcanus, Ocresia mater,
Præsignis facie, Corniculana fuit.
Hanc secum Tanaquil, sacris de more paratis,
Jussit in ornatum fundere vina focum.

620. *Positum pudorem* alii a Servio intelligunt, quem Ovidius sic neget unquam positurum esse pudorem, alii profligatum ex urbe pudorem. Immo *pudor* intelligend. quo tenebantur Romani propter Servium impie et nefarie interfectum, qui retinebat eos, ne os ejus revelarent; si revelassent, patuisset pudorem illum ab iis esse positum. In *movere preces* hæsit Neapolis quia non credibile sit ad Servium, tanquam deum, preces esse factas. Burmannus monet posse illas preces referri ad Fortunam. *Septimus;* ut Tatius adnumeretur regibus Romanis, quod fecit et Solinus, Plurimi ii. cod. quibus Neapolis usus, tum unus Moreti et Farnes. *sextus.* Quum Noster Tatii regis passim mentionem fecerit, ut supra ver. 49; i. 262; ii. 135; Amor. I. viii. 38. nòn mirum videri debet, eumdem et nunc esse numeratum.

625. De incendio illius templi confer Dionysium, iv. 40. qui, quum doceret, Servium diis fuisse carum, narrat, in Fortunæ templo, quod ipse posuerit, ligneam ejus statuam, orto incendio, cæteris omnibus absumtis, solam mansisse integram; itaque et suo tempore illam retinere formam operis antiqui; adde Valerium Maxim. iii. 4. Fabulam de Servii origine, in annalibus latinis lectam esse, testatur Dionysius, iv. 2: eam repetiit etiam Arnobius adversus Gentes, v. p. 169. *Ocresia* ab aliis *Ocrisia* scribitur, ut et apud Græcos Ὀκρήσια et Ὀκρίσια Itaque hoc loco et apud alios variant libri: Heinsius nunc *Ocresia* prætulit, qui sic in tabula quadam ænea, et in vetere saxo apud Gruterum. *Præsignis facie;* etiam a Dionysio καλλίστη τε καὶ σωφρονεστάτη τῶν ἐν Κορνικόλῳ γυναικῶν vocatur. *Corniculum,* urbs Latii, cujus princeps Tullius, vir regii sanguinis qui, quum urbs a Romanis caperetur, pugnans cecidit. *Tanaquil,* ut vulgo Etrusci, cœlestium prodigiorum peritissima mulier; Livius, i. 34. *Ornatum,* apparatum. Erat autem *focus* juxta regiam, in quo Romani quum alia sacra faciebant, tum cœnarum primitias sacrabant; Dionys.

Hic inter cineres obscæni forma virilis
Aut fuit, aut visa est; sed fuit illa magis.
Jussa loco captiva fovet: conceptus ab illa
Servius, a cœlo semina gentis habet.
Signa dedit genitor tum, quum caput igne corusco
Contigit, inque coma flammeus arsit apex.
Te quoque magnifica, Concordia, dedicat æde
Livia, quam caro præstitit illa viro.
Disce tamen, veniens, ætas, ubi Livia nunc est
Porticus, immensæ tecta fuisse domus.
Urbis opus domus una fuit; spatiumque tenebat
Quo brevius muris oppida multa tenent.
Hæc æquata solo est, nullo sub crimine regni,
Sed quia luxuria visa nocere sua.
Sustinuit tantas operum subvertere moles,
Totque suas hæres perdere Cæsar opes.

633. *Loco fovet*; Dionysius, εἰς Ὁμιλίαν αὐτῷ συνελθεῖν. Idem narrat, *obscœnum* illud ab aliis *Vulcani*, ab aliis Laris cujusdam familiaris esse habitum. *Ignis* ille *coruscus* fuit haud dubie lumen electricum; eo *caput* pueri *arsisse* refert Livius, i. 39; Dionysius: φλὸξ καταλάμπουσα ὅλην τὴν κεφαλήν. *Apex*, ut Met. x. 279. flamma *apicem per aera duxit*, ubi vide notam nostram.

637—648. *Eodem* iv. *Idus templum Concordiæ a Livia dedicatum*; confer i. 639. *Dedicantur* non modo templa, sed dii quoque, qui inter deos recipiuntur, positis in eorum honorem templis, aut, quibus jam receptis nova tantum appellatione nova ædes instituitur; vid. Mitscherlichium ad Horatium, I. Od. xxxi. 1. Prima ædes Concordiæ jam anno U. C. 449. dedicata: Livius, ix. 46. *Liviæ porticum* Augustus ædificavit, eo loco, ubi immensa Vodii Pollionis, hominis luxuriosi (Seneca de ira iii. 40.) domus steterat, quam sibi legatam propter nimiam magnitudinem solo æquaverat; Dio lib. 54. *Urbis opus*, opus tantum, quanta urbs.

643. *Nullo sub*, etc.] Sensum horum verborum recte explicuit Burmannus. Non, quia arcis speciem præbebat, et ita regni adfectati reum posset possessorem facere, sed quia luxuriæ exemplum aliis præbere posset. *Sub* causam indicat; vide Schulting. ad Senecam, Suas. vii. Fortasse poeta respexit ea, quæ Valerio quondam acciderunt: Livius, ii. 7. *Sic agitur*. Munus censoris intelligend. Suetonius, August. 27: "Recepit et morum legumque regimen." De vi hujus *exempli* recte judicat Plinius, paneg. 45: "Vita principis censura est, eaque perpetua; ad hanc dirigimur, ad hanc convertimur: nec tam imperio nobis opus, quam exemplo." *Vindex*; sic etiam Metam. i. 89: *quæ, vindice nullo, fidem rectumque colebat*.

Sic agitur censura, et sic exempla parantur,
  Quum vindex, alios quod monet, ipse facit.
Nulla nota est, veniente die quam dicere possis:
  Idibus invicto sunt data templa Jovi.
Et jam Quinquatrus jubeor narrare minores
  Nunc ades ô! cœptis, flava Minerva, meis.
Cur vagus incedit tota tibicen in urbe?
  Quid sibi personæ, quid stola longa, volunt?
Sic ego; sic posita Tritonia cuspide dixit;
  Pace velim doctæ verba referre deæ:
Temporibus veterum tibicinis usus avorum
  Magnus, et in magno semper honore fuit.

649. *Die sequenti,* in Kalendario *nulla nota,* nihil notatum est, quod *dicere,* carmine enarrare, possis.

650. *Idibus Junii*s et *Jovi ædes dedicata,* et *Quinquatrus minores celebrantur.* Quoniam *Jovis invicti* templum nullum a veteribus commemoratur, propterea Neapol. monet, *invicto* nunc esse epitheton, non cognomen.

651. De *Quinquatribus* majoribus vide iii. 809; de his minoribus Varro, de Ling. Lat. lib. v: "Quinquatrus minusculæ dictæ Juniæ Idus ab similitudine majorum, quod tibicines tum feriati per urbem vagantur, et conveniunt ad ædem Minervæ." Festus: "Minusculæ Quinquatrus appellabantur Idus Juniæ, quod is dies festus erat tibicinum, qui Minervam colebant."

653—692. Hæc de tibicinum discessu et reditu similiter refert Plutarchus, Quæst. Roman. p. 122. Paulo aliter Livius ix. 30. in rebus anno U. C. 443. gestis, et Valerius Maximus, ii. 5. *Vagus incedit;* et Varro et Livius habent, *per urbem vagantur.*

Stola longa.] Plutarchus ἐσθῆτας γυναικείας habet, et paulo post ἐν ἐσθῆσιν ἀνθιναῖς καὶ γυναικείαις. Melius igitur hoc loco vestis memoratur mulieribus propria, et in theatro etiam tibicinibus; Met. xi. 165 sqq; Horat. Art. Poet. 215. *De cuspide posita* iii. 7.

658. *Honor* ille fuit ex instituto Numæ religionis causa; Plutarchus dicto loco: Anno U. C. 443. "tibicines, qui prohibiti a proximis censoribus erant in æde Jovis vesci, quod traditum antiquitus erat, ægre passi, Tibur una agmine abierunt." Livius dicto loco. Secundum Plutarchum dicto loco, honore suo privati sunt a tribunis militum cons. potestate, penes quos imperium erat inde ab anno U. C. 310. Scriptor de Viris Illustr. 34. unum Appium Claudium "epulandi decantandique jus tibicinibus ademisse" refert. De altera causa, quam Noster adfert, silent cæteri scriptores. Erat lex antiqua de funeribus: "Tria si volet ricinia, et vincula purpuræ, et decem tibicines, adhibeto." Ea translata est in xii. Tabulas cum hoc additamento: "Hoc plus ne facito;" Verrius Flac. in voc. *reicinium,* et Cicero, Legg. ii. 23. Eam legem, quum male observaretur, *ædilis* quidam revocasse et severe exercuisse videtur: hunc ædilem fuisse Appium Claudium anno U. C. 440. censet Pighius. *Pom-*

Cantabat fanis, cantabat tibia ludis:
  Cantabat mœstis tibia funeribus.
Dulcis erat mercede labor; tempusque secutum,
  Quod subito Graiæ frangeret artis opus.
Adde quod ædilis, pompam qui funeris irent,
  Artifices solos jusserat esse decem.
Exsilio mutant urbem, Tiburque recedunt:
  Exsilium quodam tempore Tibur erat:
Quæritur in scena cava tibia; quæritur aris;
  Ducit supremos nænia nulla toros.
Servierat quidam, quantolibet ordine dignus,
  Tibure; sed longo tempore liber erat.

pam pro *pompa* dedit Heinsius ex Ursini et Strozzæ codd. ut simile sit illi *exsequias ire*. Ipse et suadet *pompæ*, ut ipsi tibicines intelligantur.

665. E discessu eorum Ovidius *exsilium* fecit; et quum *Tibur* Latii oppidum esset idemque amœnum cum miti solo, ubi Horatius (II. Od. vi. 6.) sedem senectæ suæ esse volebat, propterea mirabundus, forsan et suum inter Getas exsilium respiciens, exclamat *Exsilium*, etc. De loco autem, quo recesserunt, consentiunt Livius et Plutarchus. *In scena:* Demster. ad Rosin. Antiq. iii. 31. contendit legendum *in cœna*, quod et Marsus in Annotatt. habet; immo repetit Ovidius triplicem illum tibiæ usum, quem jam ver. 659 sqq. commemoravit. De hujus usu in scena Livius, vii. 2: "Ludiones ex Etruria acciti ad tibicinis modos saltantes." Quamquam et in epulis jam priscis temporibus adhibebatur; Cicero, Tusc. i. 2. *Quæritur*, desideratur, abesse cum dolore sentitur: vide ad Plinium, VI. Ep. ii. 1. *Nænia*, auctore Festo, "carmen, quod in funere laudandi gratia cantatur ad tibiam." *Tori;* lecti, in quibus mortui efferebantur: et in uno funere sæpe plures lecti adhibebantur, quamquam id in xii. Tabb. prohibitum: "neive plureis lectos endo ferto." In funere Marcelli Augustus sexcentos præferri jussit. Multi veterum *choros:* quod respuit Burman. quia præficæ non choros egerint; præfert Taubn. quia *toros* ducere nihil significet, neque *chorus* semper saltantium cœtum notet. At *ducere* etiam dicuntur, qui præcedunt aut præferuntur: Horat. Epod. viii. 11: "funus atque imagines Ducant triumphales tuum;" ubi vide Mitscherlich. Quod si quis *choros* retineri velit, possit id defendere Dionysii (vii. 72. p. 1492.) auctoritate: is enim tradit, in illustrium virorum funeribus vidisse se *Satyricos choros* qui torum præcederent, atque sicinnem saltationem saltarent: προηγουμένους τῆς κλίνης τοὺς σατυρικοὺς χορούς κινουμένους τὴν σικίννιν ὄρχησιν· moxque addit, post istos choros multos citharistas et multos tibicines ivisse. *Toros* tamen verius puto, et tueor. Unus Vatic. *Ducit funereos;* non bene: *supremum* aut *extremum*, quidquid ad mortuos pertinet; Brouckhusius ad Propertium, I. xvii. 23.

669. Hic nonnulla supplenda sunt ex Livio: "Ut nemo in urbe esset,

Rure dapes parat ille suo; turbamque canoram
Convocat: ad festas convenit illa dapes.
Nox erat; et vinis oculique animique natabant,
Quum præcomposito nuntius ore venit:
Atque ita, Quid cessas convivia solvere? dixit;
Auctor vindictæ jam venit, ecce, tuæ.
Nec mora: convivæ valido titubantia vino [des.
Membra movent; dubii stantque labantque pe-
At dominus, Discedite, ait; plaustroque morantes
Sustulit: in plaustro sirpea lata fuit.
Alliciunt somnos tempus, motusque, merumque;
Potaque se Tibur turba redire putat.
Jamque per Esquilias Romanam intraverat urbem;
Et mane in medio plaustra fuere foro.
Plautius, ut possent specie numeroque senatum
Fallere, personis imperat ora tegi;

qui sacrificiis præcineret. Ejus rei religio tenuit senatum; legatosque Tibur miserunt, ut darent operam, ut hi homines Romanis restituerentur." Tum Tiburtini, aliis frustra tentatis, homines vino oneratos sopiunt, atque ita in plaustra conjectos Romam deportant. Sed etiam Plutarchus dicto loco id ad hominem quemdam libertinum refert: *Ἀνὴρ ἀπελεύθερος κρύφα τοῖς ἄρχουσιν ἐπηγγείλατο κατάξειν αὐτούς.* *Dapes*, epulas post sacrificium; Plutarchus: *δοίνην ἄφθονον, ὡς τεθυκὼς θεοῖς.*

676. *Auctor vindictæ tuæ*, patronus, qui te per vindictam manumisit; Plutarchus: *ὡς τοῦ πάτρωνος ἐπιόντος αὐτῷ.* *Vindicta* et alibi pro libertate.

680. *Sirpea;* sic emendavit Neapolis; *sirpeam* enim esse, quod colligatum sit, *τὸ πλέγμα*, et intelligi tegiticulam e vimine textam, qua plaustrum circumdatum: atque repertum est hoc vocab. in MSS. quibusdam; sed Heinsius nescit, an substantive occurrat. De *scirpea* Varro de Ling. Lat. iv: "quæ virgis sipatur, id est colligendo implicatur, in qua stercus aliudve quid evehitur." Scirpeam igitur Heinsius ait, nunc plaustro insternendam fuisse, ne vectores essent conspicui, et ut commodius sterterent. Plutarch. notat *ἁμάξας ἑέῤῥεσι κύκλῳ περικαλυπτομένας*, plaustra pellibus circumquaque obtecta. Sic deportati sunt, "nec prius sensere, quam, plaustris in foro relictis, plenos crapulæ eos lux oppressit; Livius.

685. *Plautius* est e conjectura Pighii, probata etiam Heinsio, ut Plautius intellig. collega Appii Claudii, qui operam dederit, ut tibicines restituerentur: olim edebatur *Claudius*. Sequentia docent, Ovidium secutum esse auctorem, secundum quem tibicines caute fuerint reducendi, inscio etiam senatu: aliter sane Livius.

Admiscetque alios; et, ut hunc tibicina cœtum
Augeat, in longis vestibus ire jubet.
Sic reduces bene posse tegi; ne forte notentur
Contra collegæ jussa redîsse sui.
Res placuit; cultuque novo licet Idibus uti;
Et canere ad veteres verba jocosa modos.
Hæc ubi perdocuit: Superest mihi, discere, dixi,
Cur sit Quinquatrus illa vocata dies.
Martius, inquit, agit tali mea nomine festa;
Estque sub inventis hæc quoque turba meis.
Prima terebrato per rara foramina buxo,
Ut daret, effeci, tibia longa sonos.
Vox placuit: liquidis faciem referentibus undis,
Vidi virgineas intumuisse genas.

Puteanus *deorum* exhibet, ut personati deorum figuram gesserint. *Tibicina* pro plurali. *Longis* sive muliebribus *vestibus* plerique jam ante, quam deportarentur, erant amicti propter comessationem; Plutarch. Licet Livius: "impetratoque, ut manerent, datum, ut triduum quotannis ornati, cum cantu atque hac, quæ nunc solemnis est, licentia per urbem vagarentur." Secundum Plutarchum, id decretum est a senatu, *ἐνομίσθη, τὴν ἡμέραν ἐκείνην οὕτως ἀμπεχομένους σοβεῖν διὰ τῆς πόλεως.*

695. *Martius;* vide iii. 809. ubi causa nominis redditur. *Tibiam*, nempe rectam, Minerva reperisse credebatur, et quidem ex hinnulorum ossibus; Bion. Idyl. iii. 7; Callimachus in Dianam, 244. ibique Spanhemius. Sed ob deformitatem vultus ex flatu intumescentis a dea abjecta est: abjectam excepit Marsyas; Met. vi. 385; Hyginus, fab. 165. Fons fabulæ Herodot. vii. 26. In sensum ejus subtiliter et copiose inquisivit vir doctus in Museo Attico, vol. i. *Turbam* Marsus intelligit tibicinum, qui *sub inventis* Minervæ esse dicantur, quia exercent artem ab ea inventam; durum: equidem mallem, aut pro *turba*, aut pro *inventis* codd. aliud vocabul. nobis suppeditare. *Longa*, quia multa habebat foramina; Metam. iv. 30. *longo foramine* (longa foraminum serie) *buxus:* xii. 158. *longa multifori tibia buxi.* Prisca contra Romanorum tibia paucis foraminibus erat brevis; Horat. Art. Poet. 203: *tibia pauco foramine.* Vox *rarus* sæpe occurrit, ubi densitatis notio exprimenda erat; vide ad Met. vii. 622.

699. *Vox*, sonus dulcis querulæ tibiæ. *Undis* pro speculis utebantur veteres; Metam. iv. 312; Virgilius, Ecl. iii. 25. Hinc *lympharum speculum* apud Phædrum, I. iv. 3. *Non tanti est*, non est, cur tibia canam, quum mihi causa deformitatis sit. *Dixi* cum Taubnero revocavi, quum *dixit* ederetur: sunt hæc quoque verba Minervæ.

Ars mihi non tanti est: valeas, mea tibia, dixi.
Excipit abjectam cespite ripa suo.
Inventam Satyrus primum miratur; at usum
Nescit, et inflatam sentit habere sonum.
Et modo dimittit digitis, modo concipit auras;
Jamque inter Nymphas arte superbus erat.
Provocat et Phœbum: Phœbo superante pepen-
Cæsa recesserunt a cute membra sua. [dit;
Sum tamen inventrix auctorque ego carminis hujus:
Hoc est, cur nostros ars colat ista dies.
Tertia lux veniat, qua tu, Dodoni Thyene,
Stabis Agenorei fronte videnda bovis.
Hæc est illa dies, qua tu purgamina Vestæ,
Tibri, per Etruscas in mare mittis aquas.
Si qua fides ventis; Zephyro date carbasa, nautæ:
Cras veniet vestris ille secundus aquis.
At pater Heliadum radios ubi tinxerit undis,
Et cinget geminos stella serena polos;

702. *Abjecit* tibiam ad fontem Idæ montis, et simul imprecata est, ut, quisquis eam sustulisset, gravi adficeretur supplicio; vide Hyginum dicto loco. Putean. et Douzæ excerpt. *ejectam* nempe aqua: male. *Satyris* adnumeratur Marsyas pastor; vide nos ad Ovidium, Met. vi. 382. et Munker. ad Hyginum dicto loco. Lusus tibicinis bene describitur. *Dimittere* est emittere. *Concipit* auras proprie tibia ipsa, dum inflatur, ut Met. i. 337: *Buccina, quæ medio concepit ut aera ponto.* Hinc etiam de artifice dicitur, ut adeo idem fere sit, quod *comprimit*, quod et ipsum Burmannus suadebat. *Pependit*, nempe ligatus ad arborem; vide ad Metam. vi. 387. ubi fœdum istud supplicium pluribus describitur. *Carmen*, cantus tibiæ, ut ii. 84. lyræ. *Colat dies*, adhibeatur ad celebrandos illos dies.

711. XVII. *Kalendas Julias ortus Hyadum*, de quibus v. 164 sqq. Hyadas Pherecydes *Dodonides* nymphas esse dixerat, Bacchi nutrices; vide Munkerum ad Hyginum, fab. 182. et Poet. Astron. ii. 21. ubi earum nomina, in quibus *Thyene*. *Agenoreus bos*, taurus, qui vexit Europam, Agenoris filiam, et postea inter sidera relatus est, ita, ut Hyades in *fronte* ejus appareant; Hyg. Poet. Astron. ii. 21. De *purgaminibus Vestæ* vide supra 227.

715. XVI. *Kalendas Favonii ortus*, quem alii sequenti diei tribuebant; Columella, ii. 21: "Favonius, qui lenis æqualisque æstivis mensibus perflat."

717. *Nocte insequenti Orion oritur.* De *Hyrieo* vide v. 493 sqq. Post versum 718. plurimi MSS. et edd. inserunt hoc distichon: *Nam duo sunt: austris hic est, aquilonibus ille Proxi-*

Tollet humo validos proles Hyriea lacertos:
Continua Delphin nocte videndus erit.
Scilicet hic olim Volscos Æquosque fugatos
Viderat in campis, Algida terra, tuis.
Unde suburbano clarus, Tuberte, triumpho
Vectus es in niveis, Postume, victor equis.
Jam sex, et totidem luces de mense supersunt:
Huic unum numero tu tamen adde diem.
Sol abit e Geminis, et Cancri signa rubescunt:
Cœpit Aventina Pallas in arce coli.
Jam tua, Laomedon, oritur nurus; ortaque noctem
Pellit; et e pratis cana pruina fugit.
Reddita, quisquis is est, Summano templa feruntur,
Tum, quum Romanis, Pyrrhe, timendus eras.
Hanc quoque quum patriis Galatea receperit un-
Plenaque securæ terra quietis erit, [dis,
Surgit humo juvenis, telis adflatus avitis,
Et gemino nexas porrigit angue manus.

mus: a vento nomen uterque tenet: hoc repetitum est ex iii. 401.

721. Die insequenti anno U. C. 324. *Volsci* et *Æqui* fugati, quod bellum Livius, iv. 26—29. descripsit. Horum populorum validi exercitus in *Algidum*, montem Latii, adeoque *suburbanum*, convenerant: vicit eos *A. Postumius Tubertus* dictator, vir severissimi imperii, atque de iis triumphavit.

725. XIII. *Kalendas Julias sol transit in Cancrum.* In *Aventino* monte Pallas antiquissimis temporibus templum habuit, in quod Livius Andronicus donaria sua detulit.

729. XII. *Kalendas Summano templum redditum. Summanus*, deus summus Manium, Pluto, cui fulmina nocturna tribuebantur, ut diurna Jovi; Plinius, ii. 52 s. 53; Augustinus de Civit. Dei, iv. 23. Secundum Varronem cultus hujus dei jam a Tatio rege institutus. Tempore *Pyrrhi* anno U. C. 473. templum ei *redditum. Tua nurus*, Aurora, Tithoni Laomedontidæ uxor.

733—762. *Ophiuchus oritur.*] Olim fuerat Æsculapius, quem Jupiter fulmine interfecit, quia Hippolytum in vitam revocaverat; post, Apollinis causa, inter sidera retulit; Hyginus, Poet. Astron. ii. 14. *Galatea* nympha marina, Nerei filia; Hyginus præf. *Hanc* nempe Auroram; vulg. *Hunc*. Pro *telis* nonnulli *flammis*, sed *tela* solemne de fulminibus; *telis adflatus*, ut Pont. III. vi. 17. "Fulminis adflatos interdum vivere telis Vidimus;" Virgil. Æneid. ii. 649. "Fulminis adflavit ventis," unde causa illius locutionis apparet.

Notus amor Phædræ, nota est injuria Thesei:
Devovit natum credulus ille suum.
Non impune pius juvenis Trœzena petebat:
Dividit obstantes pectore taurus aquas.
Solliciti terrentur equi; frustraque retenti,
Per scopulos dominum duraque saxa trahunt.
Exciderat curru, lorisque morantibus artus
Hippolytus lacero corpore raptus erat;
Edideratque animam, multum indignante Diana.
Nulla, Coronides, causa doloris, ait:
Namque pio juveni vitam sine vulnere reddam;
Et cedent arti tristia fata meæ.
Gramina continuo loculis depromit eburnis:
Profuerant Glauci Manibus illa prius:
Tunc, quum observatas augur descendit in herbas,
Usus et auxilio est anguis ab angue dato;

737. De Hippolyto vide iii. 265; Metam. xv. 497 sqq. *Phædra* noverca, quum non posset Hippolytum ad voluntatem suam perducere, incesti stupri eum insimulavit. *Theseus* pater credulus innocentem filium in exsilium abegit, Neptunumque oravit, ut eum interficeret. *Pius* juvenis quum *Trœzena* peteret, ubi Pittheus, apud quem educatus erat, regnabat, in sinu Saronico fluctus decumanus *taurum*, monstrum immane, protrusit, quo viso consternati sunt equi, aurigamque suum curru excussum rapuerunt, raptique membra fœde lacerarunt.

745. *Diana* inprimis indignabatur, quam Hippolytus et studio venandi et virginitate coluerat. Itaque apud Hyginum, fab. 251. etiam *voluntate Dianæ* in vitam redit. *Coronides*, Æsculapius, Apollinis et *Coronidis* filius; Metam. ii. 531. 626 sqq.

751, 752. Hoc distichon Heinsius delendum censebat, quia sensus inde commodus non posset elici; immo potest: *Glaucus* enim, Minois filius, in dolium melle plenum quum incidisset, suffocatus est. Hinc Minos *augures* convocavit, e quibus Polyidus, augurio accepto, corpus pueri reperit, atque de dolio eduxit; tum *anguis* arrepsit, quem Polyidus interfecit. Interfecto alius *anguis*, herba quadam adlata, vitam restituit. Ejusdem herbæ igitur opera usus est Polyidus in restituendo Glauco, post etiam Æsculapius in Hippolyto; Apollodorus, III. iii. 1; Hyginus, fabul. 135; Palæphat. 27. *Usus est anguis;* Krebsius intelligit Æsculapium, qui sub imagine anguis cultus sit. Equidem anguem interfectum intelligo, qui usus est auxilio ab altero angue dato, expertus est auxilii illius aut herbæ vim.

Pectora ter tetigit, ter verba salubria dixit:
Depositum terra sustulit ille caput.
Lucus eum, nemorisque tui, Dictynna, recessus
Celat: Aricino Virbius ille lacu.
At Clymenus Clothoque dolent, hæc, fila reneri,
Hic, fieri regni jura minora sui.
Jupiter exemplum veritus, direxit in illum
Fulmina, qui nimiæ moverat artis opem.
Phœbe, querebaris. Deus est; placare parenti:
Propter te, fieri quod vetat, ipse facit.
Non ego te, quamvis properabis vincere, Cæsar,
Si vetet auspicium, signa movere velim.
Sint tibi Flaminius Trasimenaque litora testes,
Per volucres æquos multa monere deos.
Tempora si veteris quæris temeraria damni:
Quartus ab extremo mense bis ille dies.
Postera lux melior: superat Masinissa Syphacem;
Et cecidit telis Hasdrubal ipse suis.

753. *Verba salubria*, carmina, incantationes, quæ adhiberi solebant a medicis, ut alibi jam notatum. De *Virbio* et *Aricino lacu* iii. 265. *Clymenus* Græcis dictus est Pluto, quatenus omnia ad se vocat. Ad hunc igitur pertinent verba *Hic, fieri*, etc. quemadmodum ad Parcam antecedentia *hæc, fila reneri*.

760. *Qui nimiæ*, etc.] Qui nimius fuerat in arte medica adhibenda, qui mortuum adeo in vitam revocaverat.

763—768. IX. *Kalendas, anno U. C. 535. C. Flaminius cos. ad lacum Trasimenum, spretis auspiciis et prodigiis, cecidit:* vide Livium, xxii. 1 et 3; Florum, II. vi. 14: Plutarch. in Fabio, 2. *Cæsar* Germanicus intellig. *Vincere*, blandius quam prælium committere. *Signa movere*, ut *castra movere*; Livius, dicto loco, *signa convellere*. *Æqui* dii, sunt propitii; *iniqui* irati. *Volucres* omnino omina, prodigia, etc. *Temerarius* ipse Flaminius et a Livio et a Floro vocatur: itaque Noster paulo durius *temeraria tempora*.

769. VIII. *Kalendas anno U. C. 550. Syphax victus est; anno U. C. 546. Hasdrubal cecidit.* Syphacem, Numidarum regem, Scipio pluribus prœliis vicit, ad extremum per C. Lælium et *Masinissam* cepit; Livius, xxxix. 5—12. *Hasdrubal*, Hannibalis frater, victus est a Claudio Nerone et M. Livio; " Postremo, quum haud dubie fortuna hostium esset, ne superesset tanto exercitui suum nomen secuto, concitato equo se in cohortem Romanam immisit. Ibi, ut patre Hamilcare et Annibale fratre dig-

Tempora labuntur, tacitisque senescimus annis;
Et fugiunt, freno non remorante, dies.
Quam cito venerunt Fortunæ Fortis honores!
Post septem luces Junius actus erit.
Ite, deam læti Fortem celebrate, Quirites;
In Tiberis ripa munera regis habet.
Pars pede, pars etiam celeri decurrite cymba,
Nec pudeat potos inde redire domum.
Ferte coronatæ juvenum convivia lintres;
Multaque per medias vina bibantur aquas.
Plebs colit hanc; quia, qui posuit, de plebe fuisse
Fertur, et ex humili sceptra tulisse loco.
Convenit et servis; serva quia Tullius ortus
Constituit dubiæ templa propinqua deæ.
Ecce, suburbana rediens male sobrius æde,
Ad stellas aliquis talia verba jacit:

num erat, pugnans cecidit;" Liv. xxvii. 49.

771—784. *Sacra Fortunæ Fortis.*] De variis templis *Fortunæ* a Servio rege dedicatis vide ad ver. 569: Varro, de Ling. Lat. v. " Dies Fortunæ appellatus a Servio Tullio rege, quod is fanum Fortis Fortunæ secundum Tiberim extra urbem Romam dedicavit Junio mense." *Taciti* anni eleganter, qui sensim, nullo tumultu, transiguntur. *Honores*, sacra.

777. Neapolis putat, ædem illam fuisse in regione transtiberina, eoque ivisse nonnullos *pede* per pontem: idque ex hoc ipso loco apparere. Potuit et in citeriore ripa esse; quo, quia pede fatigari nolebant, secundo flumine *celeri decurrebant cymba*. Si in ripa ulteriore fuisset, transmisissent flumen, non decurrissent. Prope eam anno U. C. 459. Carvilius aliam eidem deæ ædem posuit; Livius, x. 46. Prior illa memoratur etiam a Plutarcho, de Fort. Rom. p. 266: Τὴν δὲ πρὸς τῷ ποταμῷ Τύχην, ἣν Φόρτικαν (Reisk. conjicit Φόρτιν vel Φόρτεμι) καλοῦσιν (ὅπερ ἐστὶν ἰσχυρὰν, ἢ ἀριστευτικὴν, ἢ ἀνδρείαν) ὡς τὸ νικητικὸν ἁπάντων κτέανον ἔχουσαν. *Tiberinam* autem illam *decursionem* ipsum Scipionem Africanum magno gaudio adfecisse, narrat Cicero, Fin. II. v. 24.

781. Pugnant hæc cum iis, quæ ver. 634. de Servii origine tradita sunt. Vulgatam traditionem, serva eum esse natum, parvumque ipsum serviisse, habet Dionysius, iv. 1; refellit Livius, i. 39.

785. VI. *Kalendas Orion oritur:* is zona cinctus, unde gladius pendet; Hyginus, Ret. iii. 33: " Hunc a zona et reliquo corpore æquinoctialis circulus dividit." Plinius, xviii. 68. " Solstitium peragi in octava parte Cancri et octavo Kalendas Julii " tradit. Nempe veteres cardines an-

Zona latet tua nunc, et cras fortasse latebit;
Dehinc erit, Orion, adspicienda mihi.
At si non esset potus, dixisset eadem
Venturum tempus solstitiale die.
Lucifero subeunte, Lares delubra tulerunt,
Hic ubi fit docta multa corona manu.
Tempus idem Stator ædis habet, quam Romulus
Ante Palatini condidit ora jugi. [olim
Tot restant de mense dies, quot nomina Parcis,
Quum data sunt trabeæ templa, Quirine, tuæ.
Tempus Iulcis cras est natale Kalendis;
Pierides, cœptis addite summa meis.
Dicite, Pierides, quis vos adjunxerit isti,
Cui dedit invitas victa noverca manus?
Sic ego; sic Clio: clari monumenta Philippi
Adspicis; unde trahit Marcia casta genus:

nuos non in signorum initiis, sed in octavis partibus statuebant; Columella, ix. 14: "Nec me fallit Hipparchi ratio, quæ docet solstitia et æquinoctia non octavis, sed primis partibus signorum confici. Verum in hac ruris disciplina, sequor nunc Eudoxi et Metonis, antiquorumque Fastos astrologorum, qui sunt aptati publicis sacrificiis."

791. *Larium et Jovis Statoris ædes:* de templo, quod Romulus *Jovi Statori* in bello cum Sabinis vovit, vide Livium, i. 12; Florum, I. i. 13. Positum erat ad portam Mugoniam, quæ ducebat a via sacra ad Palatium; Dionysius, ii. 50. Olim edebatur, *Tempus idem Statoris erit*, producta in *Statoris* prima syllaba; quod ferri nequit. Heinsius igitur ex Ursini optimo, uno Patavino et margine Sarraviani, *Stator ædis habet* recepit.

796. *Trabeæ tuæ* paulo durius, tibi, quia Romulus *trabea* insignis; i. 37; ii. 504. Templum illud antiquum, statim post Romuli mortem positum, Cæsar Octavianus exornavit, iterumque dedicavit.

797—800. *Ultimo die ædes Herculis Musarum sacrata.* M. Fulvius Nobilior novem Musarum signa Ambracia Romam translata in Herculis templo dedicavit (Plinius, 35 seu 36. 4.) idque *Marcius Philippus* restituit; Suetonius, August. 29. Eumenius in Or. pro rest. Sch. cap. 7. auctor est, Fulvium, in Græcia quum esset imperator, accepisse Herculem Musagetem esse, id est, comitem ducemque Musarum. De eo valde dubitat Heynius in Opusc. Acadd. vol. ii. p. 305; recentius esse Herculis cum Musis contubernium. *Tempus natale Kalendis;* oriuntur, sunt Kalendæ. *Noverca*, Juno, *invitas manus dedit*, invita cessit, ubi Jupiter Herculem in cœlum accepit; Metam. ix. 254 sqq.

802. *Marcia*, Fabii Maximi uxor,

Marcia, sacrifico deductum nomen ab Anco,
  In qua par facies nobilitate sua.
Par animo quoque forma suo respondet in illa;
  Et genus, et facies, ingeniumque simul.
Nec, quod laudamus formam, tam turpe putaris:
  Laudamus magnas hac quoque parte deas.
Nupta fuit quondam matertera Cæsaris illi.
  O decus, ô sacra femina digna domo!
Sic cecinit Clio: doctæ adsensere sorores.
  Adnuit Alcides, increpuitque lyram.

fuit vel filia, vel neptis *Marcii Philippi*, quem Augusti vitricum fuisse vulgo contendunt: verum e vers. 65 et 809. apparet, *materteram*, non matrem Augusti, nuptam fuisse Marcio Philippo; conf. I. ex Ponto, ii. 140. Jam Ovidii uxor ex Fabii Maximi familia fuit, *Marciamque* reverenter coluit; III. ex Ponto, i. 75 sqq: sic intelligimus, cur hoc loco in laudes mulieris poeta excurrit; vide de hac Marcia Masson. in Vita Ovidii ad annum U. C. 767. Ancus Marcius rex vocatur *sacrificus*, quia longe antiquissimum ratus est, "sacra publica, ut ab Numa instituta erant, facere;" Livius, i. 32; Dionysius, iii. 36. *Nobilitate sua*: olim edebatur *fuit;* at Marcia, quo tempore Ovidius hæc scribebat, adhuc erat in vivis. *Par* etiam cum ablativo construi, docent Heinsius et Burmannus. Verbis *et genus, et facies ingeniumque simul* in Francofurt. adscriptum: "Hæc adulterina sunt." Sic judicant etiam Brouckhusius et Burmannus, quia poeta idem jam dixerat.

812. Hercules *lyram pulsans* serioris artis frequens argumentum; Heynius dicto loco. *Increpuit lyra*, lyra fortius pulsata finem facere jussit; sic Horatius, IV. Od. xv. 1: "Phœbus volentem prælia me loqui, Victas et urbes, increpuit lyra;" ibi vid. Jani et Mitscherl. Disputatur autem hoc loco utrum legendum sit *lyra*, an, quod Heinsius ex Ursini, Sarraviano et tribus aliis adoptavit, *lyram*. Putant, *increpare lyram* esse simpliciter pulsare lyram, ut Heroidd. iii. 118; Amorr. II. xi. 32; sed *increpare lyra*, signum dare, admonere lyra asperius pulsa: sic etiam Schirachius et Krebsius; sed Heynius ad Virgilium, Æn. I. 747. in varr. lectt. *lyra pulsare* magis poetice dici putat, quam *lyram*. Cæterum in MSS. Ursini, duobus Patavinis, uno Vaticano atque Francof. subjuncti leguntur versus hi quatuor: *Si novus a Jani sacris numerabitur annus, Quintilis falso nomine dictus erit. Si facis; ut fuerant, primas a Marte Kalendas, Tempora.*

FINIS FASTORUM.

PRÆMONITIO

AD ERUDITISSIMUM LECTOREM.

In sua præfatione et procœmio, (vide supra p. 1 et 4) D. V. Gierig pauca dixit de symbolis observationum, quas in Ovidii Fastos exhibuerat Frider. Henr. Guil. Gesenius, quia hujus rationem ab ipsius opera nonnihil discrepare viderat. Ego autem, postquam illas diligenti sedulitate perpendi, multa recognovi quæ in locis difficilioribus illustrandis forent perutilia; eaque tibi, lector optime, subjicienda judicavi, ut ab omni parte magis absolutum opus invenires. Itaque nonnullos Excursus, de Fastis Romanorum tam kalendaribus quam historicis, de novis quibusdam præsidiis Ovidii interpretationem adjuvantibus, de astronomiæ probabili cognitione, de quibusdam veteris Italiæ numinibus, et de aliis quæstionibus explicandis, in unum doctrinæ corpus conjunctos hic habebis, quos in tuam utilitatem cessuros vehementer opto et confidenter spero. Vale.

N. E. L.

EXCURSUS

IN OVIDII FASTOS.

EXCURSUS PRIMUS.

DE FASTIS ROMANIS; ET DE HUJUS CARMINIS, QUOD IN IIS ILLUSTRANDIS VERSATUR, CONSILIO ET RATIONE.

CONSILIUM, quod in hoc carmine componendo spectavit et feliciter exsecutus est Ovidius, totius anni Romani ferias, cæterasque fastorum notationes ad eorum ordinem poetice enarrandi et ad causas suas revocandi ipsius poetæ ingenio et inventioni ita certe deberi videtur, ut neminem, quem ab omni parte in hac re præeuntem habuerit, indicare queamus. Est hæc in singularibus hujus poetæ laudibus, quam et in heroica epistola condenda, maxime tamen haud dubie in Arte amatoria, quod carmen quoad inventionis laudem haud facile ulli carmini Romano secundum est, meretur[a].

Princeps omnium igitur de his fastis quæstio esse debebit, et ut, quicquid vel ipsa antiquitas de iis tradat, vel fragmenta eorum huc illuc servata, collecta, et e tenebris vindicata docuerint, accurate et diligenter videamus, quam proxime ad institutum nostrum pertinet: idque inprimis quum in duobus fastorum generibus (*historicis* et *kalendaribus* vel *sacris*) valde quidem diversis, quæ tamen veteres eodem nomine plerumque complecti solebant, commutandis multos turbas fecisse, et ad utrum genus pertineant

[a] Conf. judicium, quod de hujus carminis æstimatione egregie tulit. Vir summus *Bottigerus* in *Sabina*, pag. 40.

singula loca, non rite discrevisse reperiam[b]. Verum jam vidit Siccama aliique (Grævii Thesaur. tom. viii.) qui alterum genus fastos minores, kalendarios vel kalendaria, alterum fastos majores vocando, errorem vitandum docuerunt, etsi hoc etiam monendum est, ab optt. scriptorum usu, ubi nec fasti kalendares nec kalendaria leguntur, hanc appellationem, qua tamen et nos ad turbas vitandas uti debebimus, abhorrere. Apud optt. scriptores *Fastorum* nomen in utroque genere adhibitum, utrum genus indicetur, interdum dijudicatu difficile reddit.

1. *Fasti sacri* (*kalendares, kalendaria.*)

Initio hæ tabulæ, unde et nomen invenerunt, nihil aliud fuere ac dierum, quibus fari (id est, jus dicere) liceret, nec ne, per totum annum notationes, ita ut cuivis anni diei, sive fastus, sive nefastus, sive intercisus esset, certis signis (F. N. et E.) i. e. endotercisus[c], adscriptum esset[d]. Efficiebant ita partem juris civilis, æque ac commentarii pontificum, et senatus pontificesque, ut in hac re magis pro arbitrio agere possent, a populi conspectu has tabulas diligenter arcere soliti erant[e]; donec summa cum senatorii ordinis indignatione et invidia a Flavio, Appii Claudii scriba, homine callido et populi favorem captante, cum iisdem commentariis pontificum primum prodirent[f]. Ex

[b] Omnia turbavit v. c. Adam in Antiq. Rom. e vers. Meyeri, t. i. p. 526. qui fastos historicos et kalendares et summa imis miscet.

[c] *Endo* enim antique pro *in* in leg. xii. tab. apud Enuium et Lucret. exstat. Cic. *de leg.* ii. 8; Lucr. lib. i. 82.

[d] Festus ex. emend. Dac. *Fastis enim dies fasti insunt.* Primum eorum vestigium forte apparet in pontifice a Numa instituto, ubi Liv. i. 20: *Ei sacra omnia exscripta exsignataque tribuit, quibus hostiis,* quibus diebus, *ad quæ templa sacra fierent, atque unde in eos sumtus erogaretur.*

[e] Liv. iv. 3. Canuleius in oratione contra senatum inter alia, quæ de violentia et injuria ejus conqueritur: "Obsecro vos, ait, *si non ad fastos, non ad commentarios pontificum admittimur,* ne ea quidem scimus, quæ omnes peregrini etiam sciunt, consules in locum regum successisse! nec aut juris aut majestatis quicquam habere, quod non in regibus ante fuerit?" Quæ de jure consulum ibi celato queritur, nonnisi ad commentarios pontificum pertinent, in quibus jus civile continebatur, fastos autem simul nominat, quum ad idem jus pertinerent.

[f] Factum erat anno U. C. 440. Livius, ix. 46: *Civile jus repositum in*

eo inde tempore fasti, ita comparati, ut dies fasti nefastique, etc. Idus et Nonæ, præcipue *feriæ omnes statæ et templorum dedicatorum anniversaria*, subinde res quædam in republica egregie gestæ ibi annotarentur, non solum publice in foro et aliis locis *expositi erant*, sed et privatim in porticibus, atriis, plerumque lapidi, interdum æri incisi habebantur.

Per urbem dispositorum exempla habemus in fastis Fulvii Nobilioris in templo Herculis publicatis (Macrob. i. 12.) qui infra alio nomine laudandi sunt et in fragmentis fastorum per urbem inventis in campo Floræ, in Exquiliis, etc, (vide infra.) Eumdem autem tabularum proponendarum morem in municipiis etiam aliisque Italiæ oppidis obtinuisse, post Ovidium (Fast. vi. 59.) ubi ad fastos Aricinos, Laurentinos, Prænestinos provocat, fastorum fragmenta extra urbem et in aliorum oppidorum ruinis reperta docent; quæ tabulæ, quo major urbibus cum Roma intercedit necessitudo, eo propius ad fastos Romanos accedunt. Videmus hoc v. c. in Amiterninis, Prænestinis, in quibus pauca ad oppidi cujusvis proprios ritus pertinentia occurrunt[5], omnia fere cum iis, quos Roma habuit, conveniunt.

In aliis Latii populis, quos Ovidius, Fast. iii. 87 seq. recenset, quique minus a Roma profecti erant, fastos abiisse in multis, vel ex diverso ordine mensium intelligitur (confer Censorin. i. 20.) Colonis contra in ipsa coloniarum deductione, ut sacra iis cum urbe communia essent,

penetralibus pontificum evulgavit, fastosque circa forum in albo proposuit, ut quando lege agi posset, sciretur. Conf. Val. Max. II. v. sec. 2: *Fastos pæne toto foro exposuit:* unde fortasse eos duodecim tabulis, quarum singulæ singulos menses comprehenderent, ut postea fieri solebat, contentos fuisse colligi potest. Antea enim singuli dies festi publice per urbem prænuntiati sunt, vel si quis prius de iis scire voluit, a pontifice eos petere debuit. Cic. pro Murena 11: Erant in magna potentia qui consulebantur, a quibus etiam dies, tamquam a Chaldæis petebantur. Ad illud tempus pertinet haud dubie Arnobii locus adv. gentes, vii: Lavatio matris Deum est hodie, Jovis epulum cras fiet, Lectisternium Cereris erit Idibus proximis.

[5] Vid. Fast. Præn. ad d. 11. Apr. ubi e patria et peculiari Prænestinorum religione *Festum Fortunæ primigeniæ*, Deæ Prænestinorum tutelaris, celebrandum esse, oraculum patere, etc. annotatur. Conf. Foggin. p. 48.

fastos urbanos traditos esse, probatum it veterum fastorum interpres apud Fogginium (in libro laudando, pag. 103.) qui coloniarum nomina tunc in fastis annotata reperit.

Accedit, ut de more res memoratu dignas in fastis sacris ad eos, quibus gestæ sunt, dies adscribendi, quædam dicamus, quum in hac re, quæ etiam in fastis historicis fieri solebat, dubitari possit, ad utrum genus aliquis locus pertineat. In fastis sacris hoc mature jam factum esse Ovidii loca probant vi. 461. 465. 563. 721. 765. 769. 770; ubi res populo Romano vel lætæ vel tristes, tum victoriæ et res præclare gestæ, tum clades, quibus Roma afflicta est, in fastis, quibus Ovidius usus est, adscriptæ fuisse videntur. Victoria v. c. Postumi de Æquis et Volscis (Fast. vi. 721.) quam ad d. 17 Jun. ita canit:

> Scilicet[h] hic olim Æquos Volscosque fugatos
> Viderat in campis, Algida terra, tuis;
> Unde suburbano clarus, Tuberte, triumpho
> Vectus es in niveis, Postume, victor equis:

coll. Livio iv. 26—29. in an. U. 322. incidit, et jam tum hic mos obtinuisse videtur. Similiter in D. Bruti victoria, Syphace victo et aliis, l. l. c. c. et falsi igitur sunt, si qui (v. c. Siccama de fastis Gr. Thes.) in M. Antonio hoc primum factum esse contendunt. Hic enim, ut Cicero (Phi-

[h] *Scilicet*, particula transitoria, et digito qs. intendens ad sequentia, ut *ecce*, significatione antea neglecta, sed quæ sine dubio prima est hujus vocis, unde cæteræ demum profluunt, quam vindicavit Ill. Vossius ad Georg. p. 136. n. edit. (vid. loca ibi laudata;) Georg. i. 281. "Ter sunt conati imponere Pelio Ossam *Scilicet*, atque Ossæ frondosum involvere Olympum;" i. 492. "*Scilicet*, et tempus veniet, quum finibus illis Agricola," etc. unde vocem Ovidio, iv. 627. reddere nullus dubitavi. Analogam autem arbitror huic particulæ quoad significationum transitum, qui certe in utraque voce bene se illustrat, Græcam particulam ἦ. Significationes utriusque vocis ita se excipere videntur: 1° *profecto, re vera*. Ita *scilicet* sæpe apud Terent. Phorm. I. ii. 82; Adelph. IV. vii. 33. et ἦ semper apud Homerum. Interdum *scilicet* initio orationis animum tantum intendit ad sequentia, ut h. l. et ita non raro ἦ apud Homerum; 2° inde utraque vox *ironice* usurpatur. De *scilicet* res nota. De ἦ cf. Il. A. 229: ἦ πολὺ λώϊόν ἐστι, etc. 3° utraque in quæstionibus occurrit pro *num?*

lip. ii. 34.) ei objicit, in fastis ad Lupercalia adscribi jusserat: *C. Cæsari, dictatori perpetuo, M. Antonium consulem populi jussu, regnum detulisse, Cæsarem uti noluisse;* qui locus æque ac Cic. ad Brutum 15: "Ego Decio Bruto liberato, quum lætissimus ille civitati dies illuxisset, decrevi, ut in fastis ad eum diem Bruti nomen adscriberetur" ad fastos kalendares haud dubie pertinet.

Quod si vero in aliis fastis alias res gestas annotatas reperimus, diversas diversis temporibus, ex cujusvis temporis adulatione petendum est, quæ imperatorum præsertim et virorum illustrium res gestas ita memoriæ mandare voluit. Ita in fastis, quos ætas nobis servavit plerumque ex Augusti et Tiberii tempore, horum tituli; sub sequioribus Imperatoribus, ejus qui tunc imperium tenebat, res gestæ feriis celebratæ sunt, exstirpatis antea iis, quæ sub antecessoribus fuerant annotata. Post honores gentis Juliæ ab Ovidio etiam celebratos, vide, quæ Fasti Prænestini in ejusdem gentis laudem annotant ad Januarii dies 7, 8. 16, 17. 29: Amiternini ad Augusti dies 1, 2. 9; Sept. 1. 9; Oct. 12, etc. Et quum ex sequiorum Imperator, fastis nulla exstent fragmenta, idem tamen in ultimo quod exstat Constantini Magni Kalendario (Græv. Thes. tom. viii. p. 97.) habes, ubi, ut antea Augusti Tiberiique, nunc Constantini, Constantii aliorumque res fortiter gestæ titulis celebrantur.

Sed tantum de his fastis kalendaribus, quos Ovidius carmine exornavit, et ad quos sæpius recurrere licebit. Quid autem? quod passim ab interpretibus, multo alia cum re, fastis scilicet, seu annalibus, quæ historiæ ad instar primis temporibus fuere, commutantur, quare erroris vitandi causa de his etiam paucis videndum est.

2. *Fasti historici, (Annales, F. consulares.)*

Commune nomen inde haud dubie fluxit, quod in his primis historiæ initiis singulis annis res gestæ vel quicquid memoria dignum judicabatur, ad ordinem dierum, qui in

fastis kalendaribus descripti erant, annalium in morem exhibebantur[i]. Magistratus cujusvis anni, consules potissimum ibi annotati esse debebant[k], et cum consulibus demum initium cepisse videntur e Valerio Maximo, libris iv. 4. sec. 1; et vii. 3. sec. 2. ubi altero in loco Valerius Poplicola, primus consul *Fastorum illud columen* vocatur; in altero autem Brutus, Valerii in primo consulatu collega, vafro illo, quo Tarquinii filios decepit, osculo *primum in Fastis locum* sibi parasse dicitur. Poterant igitur gentibus Romanis antiquæ earum nobilitati probandæ inservire, si plures sui nominis ibi notati erant, unde v. c. Horatius, Od. III. xvii. 2. Lamiæ sui proavos in fastis undique notatos generis nobilitatem a Lamo illo vetere, Læstrygonum rege, ex nota Romanorum vanitate et poetarum adulatione, ducere canit:

> Æli, vetusto nobilis ab Lamo,
> Quando et priores hinc Lamias ferunt
> Denominatos, et nepotum
> Per *memores* genus omne *fastos*
> Auctore ab illo ducit originem.

[i] Cic. ad div. v. 12. in nobilissima epistola ad Lucceium: Etenim ordo ipse annalium mediocriter nos retinet, quasi *enumeratione fastorum*. Horatius ita Sat. I. iii. 112. *fastos mundi* de totius universi historia dicit, et Carm. IV. xiii. 13. Lycen, ut ætate fruatur, admonens, annum fastis semel adscriptum irrevocabilem vocat: "Nec Coæ referunt jam tibi purpuræ Nec clari lapides tempora, quæ semel *Notis condita fastis* Inclusit volucris dies."

[k] Liv. ix. 18. paginas in annalibus magistratuum, fastisque percurrere licet, consulum dictatorumque, quorum nec virtutis nec fortunæ ullo die P. R. pœnituit. Annales magistratuum a fastis discerni videntur, ita ut fasti nonnisi consules singulis annis inscriptos, annales autem magistratuum cæteros magistratus complectantur. Cic. ad Att. iv. Ep. 8: Si vero, id est, quod nescio, an sit, ut *non minus longas jam in codicillorum fastis futurorum consulum paginulas* habeat, quam factorum, quid illo miserius, nisi respublica, *in* qua ne speratur quidem melius quidquam, ubi cuivis consuli sua pagina destinata videtur ita probabiliter, ut consules annui fastorum annis superscribantur. Martialis, xii. 26. hominem perstringit, qui jam senator, id insuper adpetit, ut fastis adscribatur et provinciam nanciscatur; quibus rebus dignitas consularis innuitur: "Sexaginta teras quum limina mane *senator*, Esse tibi videor desidiosus eques, Quod non a prima discurram luce per urbem. ..... Sed tu purpureis ut des nova *nomina Fastis*, Aut Numidum gentes Cappadocumque petas, etc.

Et si ignominiæ causa alicujus consulis nomen publico S. C. e fastis eradi dicitur, semper hi intelligendi sunt. Factum hoc erat in M. et L. Antoniis, sed postea restitutum; idem facere parabant in Pisone: Cic. Philip. xiii. 12; Tac. Ann. III. xvii. xviii.

Jam de Ovidio, ejusque opera in *Fastis kalendaribus* explicandis et exornandis posita.

Multa, quæ in his fastis, sive veteres notas interdum interpretatione ambiguas, sive ferias earumque origines, sive notitias historicas ibi adscriptas spectes, ob antiquitatem obscura erant et explicatione indigebant, jam mature invenerant auctores, qui in iis exponendis data opera versati erant. Tot feriarum origines ibi illustratæ, quatenus fieri poterat ex antiquitate Romana repetitæ, ritus ceremoniæque singulorum festorum enarrati et explicati, Deorum antiquorum nomina et cultus expositi, templorum conditorum historia tradita, notis illis antiquitus tralatis quid significaretur indicatum, anni rationes diversæ expositæ, errores, qui vulgo circumferebantur, discussi legebantur, verbo, quicquid in iis illustratione indigebat, commentario perpetuo omnem annum persequente comprehendebatur: eoque magis hi scriptores, qui vel *commentariis* et libris peculiaribus vel *brevioribus adnotationibus*, quas fastis publice affixis adjecerant, hanc operam navaverant, ad hanc quæstionem pertinent, quum et ipsi præcipui fontes carminis Ovidiani haud dubie fuerint.

Luculentissimum exemplum *brevioris ejusmodi adnotationis* in ipso publico marmore descriptæ habemus in *Verrii Fastis* (de quibus fusius infra) et ad eumdem prorsus modum in iis, quos *Fulvius Nobilior*, Catonis æqualis et Ennii familiaris in æde Herculis et Musarum a se condita (Fast. vi. in fine) posuerat, simulque brevi annotatione adjecta nominibus rebusque antiquis explicandis operam dederat. Macrob. I. xii. 13. qui Maium et Junium ibi a majoribus derivari tradit, et i. 13. de intercalatione haud dubie ad eosdem fastos respicit. Laudantur iidem a Charisio.

Peculiarium autem librorum data opera in fastis explicandis versantium plures auctores habemus, quorum notitiam præsertim Macrobio et Festo debebamus, quibus nunc Laurentius Lydus accedit. Agmen eorum, quos novimus, ducit nomen in historicis et antiquariis celeberrimum *Cincius Alimentus;* post eum sæpe laudatur in hoc etiam genere, *Masurius Sabinus*, celeberrimus ille JCtus, et quæ utriusque scriptoris exstant fragmenta, tum quod ad Ovidium arctissime pertinent, tum ob judicii acumen et criticam in veteribus insolitam, tum ob antiquitatis doctrinam, merito desiderium horum librorum injiciunt. Fasti, quos *L. Cincius Alimentus* condiderat, Fabii Pictoris æqualis (vid. Voss. de hist. Latinis, p. 25.) a Livio sæpe laudatus, et magnæ apud eum auctoritatis præsertim in rebus antiquariis (" maximus auctor " et alibi: diligens *talium* monumentorum auctor, ubi de *more* Volsiniensium *solemni* sermo est) post Macrobium (i. 12. et alibi,) et Festum (vid. Ind. in ed. Dacieriana) a Lydo recitantur, ubi liber περὶ ἑορτῶν non potest non idem esse. (Lydus, p. 90 et 125.) Effata ejus antiquitatis et linguæ criticam scientiam et judicium subactum produnt, et multæ, quas Ovidius exhibet sententias in re sua illustranda, ad hunc referendæ esse videntur. Ita apud Macrob. l. c. Aprilis mensis a Venere derivationem, quippe linguæ rationibus contrariam vel hanc ob causam, quod Veneris nec Romanum nec Græcum nomen regum tempore notum fuisse, et in carmine Saliari inveniri scribit, egregie sane refutavit, æque ac Maii et Junii a majoribus et junioribus explicationes vulgares, alterum a Maia dea, alterum, quum et antiquitus et suo tempore alibi Junonius dicatur, a Junone dictum esse censens (ubi Ovidius, Fast. vi. 61. eum haud dubie respexit.) Post hunc Macrobius *Masurii Sabini* commentarios inprimis laudat, celebris sub Tiberio Jurisconsulti, Ateii Capitonis adseclæ et sectæ Sabinianæ auctoris [vid. fr. ii. sect. 48. Digest. (i. 2.)] qui vel e Persio notus est: Sat. v. 90. *Masuri rubrica vetat.* Alii

commentariorum auctores recensentur: *Nisus* (Macrob. ibid.) *Bebius Macer*, *Comelius Labeo*, (Macrob. i. 16.) *Rutilius Geminus*, *Titus*, Anysius et Elpidianus περὶ μηνῶν, περὶ ἑορτῶν apud Lydum, Julius Modestus, Hygini libertus (Suet. de grammat. 20.) de feriis, Fulvius Flaccus, Junius Gracchus aliique. Nobis omnes ætas invidit et præter Ovidii commentarium poeticum et breviores Verrii notas, nonnisi Lydi et Macrobii Festique excerpta notitiam aliquam præbent. Quæ passim ex his scriptoribus laudantur, ostendunt, eos in omnibus iis, quæ supra ad hos libros retulimus, enarrandis et investigandis, plus minusve, et ut quis historiæ, antiquitatis et chronologiæ peritissimus erat, versatos esse. Haud quidem data opera ad fastos explicandos, sed universe ad antiquitatem Romanam illustrandam etiam *Varro* in lib. antiquit. divinarum, *Verrius* aliique passim de hoc genere in antiquis feriis, ceremoniis, ritibus illustrandis et ex historia deducendis meruerant, eosque sæpissime Dionysius et Plutarchus passim hanc antiquitatem illustrantes respiciunt. Etiam in Quæstionibus Romanis, quæ id genus multa exhibent, Plutarchus easdem prorsus cum Ovidio proferens sententias, eosdem fontes, forte et fastorum commentarios ob oculos habuisse videtur. *Butam* autem fuisse poetam, qui res Romanas ad causas suas fabulosas referendo incertum quo tempore, carmine hanc Romanæ antiquitatis partem illustrare susceperat, discimus ex Plut. in Romulo, cap. 21; cf. Arnob. lib. 5. init. et præclare hoc carmen carmini Ovidiano cognatum judicavit Lenz. l. c. p. 5. Plutarchus duo versus[1] de Lupercaliis ex eo laudans, αἰτίας μυθώδεις ἐν ἐλεγείοις περὶ τῶν Ῥωμαϊκῶν scripsisse tradidit, et Arnob. ex ejus *Causalibus*, ut inscriptionem libri Latine vertit, Fatuæ historiam

[1] Tradiderat ibi Butas, cursum in Lupercaliis solemnem repetendum esse a gaudio, quo Romulus, Amulio victo, cursu festinavit in eum locum, ubi lupa uber ei præbuerat: et pergit in loco supra citato Plutarchus: καὶ μίμημα τοῦ τότε δρόμου τὴν ἑορτὴν ἄγεθαι, καὶ τρέχειν τοὺς ἀπὸ γένους, τοὺς: Ἐμποδιοὺς τύπτοντας ὅπως τότε φάσγαν' ἔχοντες Ἐξ Ἄλβης ἔθεον Ῥωμύλος ἠδὲ Ῥέμος.

exhibet. *Vide de eo Vossium* de historicis Græcis, p. 337. et de poet. Græc. p. 225. An in ordine etiam ad anni tempora digerendo et in aliis Ovidius eum sequi potuerit, ob paucas de eo notitias pro certo dici nequit, quum ipsi Haraldo ad Arnobium l. c. ita ignotus videretur, ut nomen Butæ in Plutarcho corrigendum esse putaret, ubi mirandum est, etiam Wittenbachium v. c. (Proleg. ad Plutarch. præf. p. 46.) cum eo consentire videri. Quod idem v. c. Lenzius, p. 4. conjecit, simile Callimachi Carmen, quod Αἴτια inscribitur, Ovidio quoad genus et formam in fastis sæpe ante oculos fuisse et Valkenarius ad Callimachi elegiarum fragmenta, p. 10. et Jacobs in Animadversionibus ad Anthol. gr. vol. III. p. ii. p. 182. amplexi sunt: etsi prior, p. 8. non elegiaco, sed heroico metro concinnatum fuisse velit. Hoc carmen, cujus fragmenta exstant in ed. Ernestii, Romanorum etiam manibus frequenter tritum esse, Varronis, Servii aliorumque citata docent, et ipsum Ovidium, Trist. V. v. 33. in prodigii, quod in Eteoclis et Polynicis sacris fiebat, narratione hæc αἴτια respexisse judicavit Ruhnkenius.

> Hoc (memini) quondam fieri non posse loquebar,
> Et me Battiades judice falsus erat.

Epigramma Anthologiæ (vid. Bentl. ad Callimach. fragmenta, p. 416. ed. Ernest.) totum carmen somnio contineri canit, in quo Callimachus in Heliconem delatus a Musis ipsis de rebus antiquis, priscorum hominum vita et moribus, etc. quærens quæ volebat, edoctus sit. Ultimi versus,

> Αἱ δέ οἱ εἰρομένῳ, ἀμφ' Ὠγυγίων Ἡρώων
> Αἴτια καὶ μακάρων εἶρον ἀμειβόμεναι,

conjecturam commendant, Ovidium potissimum in Deorum Musarumque ministerio, quo eodem prorsus modo utitur (iv. 191; v. 7 sqq; vi. 798. etc.) Callimachum ob oculos habuisse. Veteres ritus ibi explicatos habent fragm. 8 et 9; et Lenzius jam annotavit, historiam Hippolyti in

Callim. cum eadem in Ovidio, vi. 730. consentire, ut et in rebus Græcis eum interdum respexisse videri posset. Attamen magis colorem, rationem, et formam ex hoc scriptore, materiam sine dubio potissimum ex aliis, quos diximus, Fastorum libris mutuam accepit. Et luculenter hoc ex eo apparet, quod non solum in explicanda aliqua re easdem semper cum illis referre solet sententias, sed sæpissime idem et eodem loco et ordine, quo illi afferre solent. Docent hoc vel breves Verrii adnotationes ad Fast. i. 45; conf. Verrius ad d. 2 Jan. ad iii. 97: conf. Verr. initio Martii mensis, ubi fere eadem iisdem verbis. Adde multa ex iis, quæ postea ex Verrio excerpsimus. Ad Ovidium de mensibus Aprili, Maio et Junio conf. Fastor. conditores apud Macrob. i. 12. etc. etc. Tamen ipsum notitiis aliunde conquirendis intentum fuisse ipse Fast. iv. 378 et 690. docet, et quum diu in opere suo limando stylum verteret, ea, quæ recens accesserant, in fastis donec prodirent, diligenter adnotare et inserere solebat. Huc pertinet, præter alia quæ de Germanici triumpho i. 285. de Concordiæ æde i. 637—650. an. U. C. 762. exstructa, canit, quæ ex notitiis ad amicis secum communicatis, vel e novis fastis in exsilio interpolare debuit. Refer huc etiam, quæ de Tiberio imperatore canit i. 533; de Julia Augusta, i. 536.

Eo autem magis hoc argumentum carminis varietati aptum erat, quum a temporis sui sacris ad remotissimos patriæ antiquitatis mythos, ab operibus et rebus gestis principum ad laudem et adulationem eorum exspatiandi occasionem præberet. Et cum Virgilio sentiens, qui in Græcarum fabularum lusibus satis jam decantatis vix veram laudem adhuc quæri posse cecinerat[m], hanc sibi viam delegerat, fructuosissimam sane ad gratiam ineundam apud

[m] Sed grandiori stylo, Georg. III. 3: "Cætera, quæ vacuas tenuissent carmine mentes Omnia jam vulgata. Quis aut Eurysthea durum Aut illaudati nescit Busiridis aras? ... Tentanda via est, qua me quoque possim Tollere humo, victorque virum volitare per ora."

homines Romanos patriæ historiæ amantissimos et quam maxime gnaros, quibus jam antea Ennii et Virgilii carmina patria gratissima dona acciderant. Et simile propositum prius jam Propertio fuisse ipse IV. i. 69. canit, quorum versuum non exiguam vim ad Ovidii consilium vel capiendum vel confirmandum fuisse, quidam voluerunt (Lenz. p. 4; Barth. ad Propertii l. c.) In elegia enim illa, qua homini peregrino præclara Romæ monumenta se ostendentem fingit, postquam diu summo cum ardore et impetu sacra Romana horumque locorum divinam originem celebraverat, hæc se aliquando carmine elaturum promittit:

Sacra diesque canam et cognomina prisca locorum:

quod consilium certe quam proxime ad nostri rationem accedit. Ovidius, qui jam ad carmen etiam didacticum metrum elegiacum transtulerat, in hoc etiam genere magis epico elegis sibi familiarissimis simpliciori magnam partem orationi aptius visis uti maluerat, forte in hac etiam re, nisi Callimachum, de cujus metro dubitatur, tamen Propertium respiciens, qui et antea plures heroicæ Romanorum ætatis res gestas elegis exornarat, et in hoc carmine quod promittit, ut ejus verbis utar, mollem vatis elegiaci hederam hirsutæ Ennii lauro se prælaturum profitetur (IV. i. 57.) Tantum si res majores canendæ sunt, Ovidius excusationes de carminis tenuitate et metri elegiaci usu in carmine historico minus solemni, poetarum more, modeste ab ingenii in tantis defectu et innato quodam amore levis hujus generis petit. Statim ab initio libri secundi, in quo Augusti quidam tituli celebrandi sunt, hac de re præmonet (ii. 3 sqq.) et quum Octaviani cognomen Patris Patriæ canendum est,

Quid volui demens, (clamat) elegis imponere tantum
Ponderis, heroi res erat ista pedis.

EXCURSUS II.

DE COMMODIS, QUÆ AD OVIDII INTERPRETATIONEM E NOVIS QUIBUSDAM PRÆSIDIIS REDUNDARUNT.

PRÆTER magnorum virorum curas, quibus multæ res huc pertinentes egregie illustratæ sunt, aliam fastis contigisse fortunam, ex accessione novorum præsidiorum, quin h. l. statim attingam, a me non impetrare possum. Quo enim jam diutius harum literarum cultores merito omnem abjecerant spem, fore, ut passim rudera ingentis illius rerum antiquarum naufragii in lucem revocentur, eo sane jucundius accidit, si præter omnem spem et opinionem vel totis literis, vel potissimum peculiari alicui materiæ, in qua elaboramus, ex quibuscumque antiquitatis fragmentis alto situ obrutis novam oriri lucem videmus: unde novis testimoniis scriptor illustretur, confirmetur; explicationes ejus dubiæ vel adserantur vel mutentur; et quod fructuosissimum sane et præstantissimum est, ipsius textus huc illuc constituendi nova quædam ratio adpareat. Hæc autem in nostrum scriptorem redundare commoda inventis ante hos viginti septem annos fastorum sacrorum, quos Verrius concinnaverat, fragmentis quamvis mutilis, insignes eorum in Ovidii locis explicandis partes docent. Archetypum hujus operis, pluribus certe ex eo, quod inde descripsit Volfius V. C. in Suetonio, tom. iii. noti, prodiit Romæ 1779[n]. Hi fasti a Verrio Flacco, celeberrimo illo grammatico, cujus librum de verborum significationibus Festus in compendium redegit, et Augusti nepotum magistro, duodecim tabulis marmoreis, quarum singula unum

[n] Fastorum anni Romani a Verrio Flacco ordinatorum reliquiæ ex marmorearum tabularum fragmentis Præneste nuper effossis collectæ et illustratæ. Accedunt Verrii Flacci Operum fragmenta omnia, quæ exstant, ac fasti Romani singulorum mensium ex hactenus repertis kalendariis marmoreis inter se collatis expressi, cura et studio P. F. F. (Foggínii) Romæ anno 1779. Hæc omnia diligenter perpende.

mensem comprehendebat, incisi et in foro Prænestino (ubi nunc Palestrina) in conspectu domus Cæsareæ in hemicyclo expositi, jam a veteribus excitantur. Suet. de illustr. grammat. cap. 17; Macrob. i. 10. p. 196: cf Verrium ad d. 21 Dec. Macrob. I. xii. p. 209; confer Verrium ad d. 1 Apr. ubi Macr. verba Verrii minus pudica sibi visa reticet; et Ovid. in Fast. vi. 62:

> Inspice quos habeat nemoralis Aricia fastos,
> Et populus Laurens, Lanuviumque meum;
> Est illic mensis Junonius: inspice Tibur
> Et *Prænestinæ mœnia sacra Deæ,*

ad quem locum egregie Neapolis, se eorum opinioni qui fastis Capitolinis inventis Suetonii locum eo trahebant, unquam calculum additurum negat. Quatuor mensium, Januarii, Martii, Aprilis et Decembris fragmenta nunc eruta, et quippe vetustate et ruina maxime adrosa et perfracta, sed Fogginii opera, quoad fieri poterat, ordinata, suppleta, et amplo commentario illustrata, ob egregium, qui iis in Ovidio explicando usus est, eo majus operis integri desiderium injiciunt. Agite igitur, quædam loca percenseamus, ubi eorum in Ovidio explicando vel emendando partes sunt.

Fast. i. 589. ad d. 13. April. Ovidius provincias ab Octaviano populo redditas, et cognomen Augusti in unum eumdemque diem ponere videtur:

> Redditaque est omnis populo provincia nostro,
> Et tuus Augusto nomine dictus avus.

Tenendum h. l. quod diligentissimus quisque veterum scriptorum lector minime ignorabit, sæpe eos rerum, haud quidem simul gestarum, sed mutua ratione conjunctarum, junctim mentionem injicere. Ita Orosius, vi. 20. postquam d. viii. ante Id. Cæsarem rediisse scripserat, eodem die eum Augustum consalutatum esse, addit, conjungens duas res a se invicem pendentes, non simul factas. Præ-

sertim Suetonius ita sæpe explicandus est. Hoc loco unum et alterum non uno die contigisse jam Dio tradiderat liii. 16; scribens, primum habita de dividendis provinciis oratione coronæ quernæ honores ei decretos, postea autem eum, perfectis demum iis, quæ pollicitus fuerat, *Augustum* dictum esse: ad quem locum jam *Reimarus* diversas notationes conciliatum ivit. Cum Dione ita statuendum esse Verrius docet, ut d. 13 Jan. coronæ quernæ honores ob provincias divisas, die 16 demum Augusti cognomen traxisse intelligatur. Ad d. 13. hæ notæ scriptæ sunt: *Corona quer... August. oner... Po. R. Res.* quod supplendum haud dubie *cum Fogginio: Corona quer*na ex S. C. superposita est domui Imp. Cæs. *Augusti, oner*osas quod eo die recepit provincias et pacatas *Po*pulo Romano *Res*tituit. Ad. d. 16. legitur: *Imp. Cæsar Augustus est appellatus ipso* vii. *et Agrippa Cos.* qui annus est U. C. 727.

I. 637 sqq. de Concordiæ æde Ovidius canit:

> Causa recens melior: passos Germania crines
> Porrigit auspiciis, dux venerande, tuis.

De anno disputari magnopere poterat. Suetonius enim Tiber. cap. 20. ædis dedicationem posuit *post triumphum* Tiberii de Pannoniis et Dalmatis, quem gestum esse an. 765. (æræ Varronianæ) Germanico et Fonteio Cos. Verrii Fasti ad d. 16 Jan. (conf. Fogg. p. 14.) docent. Decretus jam fuerat Dolabella et Sil. Cos. (Dio. lv. 17.) sed, ob civitatem clade Variana mœstam, dilatus. Secundum Suetonium ædis dedicatio post annum 765. caderet, quod jam refutavit Masson. in vita Ovidii, p. 100. ed. Burm. tom. iv. Verrius nunc docet, eodem anno quo pax in Pannonia et Dalmatia composita est, scilicet 762. C. Dolab. et Sil. Cos. ædem dedicatam esse; perperam itaque Suetonium post triumphum *habitum* posuisse, quod statim post bellum compositum factum erat.

Ad *Fast.* iii. 419. (d. 6. Mart.) de Cæsaris Pontificatu annus nunc certus, quo Octaviano traditus est, prodit.

Quod enim antea in anno 740. quo Lepidus mortuus est, ponebant, anno sequente demum factum esse ostendit hæc nota:

Imp. Cæs. Augustus Pontif. maximus factus est, Quirinio et Valgio Cos.

Fast. iii. 812 et 838. (d. 19 Mart.) Ovidio hic dies *Minervæ natalis* vocatur; et kal. Vindob. habet *N. Minerves*, quod autem hoc etiam loco nihil aliud ac primi templi dedicationem designare indicat Verrius, scribens: quod Minervæ *ædis in Aventino eo die est* consecrata, cui consentit Fest. *Scribas* et *Quinquatrus*. Nam et alibi templorum dedicatorum anniversaria Natales vocari solent V. C. dies 15 Maii, ubi templum Mercurio exstructum esse tradunt; Ovid. v. 669; cf. Liv. II. xxi. 27; in kalend. N. Mercurii vocatur et Martialis canit:

Maiæ Mercurium creastis Idus.

Fast. iii. 849. de Tubilustrio et Verrius et Lydus (p. 85.) lectionem quorumdam codd. et Heinsii explicationem aperte vindicant. Plurimi ibi legunt:

Summa dies e quinque tubas lustrare canoras
Admonet, et forti sacrificare *Deæ;*

quod ad Minervam referebant. Alior. lectionem *Deo* jam Heins. ad Martem referri voluit. Accedunt nunc duo testimonia; Verrius: *Feriæ Marti;* Lydus: καθαρμὸς σάλπιγγος, τιμαὶ Ἀρέως καὶ Νερίνης.—De loco Tubilustrii Varro confirmatur.

Fast. iv. 354. (ad d. 4 Apr.) Heinsii viri magni acumen in re graviori dijudicanda novis accedentibus testimoniis vindicatur; versus enim 353—356 quum ita legerentur:

Cur vicibus factis ineant convivia, quæro
Tum magis, indictas concelebrentque dapes.
Quod bene *mutarit* sedem Berecynthia, dixit;
Captant *mutatis* sedibus omen idem;

Heinsius non habens, ad quod referret τὸ *mutarit*, et e

Gellio ii. 24; et xviii. 2. hæc convivia nobilium Megalensibus ludis celebrata peculiari et solemni nomine *mutitationes* vocari videns, hanc vocem obscuriorem, sed in hac re solemnem more suo hoc loco Ovidium exponere censuit, et reponens pro *tum magis* vocem *mutuita* ad hanc referri voluit τὸ *mutarit*.—Vere eum conjecisse, verisimilius fit novo de usu hujus vocis accedente testimonio. Verrius enim fere iisdem verbis ac Ovidius, quæ integra in lapide supersunt.

Ludi M. D. M. I. Megalensia vocantur, quod ea Dea Micale appellatur. Nobilium *mutitationes cœnarum* solitæ sunt frequenter fieri, quod Mater Magna ex libris Sibyllinis arcessita locum *mutavit* ex Phrygia Romam. Quod si præterea observaris, ut fere in omnibus explicationibus Ovidius cum Fastorum commentationibus conveniat, et non raro ab iis pendeat, vix de veritate lectionis, quam Fogginius hoc loco affert, dubitabis. Quum enim *mutitationes* et *mutitare* vix a mutuus esse possit, sed potius frequentativum verbi *muto*, ut O et V indicare videntur, pro *mutuita*, quod Heinsius voluit, *Mutita* legendum censeo, ut *convivia mutita* idem sit, quod *mutitationes cœnarum* apud Verrium, et sequentibus versibus Ovidius obscuram hanc vocem illustratum eat. E contextu eam excidisse vix mireris, quum in Gellii locis eadem lectionis varietas sit. Verrius omnes vindicat.

Fast. iv. 378. Fortunam Publicam sacratam ait in colle Quirinali his versibus:

> Qui dicet, quondam sacrata est colle Quirini
> Hac Fortuna die Publica, verus erit.

Verrius ad d. 5 April. Ludi Fortunæ publicæ citerio... in colle; eumque supplens Fogginius legi vult *citeriori*, sed ad Fortunæ Publ. referri. Fortunam citeriorem autem eamdem esse vult, quam Plut. Quæst. Rom. 73. βρέβεμ vocat, id est, brevi obventuram, brevi necessariam, hujus diei. Sed *citeriorem* Fortunam absolute ita usurpari

posse, vehementer omnino dubito, et quum alia explicatio, qua *citeriori in colle* jungantur, præsto sit; dubito an illa unquam admitti possit. Præterea Ovidius nihil tale habet, et potuit hæc Fortuna nude Fortuna Publica vocari. *Ad Fast.* v. 739.

> Nec te præteream, populi Fortuna potentis
> Publica, cui templum luce sequente datum,

ubi Kalendaria, tum *Fortun. public. PR. in colle*, tum *Fortun. prim. in colle* legunt, luculenter ex altero loco quidem apparet hanc notam PR. legendam esse *primigeniæ;* sed Ovidium idem designasse hac circumlocutione *populi potentis*, cum Fogginio mihi persuadere non possum, et credere malo Ovidium easdem notas PR. in kalendario suo repertas legisse *Populi Romani*, et ita versui intexuisse.

Taceo cætera loca, ubi Verrius Ovid. supplet, v. c. ad d. 23 et 24 Mart. ad 1 et 23 April. et alios dies, quum et infra quædam in subsidium vocanda sint.

Alius, quem Fogginii liber laudatus præstat, usus cernitur in fastorum veterum, ut nusquam antea exstabat, collectione plena et integra, quam cum illustratione uberiore, commentario in Verrium adsuit. Quæ tabulæ quum arctissimo vinculo cum Ovidii carmine, quod in iis interpretandis versatur, cohæreant, eo magis dolendum est, fragmenta eorum casu quodam ingrato, in prioribus mensibus, quos Ovid. describit, præ aliis manca esse, quum uberiores eorum adnotationes in mensibus Augusto et Septembre exstent, e quibus quasdam, speciminis causa, ex Augusto mense descripsi et in fine adjunxi. Quum tamen non raro et in prioribus laudanda sunt hæc fragmenta ut ut pauca, præcipua eorum hoc loco attingenda putavi.

1°. Kalend. *Maffæiorum*, ita dictum, quod in ædibus Maffæiorum primum patere cœpit; ut perhibetur, anno 1524. ad campum Floræ repertum. Præ aliis minus man-

cum est, et omnes anni menses complectitur, brevioribus tamen cum notis. Marmori inscriptum videtur sub Tiberio.

2°. Kalend. *Capranicorum*, sub quo nomine sæpius editum est. Supersunt nonnisi Augustus et September, sed uberiore cum adnotatione.

3°. Kalend. *Amiterninum*, e præstantissimis fastis marmoreis, in quod peculiarem commentarium Purpurini habes in Sallengre suppl. ad Grævii antiq. tom. 3. effossum e ruderibus veteris Amiterni in Sabinis (hodie *Aquila.*) Correcte æri incisum est apud Foggin. p. 100. Sex posteriores menses satis integri supersunt.

4°. Kalend. *Antiatinum* e ruderibus theatri Antiatini (*Anzo*) erutum, item posteriores sex menses complectitur, quorum singulis deest decas prima. Inscriptio in superiore tabulæ parte testatur, incisum esse marmor cura collegii libertorum vernarumque domus Augustæ in Antiatino secessu degentium, idque sub Claudii imperio.

5°. *Pincianum* ad montem Pincium erutum, præter literas nundinales et dierum rationes nihil continet. Complectitur menses a Jul. ad Octob. inclusive.

6°. *Venurinum* Maium et Junium complectitur.

7°. *Vaticanum* a Fogginio primum editum continet quosdam Aprilis et Martii dies. Alifanum, Exquilinum, Farnesianum minoris momenti sunt. Suppositi autem, et fere ex Ovidio descripti, quos Mazochius edidit, fasti sex priorum mensium. Kalendarium Rusticum Farnesianum contra Pontederam antiq. p. 393. vindicat Fogginius, p. 104. Supersedeo recensere loca, ubi eorum in Ovidio aliquis usus est, et eorum in gratiam, quibus Fogginii opus, non parvi parandum, non ad manus esset, potius specimen quoddam fastorum inter se comparatorum e mense, qui uberiores notas habet, describere volui.

II. Transeo autem ad aliud qualecumque subsidium, quo ad Ovidii argumentum tamen proxime pertinente, priores interpretes, quorum tempore tenebris adhuc obru-

tum jacebat, caruerunt. Joannis *Laurentii* Philadelphiensis *Lydi* aio opusculum Græcum de mensibus, quod e duobus codd. Barberin. et Vatic. post specimen exhibitum in *Bibliothek. d. Litteratur u. Kunst. Stück*, 7. Lipsiæ edidit Nic. Schow, prof. Hauniensis, 1794. Quam maxime gaudeo, jam pridem Lenzium V. C. in libro laudato, vel ad specimen illud, quod ad hoc argumentum accedere videbat, animum attendisse ejusque loca cum Ovidio comparasse; hujus autem loci potissimum esse putavi, quomodo hoc scriptore in Ovidio utendum sit, paucis adnotare. Congerit hic seculi sexti compilator adversaria sua e multis scriptoribus antea fere ignotis, et, ut multa frivola præsertim sine omni ordine eum exhibere nemo inficias eat, ita passim loca hoc argumentum præclare illustrantia ei deberi concedendum est. Ut fieri solet in ejusmodi hominibus, ea, quæ ipsorum sunt, plerumque quidem vana et inepta reperiuntur, sed servarunt nobis optimorum etiam scriptorum, quos tunc temporis manibus adhuc terebant, sententias et loca, ut ut interdum confusa et turbata, in quibus expediendis haud raro nostrum acumen exercent. In hoc nostro, ut in quo alio, caute versandum erit, quum haud facile aliquis exstet, qui res maxime alienas magis misceat, et quæcumque ei forte succurrebant, sine certa ratione et consilio jungat, ita ut totus liber potius adversariorum undique corrasorum, aliquando digerendorum, quam justi libelli speciem præ se ferre mihi videatur[o]. Maxima ejus commoda omnino redundant ad historiam festorum recentiorum, quæ fere ad ejus tempora pertinebant, ubi inprimis Kalendario Constantini in multis illustrando inservit, v. c. p. 62. de votorum nuncupatione; p. 80. de Mamuralibus; 84. Pelusiis, Hilaribus, etc.

[o] Siquidem V. C. mense Januario, cap. 6. a magnetis et piperis arboris natura, ad ortus et occasus quorumdam siderum, et cap. 7. post Junonis allegoricam interpretationem de Trajani genere et rebus gestis exponit— et cum Esaiæ capite i. ver. 11 sq. commentariis suis in Januarium finem imponit. Omnia, ut certe videtur, sine causa e rei natura oblata.

Sed in Ovidio etiam tum illustrando, tum confirmando magnæ ejus partes sunt, ad suum ubique locum in subsidium vocandæ [p]. H. l. quædam ejus loca pertingam, ubi, quæ diverse ab Ovidii aliorumque auctoritate tradit, non tam diverso suæ ætatis mori, quam turbis ab ipso compilatore ingestis, ubi, quæ ad plures pertinebant, in unam rem cumulabat, tribuerim. Ejusmodi locum jam ad Fast. iv. 635. exhibuisse mihi visus sum. Probabiliter huc pertinet, quæ, p. 71. de Parentalibus exhibet. Bene cum Ovidio aliisque convenit, si ob Manes placandos ab Id. Febr. hora sexta usque ad viii. Kal. Mart. sacra cessare, et principes privato habitu incedere dicit. Ovid. enim ii. 567: *Nec tamen hæc ultra, quam tot de mense supersint Luciferi, quot habent carmina nostra pedes. Ultima placandis Manibus illa dies;* quod bene se invicem illustrat. Sed vix huc pertinet, quod statim subjungit, matronas Romanas eo procedere pudicitiæ, ut in balneis, ne plebeiis mulieribus misceantur, peculiaribus locis (*ματρωνικίοις*) utantur; nam in Parentalibus lavationum nullam mentionem usquam legi; referenda autem hæc nota haud dubie ad d. 1 Aprilis, ubi *humiliores etiam feminas* in balneis lavari omnes annotant. *Lyd.* 91. *Verrius ad* 1 *April.* Sacrificium denique matronarum in honorem Bruti certo non tam ad hunc diem, quam ad Regifugium d. 24 Febr. pertinere, quisque videt, p. 101. ubi Lydus: *πρώτη δὲ ἑορτὴ τοῦ Μαίου παρὰ Ῥωμαίοις αἱ περὶ σεισμῶν ἱκεσίαι;* commutatio videtur cum Kalend. Jun. ad quas Tempestatis ferias refert Ovid. vi. 191. Nonnisi de priore Junii parte, sed de toto Maio Ovidius edicit, quod Lydus de toto Junio, male ibi nuptias fieri, p. 107. *ὁ δὲ Ἰούνιος μὴν ἀνεπιτήδειος πρὸς γάμους*, differentia e duorum mensium permutatione haud dubie nata.

III. In multis scriptoribus etiam *nummos* non raro insigne interpretationis et illustrationis subsidium esse, apud

[p] P. 91. de mulieribus sub myrto lavari solitis; p. 107. de pistorum feriis, et asinorum coronandorum more, etc.

omnes semper in confesso fuit. Magnum eorum in hoc etiam carmine usum fore, quum ad patriam religionem et cætera hujus carminis argumenta sæpissime nummi spectare soleant, et facile existimavi et expertus sum, ad ipsius textus constitutionem aliquam eorum vim esse merito magnopere gaudens. Speciminis causa ex hoc etiam genere loca quædam percensere liceat.

Fast. vi. 803. (*Marcia, sacrifico deductum nomen ab Anco.*) Marcii Philippi generis nobilitatem ab Anco rege repetunt, quam vanitatem gentes in nummis maxime exprimere solebant (Ekhel. tom v. p. 89.) Ut igitur Cæsar (Suet. Jul. 6.) idem de Marciis regibus prædicat, ita nummi gentis Marciæ *Ancum* regem cum *Numa* avo tamquam capita jugata referre solent (Ekhel. doctrin. nummor. t. v. p. 246.)

Herculem Musageten (Fast. vi. 812. Adnuit Alcides, *increpuitque lyram*) probabiliter ad statuam in templo positam expressum nobis affert nummus Pomponii Musæ, exhibens Herculem cum attributis *lyra canentem* c. inscr. *Hercules Musarum.* Ekhel. l. c. tom. v. p. 283.

Fast. iii. 253. Junoni Lucinæ more solemni flores offeruntur:

> Ferte Deæ *flores;* gaudet *florentibus* herbis
> Hæc Dea, de tenero cingite flore caput.

Flores autem ejus attributum fuisse e nummo Lucillæ videmus, ubi stat Lucina dextra extenta *florem*, s. infantem tenens: et nunc patet, quid sibi velint flores opere musivo expressi in pavimento, quod e ruinis templi Lucinæ erutum tradit Foggin. Comm. p. 21.

Lares præstites, ut ab Ovid. v. 129. descripti sunt, exacte exhibet nummus gentis Cæsiæ. *Vejovis* (Fast. iii. 433.) cum capra adstante, ita tamen ut fulmen adsit, contra Ovidium, in gentis Fonteiæ denariis habetur.

Juno Sospita (quæ in nummis Sispita scribi solet, unde, an etymologia a sospes, sospitare, vera sit, dubitari potest)

Fast. ii. 55. in denariis Prociliæ, *Juno Moneta* (Fast. vi. 183.) in nummis gentis Carisiæ exstat.

Ad Fast. iv. 945. in fine, ubi vide notas argumenti historici ad instar *nobis est nummus* Servilii, vide Ekhel. loco ibi citando.

Sed omnium fructuosissimum haud dubie est, si uno in loco jam Ekhelius, vir magnus (tom. v. p. 276.) lectionis vindicandæ viam e nummo ostendit.

Fast. vi. 651 sqq. (cf. Liv. ix. 30; et Val. Maxim. ii. 5. sec. 4.) Ovidius originem Quinquatruum minorum expositurus, tibicines Romanos aliquando jura quædam sibi ademta ægre passos Tibur exsulasse, canit; alterius censoris autem astutia, quum religio ejus rei senatum teneret, potos in plaustro noctu in urbem invectos esse: ver. 683. ita pergit:

> Jamque per Exquilias Romanam intraverat urbem;
> Et mane in medio plaustra fuere foro.
> *Callidus*, ut possent specie numeroque senatum
> Fallere, personis imperat ora tegi.
> Admiscetque alios: et ut hunc tibicina cœtum
> Augeat, in longis vestibus ire jubet.
> Sic reduces bene posse tegi, ne forte notentur
> Contra *Collegæ* jussa redisse *sui*.

Duo in censura collegæ tunc fuere, Appius Claudius et C. Plautius; Liv. I. c. Versu 690. sub *collega* qui, ne irritum faceret consilium, timetur, haud dubie Appius Claudius intelligendus; cf. v. 663. Alterius nomen in vulgatis deest, sed e varia lectione *Cautius* pro *Callidus* jamdudum Pighius e conjectura restituerat *Plautius*, quod unice sensum præbebat, quum nomen proprium ibi necessario desideraretur. E gentis Plautiæ nummo (vid. Ekhel. l. c.) quem ipse in Museo, quod Cassellis est, inspexi, ubi ad lepidam hanc catastrophen alluditur, vix dubium manere poterit, Plautium tunc restitutæ pacis et piæ fraudis auctorem fuisse, et Pighii conjecturam unice rectam veramque esse. Habet nummus in Ant. *Personam mulierem*, in-

script. *L. Plautius;* in averso exstat Aurora alata quatuor equos ducens; inscribitur *Plancus.* Persona muliebris ad jocum a se excogitatum, Aurora ad tempus catastrophes alludebat, et a dignitate gentis non alienum erat, nummis incudere casum aliquem, qui festi alicujus Romanis origo factus erat, quod gentes semper magno sibi honore ducere, et in nummis celebrare solebant.

EXCURSUS III.

DE ORTIBUS ET OCCASIBUS SIDERUM IN OVIDIO NOTATIS, DEQUE FASTIS SIDERALIBUS GRÆCORUM ET ROMANORUM.

I. Eo majore ego cum voluptate huic carminis nostri parti immoror, quæ ad rem astronomicam pertinet, quo pauciores harum literarum cultores, etsi veterum scriptorum intelligentia probabilem hujus disciplinæ cognitionem omnino flagitet, hac etiam ex parte rerum cognitione interpretationem adjuvare solent. Magnorum philologorum et interpretum, Heinsiorum, Burmannorum aliorumque, quorum commentarii frequenter manibus triti sunt, exemplum, qui his rebus explicandis dijudicandisque plerumque supersederunt[q], non parum nocuisse, in promptu est. Quamvis alia fortasse earum disciplinarum causa sit, quæ a veteribus quidem peculiaribus libris traditæ, minus tamen ad alios omnes scriptores pateant (v. c. medicina, architectura, etc. in quorum scriptoribus quædam ignorare philologo non adeo crimini vertendum esset, quum magis per se valeant, minoremque et in aliis scriptt. vim habeant) contra historiæ naturalis et astronomiæ probabili notitia in veteribus scriptoribus non facile carere posse dixerim.

Ne enim dicam de cœli cognitione, sine qua geographo-

[q] Vid. v. a. Heinsium et Burmannum ad Fastos.

rum veterum nulla est intelligentia, quæ in philosophis frequenter desideratur, in mythologis denique atque poetis mythicis, qui signis cœlestibus fabulas suas adnectunt; *siderum ortus et occasus annui* ad anni tempora indicanda ita ab omnibus scriptorum generibus recepti sunt, ut quorumdam, præsertim scriptorum rei rusticæ, sine eorum cognitione nulla omnino intelligentia sit[r]. Et re vera priscis illis hominibus, præcipue Græcis, in felici terræ regione per octo fere anni menses sæpe noctes diesque, dum negotiis agrestibus et gregum tutelæ operam dabant, sub dio degentibus cœli splendidum spectaculum nimis se ingessit, quin ad sidera illa animum intendere, splendidiora dignoscere, et certa, quibus in cœlo conspiciantur vel aufugiant, tempora observare debuissent. Et ita jam Hesiodi ætate ad splendidiorum siderum ortus et occasus negotia rustica distribui, anni partes majores distingui, jam apud Homerum navis cursum ad astrorum situm dirigi, cœlique regiones inde noctu dignosci videmus[s]. Sine ulla autem de cœli natura deque causis hujus motus cognitione, et absque observationibus accuratioribus eam, quam diximus, siderum observationem cogitari posse et per se patet, et contra *Bailly* jam multi adseruerunt. Quatenus in oculos incurrebant, ortus et occasus tunc in cœlo notabantur, de sphæræ descriptione et notatione in παραπήγμασι nullum adhuc vestigium.

II. Thales primus astronomiam sphæricam et sphæræ constructionem in usum vocare debuit, siquidem ad eum primum ea refertur laus, Vergiliarum exortum non appa-

[r] Aristoteles ita sæpissime temporum notationes a sideribus petit. Hist. anim. viii. 15. de thunnis: καὶ ἄρχονται θηρεύεσθαι ἀπὸ πλειάδος ἀνατολῆς μέχρι ἀρκτουροῦ δύσεως τὸ ἔσχατον; viii. 14. *de quibusdam insectis*, ἡσυχάζουσι δὲ ἀπὸ πλειάδος δύσεως μέχρι τοῦ ἔαρος, et ita sæpissime. Ipsi rerum scriptores hac temporum notatione sæpe utuntur, et plura ejusmodi exempla exstant apud *Thucydidem* et *Polybium*.

[s] Odyss. v. 271. Hesiod. ἔργ. 383. 564. 597. 609. 614. Antiquissimum Jobi carmen apud Hebr. novit Pleiadas, Hyadas, Orionemque, ix. 9. et draconem septemtrionalem, cap. xxvi. 14.

rentem tantum et heliacum, sed cosmicum et verum exposuisse, et post ejus tempora, accedentibus aliis etiam, quæ ex his ortibus et occasibus notandis sperabantur, commodis, certo et artificiose reliquorum etiam siderum tempora notata esse invenimus. Cernebantur hæc commoda in anni tempestatum variarum ex siderum motibus præsagio, tum ad agriculturam, tum ad omnem vitam utilissimo. Meteorologi enim, sicut hodie id agunt, ut e lunæ diversis vicibus tempestatum mutationes præsagiant, tunc temporis omnes aeris mutationes et temperies, ventos, pluvias, etc. cum certis siderum ortibus et occasibus conjunctas esse, et re vera ab iis pendere, arbitrabantur; atque tempestates ita æque ac siderum motus certo suo tempore redire et prædici posse credebant.

Maximam hæc res ad popularem usum vim habuit. Celeberrimi igitur ejus temporis astronomi, rationibus ad astronomiam sphæricam subductis, singulis diebus tum certos siderum ortus et occasus, et veros et apparentes (ut kalendaria ex iis excerpta docent;) tum certas tempestates cum iis conjunctas, quatenus experientia docuerat, adposuerunt. *Meton, Eudoxus*, Euctemon, Democritus, Calippus, Dositheus, nomina illa celebria fuere, in quorum observationibus, non eorum solum tempore sed et postea, plurimi e Græcis et Romanis ob singularem utilitatem, etsi ob ævi et situs diversitatem minus convenirent, acquiescere soliti sunt[t]. Ut in fastis postmodo Romæ factum est, ita tabulæ, in quibus hæc notata fuere, in Græciæ urbibus publice expositæ et adfixæ erant (unde *παράπήγματα*,) et, ut e Theone[u] videtur, non singulorum tantum sed undeviginti

[t] Valet de his observation. quod alia de re Festus Avienus Progn. 45: "Illius ad numeros prolixa decennia rursum Adjecisse Meton Cecropia dicitur arte: *Inseditque animis*, tenuit rem Græcia sollers Protinus, *et longos inventum misit in annos.*

[u] Theo ad Arati Phæn. *οἱ δὲ μετὰ Μέτωνα ἀστρονόμοι καὶ πίνακας ἐν ταῖς πόλεσι ἔθηκαν περὶ τῶν τοῦ ἡλίου περιφορῶν τῶν ἐννεακαιδεκαετηρίδων, ὅτι καθ' ἕκαστον ἐνιαυτὸν τοιόσδε ἔσται χειμὼν, καὶ τοιόνδε ἔαρ, καὶ τοιόνδε θέρος, καὶ τοιόνδε φθινόπωρον καὶ τοιοῖδε ἄνεμοι καὶ πολλὰ πρὸς βιωφελεῖς χρείας τοῖς ἀνθρώ-*

annorum, qui cyclum sub Metonis nomine circumlatum efficiebant, tempestates sideribus suis adsignabant et prædicebant. Servatus etiam erat mos, in præceptis rusticis singulorum negotiorum tempora non ad menses eorumque dies, sed ad siderum ortus et occasus præcipere, et postquam rustici in ipso cœlo observare desierant, harum tabularum ope cujusvis sideris ortus et occasus reperiebant, et ad mensis dies referebant. Observatio harum tabularum, etsi non rigorosa, tamen sæpe accurata erat, ut jam Pfaffius[x] monuit, qui etiam criticæ ope in contextu parapegmatum interdum corrupto veritatem restituendam esse docuit.

Duo sunt antiqua parapegmata magnæ auctoritatis, quæ observationes illorum astronomorum, nomine plerumque laudatorum, nobis servarunt. Alterum est Ptolemæi (Petavii Uranolog. p. 94.) et inscribitur *φάσεις ἀπλανῶν ἐπισημασιῶν*, vel *φάσεις ἀπλανῶν καὶ ἐπισημασίαι*, quod jam a Suida laudatur. Singulis mensium diebus ortus et occasus ex variorum auctoritate cum *ἐπισημασίαις* adsignat; hoc tamen proprium habet, quod et scholion indicat, non omnes ibi stellas, sed primæ tantum et secundæ magnitudinis, indicari; Vergilias, Hœdos et ejusmodi minores exclusas esse. Fructuosissima ejusdem nota est, qua de auctoribus, unde conflatum est, et de regionibus, ubi singuli observabant, exposuit. Alterum est *Gemini* (Petav. Uranol. p. 64.) illi subsimile, ita tamen ut sidera non mensis diebus, sed signorum Zodiaci partibus adscripta sint. Tertium, a *Leonico*

ποιϛ. Si enim accuratius quæreretur, undevicesimo quoque anno, quo Metonis cyclus incœpit, cum iisdem ortibus easdem tempestates redire credebant. Brevius spatium ponens Plin. xviii. s. 57. coll. ii. s. 48. quarto quoque anno easdem redire ex Eudoxo tradit. Omnium si libet *minimos* ambitus, redire easdem vices quadriennio exacto Eudoxus putat, non ventorum modo, verum reliquarum tempestatum magna ex parte; conf. Columella, libro III. vi. sec. 4.

[x] In libro egregio, quo omni huic argumento præclare lucem adtulit: *De ortibus et occasibus siderum apud auctores classicos commemoratis Commentatio, Gottingæ* 1786. *præmio ornata.*

quodam Latine versum, e pluribus compilatum et sine auctoritate Petavio videtur. *Aetii Amideni* medici παράπηγμα (Petav. 421.) eas tantum aeris mutationes, quæ ad ægrotorum statum aliquam vim habere credebantur, excerpit. Usum eorum in Romanorum fastis rusticis, qui toti ab iis fere pendent, explicandis et dijudicandis maximum esse, patet.

III. In hac etiam re, Græcis præeuntibus, Romani rustici eadem parapegmata, ad quæ negotia rustica componerent et unde tempestates prævideriant, quotidiano usu terebant, et Ovidius, in carmine suo condendo, hos fastos rusticos cum urbanis, qui raro siderum mentionem injiciunt, conjunxit. Accedebat autem in his alius adhuc usus, feriarum scil. rusticarum publicorumque sacrificiorum notationes, quem tamen usum Græcis etiam parapegmatibus fuisse, conjicere licet e Colum. IX. xiv. sec. 12: *Verum in hac ruris disciplina sequor nunc Eudoxi et Metonis, antiquorumque fastus astrologorum, qui sunt aptati publicis sacrificiis.* Mutato horizonte et tempore veritas eorum nulla erat, sed etiam post Cæsaris accuratiores calculos semper adhuc in usu manebant, et in normam negotiorum rusticorum adhibebantur. Pergit Col. l. c. *Quia et notior est ista vetus agricolis concepta opinio; nec tamen Hipparchi subtilitas pinguioribus, ut aiunt, rusticorum literis necessaria est.* Ex iis autem *kalendaria rustica sideralia* ut apud Colum. xi. 2; Plin. xviii. 25 sqq. Quinctilios apud Geop. I. ix. p. 39. exstant, conflata sunt, omniaque præcepta Plinii, Columellæ Virgiliique, si tempus indicandum est, non anni menses, sed siderum occasus et ortus spectant. De ipsius autem cœli observatione tunc non cogitabatur in rustico, et Plin. xviii. s. 60. 65. 67. *indocilem cœli agricolam* ad folia decidua tamquam Pleiadum occidentium signum, cicindelas autem lucentes, sidera illa terrestria, ut cœlestium contemplatione careant, tamquam solstitii appropinquantis signum attendere jubet. Virgilium (Georg. i. 257.) etiam, qui præcipit:

Nec frustra signorum obitus speculamur et ortus,
Temporibusque parem diversis quatuor annum;

potius hoc sibi velle, ut horum fastorum usum commendet, quam ipsa sidera observare jubeat, egregie ad h. l. notavit Voss. Quin ex his ipsis tabulis, quibus auctorum nomina probabiliter, vel in titulis, vel in singulis observationibus adscripta erant, *astronomi illi duumviri* Conon et Eudoxus[y], *quos* Virgilii pastor poculo insculptos habuit, pastoribus et agricolis innotuisse poterant. Ecl. iii. 40:

In medio duo signa, Conon et quis fuit alter,
Descripsit radio totum qui gentibus orbem,
Tempora, quæ messor, quæ curvus arator haberet.

IV. Præter Græcorum et Alexandrinorum observationes, aliæ etiam in Italia institutæ accesserant, verbi c. Cæsaris apud Plinium sæpe satis exactæ, et fasti plerumque et Græcas et Romanas junctim exhibere solebant. Plurimas vett. observationes, quoad veritatem astronomicam egregie et exacte ad Petavii fabulas propriosque calculos discussit, et horizonti ævoque suis reddidit ill. Pfaff. l. c. Priusquam vero simili ratione in quibusdam Ovidii locis ad veritatem astronomicam revocandis versabimur, et, quid de iis judicandum sit, videbimus, paucis *de ortuum et occasuum* apud veteres *diversis generibus,* et de veritatis astronomicæ probabiliter quærendæ ratione dicendum est. Veteres enim Græci ante Thaletem (vide supra) apparentes nonnisi ortus occasusque spectabant et ita nonnisi dividebant, ut ortum (ἐπιτολὴν) et occasum (δύσιν,) vel matutinum, vel vespertinum esse indicarent[z]. Quum

[y] Eudoxum autem esse illum, cujus nomen non suppetit canenti, ob celebre, quod ejus fasti apud rusticos habebant, nomen neminique secundum, fere exploratum est. Vide Lucanum, Phars. x. 187.

[z] Ἐπιτολὴν, id est annuum ortum, vel quando sidus primum in cœlo apparet diligenter distingui vult Geminus (c. xi.) ἀπὸ τῆς ἀνατολῆς, id est, ortu quotidiano post solis occasum. Δύσιν item ἀπὸ τῆς κρύψεως, quæ tamen voces sæpius commutantur, ut passim reperies.

vero ortus apparentes et veros discernere didicissent, ita eos divisos et appellatos esse constanter invenimus:

Ortus matutinus verus, i. e. cosmicus.
———— apparens, i. e. heliacus.
—— vespertinus verus, i. e. acronychus.
———— apparens.
Occasus matutinus verus, i. e. cosmicus.
Occasus matutinus apparens.
Occasus vespertinus verus, i. e. acronychus.
Occasus vespertinus apparens, i. e. heliacus.

ubi hoc universe tenendum est:

1°. Mane veros ortus multis sæpe diebus præcedere apparentes. 2°. Vesperi apparentes præcedere veros. Astronomi Græci, et Columella, et Plinius semper, ut necesse est, sive ortus matutinus, sive vespertinus, interdum etiam sive cosmicus, sive heliacus, sive acronychus sit, annotant. Ovidius raro, sæpe falso, sæpe ambigue, uter ortus occasusve sit, indicat, et videbimus infra eum vix ipsum hanc differentiam, utut maximam, novisse, vel expressisse. Penes interpretes igitur manet semper investigatio, quale ortus genus in singulo loco accipiendum sit; et non mirum est sæpe eos in diversa abire, siquidem sine calculo et tabula nihil nisi globum aliave kalendaria in consilium vocaverant. Non solum ad hoc videndum, sed universe ad veritatem astronomicam dijudicandam, expeditissimam sane viam aperuit et cuivis patentem calculorum etiam imperito *Petavius,* tabulis condendis, in quibus multis iisque notissimis stellis ortus occasusque cosmici, heliaci, acronychi ad Romæ et Alexandriæ horizontem, cum signorum Zodiaci partibus, in quas anno primo Juliano incidebant, adsignati sunt. Uranolog. var. Diss. p. 58—61. His signorum partibus ad mensis dies, quibus tunc temporis respondebant secundum laterculum, quod p. 57. præmisit, relatis, accurate intelligi potest, quando quæpiam stella anno primo Juliano, vel Romæ, vel Alexandriæ orta sit,

vel occiderit, unde, quale ortus occasusve genus in Ovidii aliorumque notationibus intelligendum sit, quatenus ad veritatem astronomicam accedant, vel denique an negligentiæ, vel Ovidius, vel ejus auctores culpandi sint, judicari potest. Quam fructuosa sit hæc via, quam jam Petavius exposuerat, ad criticum rei studium, luculenter laudatus iii. Pfaffii liber ostendit, qui tamen numerorum typis expressorum accuratam castigationem passim in suspicionem vocavit, et semel in locum incidit, qui aperte falsus erat (p. 95.) Quædam etiam signa in Ovidio obvia, Aquarius et Pisces ibi desunt, et ex accessione horizontis Atheniensis, qui ibi sæpe desideratur, magnum haberet incrementum illa Petavii tabula.

Quas igitur Ovidii notationes singulas si quis ad tabulas illas exiget, advocatis aliis kalendariis sideralibus, ad unum horizontem unumque ævum omnes nullo modo revocari posse, alias ad Romanum, alias ad Alexandriæ horizontem pertinere, eumque modo Græcas modo Romanas auctoritates sequi, statim intelliget. Non enim cum Pontedera[a] consentiri potest, qui eum maxime fastis Cæsaris, qui postea sub Augusto emendatius prodierunt, usum esse voluit, quod nonnisi quibusdam in locis, ubi vere cum ævo Juliano et Romæ horizonte convenit, concedi potest. Verisimillimum erit et maxime consentaneum rationi, qua Ovidius in omni hoc argumento versatus est, ipsum usum esse fastis, quales Plinii et Columellæ sunt, ubi ortus et occasus *secundum varias plagas annotati*[b] erant, et inde pro lubitu et ut carminis rationes admittebant, notissimorum siderum apparentias modo huic, modo alii horizonti adscriptas in carmen suum transtulisse. Luculentius hoc

[a] Pontederæ Antiqu. Latinarum Græcarumque enarrationes atque emendationes, *præcipue ad veteris anni rationem attinentes.* Patav. 1740. Qui vir post Cæsarem aliud kalendarium emendatum et Italiæ magis adaptatum esse censet, quum Plinius interdum Italicam rationem Cæsaris auctoritati opponat.

[b] Ita Plin. semper xviii. s. 66. iii. nonas April. in *Attica* Virgiliæ vesperi occultantur. Eædem postridie in Bæotia: Cæsari et Chaldæis Nonis.

mihi arguere videntur ea loca, ubi ejusdem stellæ idem ortus bis diversis diebus adscriptus est, et ita ut alter accurate ad Romæ, alter ad Alexandriæ horizontem pertineat. Accidit hoc in Delphini *ortu acronycho*, qui vi. 471. diei 10 Jun. adscribitur (in quem idem ortus Romæ incidit, ad Petavium Gem. 17°, 0 = d. 10 Jun.)

Navita puppe sedens, Delphina videbimus, inquit;
Humida quum pulso nox erit orta die.

Postea repetitur die 17 Jun. quod ad Alexandriæ horizontem pertinet. (Gem. 25°, 2 = d. 18 Jun. quod uno die differt.) vi. 720:

Continua delphin nocte videndus erit,

quod et h. l. de ortu acronycho intelligi debet. Similia fere loca sunt, v. 733. et vi. 235. (vide Pfaff. p. 74 et 75.) ubi Bootæ occasus matutinus bis repetitur, et semel ad Romæ, semel ad Græciæ horizontem pertinet, et eodem modo se habebit *cum Lyræ et Reguli* occasibus, alio nomine postea laudandis, quos i. 654. d. 23 Jan. et iterum ii. 75. d. 2 Febr. adscribit, ubi in Kalendario, quod ante oculos habuit, iidem occasus bis, sed secundum diversos horizontes adnotati fuere. Ad Ovidii autem imperitiam in his ortibus et occasibus carmini suo intexendis, jam pridem Kästnerus aliquando digito intendit (*Kästnersches Mancherley astronomisch-philologischen Inhalts in d. neuen philol. Bibliothek.* B. II. St. i. p. 7 sqq.) et Ovidium, quid intersit inter ortum et occasum, vel *matutinum*, vel *vespertinum*, non solum neglexisse, sed forte ne scivisse quidem, et locus a Kästnero ibi expositus et multi alii, ubi aperte alterum alteri substituit, luculenter arguunt. Utrumque autem vere toto cœlo differre nemo ignorat, vel inspecto globo deprehendet; i. 311:

Ergo ubi nox aderit venturis tertia nonis,
Sparsaque cœlesti rore madebit humus;
Octipedis frustra quærentur brachia Cancri;
Præceps occiduas ille subivit aquas.

Aperte occasum vespertinum verbi innuunt. Occasum autem *matutinum* dicendum fuisse omnes viderunt. Pro *aderit* autem rescribere *abiit*, etsi Latinum foret, nec ob sequentem versum licet, qui vesperam innuit, nec hic error semper recurrens concedit.

I. 653. (d. 23 Jan.) Occasus Lyræ *vespertinus* cum occasu Reguli *vespertino* jungitur. Toto cœlo hos differre ne verbo quidem indicatur, et ubi iidem occasus junctim recurrunt (causam supra tentavi) ii. 57. verba ejus aperte indicant, poetam utramque stellam toto cœlo distantem simul occidere, credidisse:

> Illa nocte aliquis tollens ad sidera vultum
> Dicet: Ubi est hodie, quæ Lyra fulsit heri?
> Dumque Lyram quæret, medii quoque *terga* Leonis
> In liquidas *subito* mersa videbit aquas.

Vertere liceat, quæ Kästnerus l. c. egregie disseruit: Si quis frustra Lyram quæsiverat, idque, ut apparet, in cœli parte vespertina, converti hunc nonnisi oportebat, ut orientem videret: poeticę igitur, non *mari immersum*, sed *emergentem* e mari videbat. Quod si noctem pervigilare voluisset, mane quidem Leonis occasum spectare poterat. Etsi autem nox ineunte Februario pervigilata non æque longa est in Italia, ac forte Gottingæ fuerit, dubito tamen, an etiam Romæ de integræ noctis intervallo *subito* dici queat. Et patebit ita, Ovidium, *Lyræ et Leonis occasum simul cerni*, vere credidisse. Occasum ibi duplicem esse, interpretes breviter adnotarunt, etsi vix aliquis inde sensum loci satis percipiat: *Eo magis exponendum esset, quam præter naturam passim depinxerit poeta, in cujus descriptionibus alibi non legere, sed ipsam naturam intueri nobis arbitramur.* Haud dubie stellas nonnisi e libris, cæteras res ex ipsa natura cognovit, et defuit una e virtutibus, quas in Astronomis laudat:

> *Non Venus*, et vinum sublimia pectora fregit.

De aliis locis monere liceat, ubi eadem est utriusque

ortus commutatio, quæ lectorem facile in errorem inducat. Fast. iv. 165—170:

> Nox ubi transierit, cœlumque rubescere primo
> Cœperit, et tactæ rore querentur aves;
> Semustamque facem vigilata nocte viator
> Ponet, et ad solitum rusticus ibit opus;
> Pleiades incipiunt humeros relevare paternos, etc.

Fusa descriptione tempus matutinum indicat, ubi vespertinus est occasus. Cf. Pfaff. p. 63 et 64.

Fast. v. 545. Noctem contrahi et aufugere solito citius sidera canens, ut mox pulcherrima Martis appareat lux, his verbis utitur:

> Sed quid et Orion et cætera sidera mundo
> Cedere festinant, noxque coarctat iter?

ita ut Orion, mane occidens, occasum festinare videatur; sed jam *die* 9 *April.* Fast. iv. 387. primæ ejus partes vesperi occiderant, ut Ovidius ibi explicandus est e Plinio: Non. Apr. "Orion et Gladius ejus incipiunt abscondi," et die 11 Maii reliquæ ejus partes secutæ erant Fast. v. 493 et 494. (cf. Pfaff. p. 84.) ita ut ne vesperi quidem, nedum per noctem et *mane*, quod Ovidius vult, ullum Orionis vestigium in cœlo esset, quatuor diebus post occasum ejus vespertinum: *Locus luculenter ejus imperitiam arguens!*

Cf. insuper iii. 403. quæ huc etiam pertinent. Majoris fere momenti sunt ea loca, ubi occasum etiam et ortum commutari nullum dubium est. In his etiam locis raro poetam emendandum censerem, et potius vitium interdum ejus negligentiæ, vel vitiis in ejus fontibus tribuerim, ubi facile voces semper recurrentes *oritur* et *occidit* passim commutatæ esse poterant[c].

[c] Nusquam fere frequentius librariorum oscitatione commutationes et depravationes admissas esse quam in locis, ubi verba quædam pauca frequenter recurrunt, dudum a criticis observatum est. Et hodie hæc critica in parapegmatibus Græcis exercenda est, ubi verba ἐῴος, ἑσπέριος, δύνει,

1°. IV. 903. (die 25 Aprilis) Aries dicitur occidere:

Et frustra pecudem quæres Athamantidos Helles.

Occasus acronychus (Aries 12°. 45.) valde inde dissentit, quum in die 4 Aprilis incidat, *ortus heliacus*, quem huic substituendum putat Pontedera, propius accedit, quum sit in Ariet. 22°, 8 = d. 13 April. Attamen haud inde sequitur, locum emendandum esse cum viro laudato,

Nec frustra pecudem quæres, etc.

Cæterum Græcus auctor concivit cum Ovidio: apud Gem. ad Taur. i. *qui dies fere convenit*, legitur. Καλλίππῳ ὁ κριὸς λήγει ἐπιτέλλων, id est, desinit oriri, sive partes extremæ asterismi oriuntur, quum dies modo scriptus 13 April. ad lucidam in capite Arietis, prius orientem, pertineat.

2°. Majoris momenti locus, iii. 405. (d. 5 Mart.) Arctophylax dicitur *mane occidere*, ut aperte verba loquuntur:

Quum croceis rorare genis Tithonia conjux
Cœperit, et quintæ tempora lucis aget;
Sive est *Arctophylax*, sive est piger ille Bootes
Mergetur, visus *effugietque* tuos.
At non effugiet *Vindemitor*.

Substituitur *occasus matutinus ortui vespertino*, in quo omnes consentiunt. Euctemon, qui item Arcturum et Vindemiatorem jungit; Pisc. 12: Εὐκτήμονι ἀρκτοῦρος ἐπιτέλλει, καὶ προτρυγήτηο ἐκφανής. Ptolemæus haud dubie ex eodem d. 5 Mart. ἀρκτοῦρος ἑσπέριος ἐπιτέλλει. Plin. xviii. 26. 8 Kalen-

καὶ ἐπιτέλλει semper recurrunt. Aperta commutatio in Gemino Piscium 14: Εὐκτήμονι ἵππος ἑῷος δύνει, quod mutandum esse in ἑῷος ἐπιτέλλει omnes rationes postulant. Gaudeo idem animadvertisse Pontederam, p. 405. qui eodem modo medetur. Ita etiam in lib. iii. Fastorum, duo carmina 449. 450. intelligenda sunt et explicanda. Facilior tamen fortasse emendatio foret, si ἑσπέριος δύνει legatur, quod æque verum est, et a Ptolemæo d. 5. 7. 9. Martii adscribitur, ὁ κοινὸς ἵππου καὶ Ἀνδρομέδας ἑσπέριος δύνει, quum ἑσπέριος et ἑῷος facilius commutari poterant. Vide emendationes Ill. Pfaffii, p. 81. not. quas inter hanc etiam amplectitur. Pares errores sæpe notat Petavius Diss. p. 90. C. Firmicus pro occasu ortum scripsit, viii. 14. p. 91. A. Idem Plinium emendat: *emergitur* pro *immergitur*.

dar. Mart. hirundinis visu et postero die Arcturi *exortu vespertino*, qui cum Eudoxo facit. Ad amussim autem Petavius cum Euctemone, in cujus tabula *acronycte oritur Pisc.* 13°. 32=*d.* 5 *Mart.*

Idem video animadvertisse Pontederam, qui astronomicas rationes ne respexit quidem, p. 405. Quam Taubnerus tentat, medela, ut, interrogationis signo post *tuos* posito, locus negetur, vix mentionem meretur. Aperte inter vitia a poeta admissa referendus est locus, et probabiliter fastos, quos sequebatur, male legit. *Occasum* enim *matutinum*, quem in hunc diem male posuit, recte describit v. 733. (d. 26 Mai.)

Auferat ex oculis veniens Aurora *Booten;*

consentiente Petavio, qui eumdem ad Gem. iii. 16. adscribit et fere Columella: xi Kalend. Jun. *Arcturus mane occidit:* cf. Euctem. in Gem. Ovidius maxime ad veritatem accedit.

3°. iv. 904. (d. 25 April.) Canis traditur oriri:

Signaque dant imbres; exoriturque Canis;

ad quod sidus placandum Robigalia instituta dicuntur. Occasum heliacum, sive vespertinum apparentem substituendum esse, ita ut festum celebraretur, quum primum Sirius in cœlo apparere desierat, omnes viderunt. *Occasui* enim sideris vis perniciosa in fruges tribuebatur; vid. Plin. xviii. 29. Ad Petavii tab. occidit heliace Taur. 5°. 31=28. d. April. cum quo convenit Plin. Columella adponit diei 30. Pr. Kal. Maias Canis se vespere celat; et Virg. Georg. i. 217. canis occasum cum solis transitu in Taurum, quem Ovid. etiam tetigerat, jungit:

Candidus auratis aperit quum cornibus annum
Taurus, et adverso cedens *Canis occidit* astro.

Cod. Farnes. lectio jam medelam adlatura erat: *occidit atque canis.* Neap. conjecit: *effugietque*, alii *occuliturque.* Sed hoc vitium a poeta admissum esse, persuasum mihi

est, et fortasse aliorum populorum sacra ad Sirii ortum celebrata (vid. quæ supra adduxi) ei ante oculos erant.

4°. v. 723. (d. 22 Mai.)

Nocte sequente diem canis Erigoneius *exit*. Si cum interpretibus facias, locus aperte falsus est. Hi enim *exit* accepere pro *oritur*, ut similibus locis vi. 474. *exit Eois aquis:* sed ortus ab hoc loco alienissimus est. In hunc ipsum diem incidit *occasus ejus heliacus* Taur. 29°. 2; cf. Plin. xviii. 27 s. 67. et Ptolem. ad d. 27. προκύων κρύπτεται. Quæritur itaque, anne verius ita intelligatur poeta, ut *exit* sit: decedit de cœli statione, aufugit ex aspectu, itaque *occidit*, etsi valde ambigue dictum est, et de ortu alibi sæpius dicitur. In loco sequente, non possum a me impetrare, quin contrarium contendere maluerim.

5°. iii. 711. (d. 16 Mart.)

> Postera quum teneras Aurora refecerit herbas,
> Scorpius a prima parte videndus erit.
> *alias:* notandus erit.

Utraque lectio aperte ortum mihi indicare videtur; et dubito an e verbis aliud quid elici possit. Indicandum fuisse *occasum* matutinum *primarum stellarum*, non dubium est. Euctemon: τοῦ σκορπίου οἱ πρῶτοι ἀστέρες δύνουσι. Et ita Columella et Plinius, iv. 163. (d. 1 April.) totius sideris occasus matutinus sequitur:

> Dum loquor, elatæ metuendus acumine caudæ
> Scorpius in virides præcipitatur aquas.

Eadem tamen ambiguitate *notandus erit* et Fast. v. 417. de *occasu* dicit:

> Scorpius in cœlo, quum cras lucescere Nonas
> Dicimus, a media parte notandus erit;

ubi mihi non persuadere possum, poetam, si *occasum* innuere voluerit, *notandus erit* dicere potuisse. In utroque loco poetam ortum sibi cogitasse, credere fere maluerim.

EXCURSUS IV.

DE QUIBUSDAM VETERIS ITALIÆ NUMINIBUS ET IDEIS RELIGIOSIS.

MAXIME fortasse Ovidio debeamus eas, quas nobis de veteris Italiæ mythis reliquit notitias, et haud facile aliquis scriptor est, qui difficilis hujus nec tamen tenuis et infructuosæ quæstionis, quæ in veterum Latinorum ideis religiosis, numinibus et mythis enarrandis et ab interpolatione Græca discernendis versatur, denuo excutiendæ officium magis injungat. Omnem hanc rem, in qua veterum testimonia sæpe tam pauca exstant, et insuper critica plerumque indigent severissima, quum non raro verum inter multa frivola et grammaticorum somnia lateat, maxime lubricam esse et nonnisi in partibus ad certam aliquam lucem referri posse, et multi viderunt, et re ipsa, ut nunc est, conditio indicat. Egregie in quibusdam viam præivit Illustr. Heyn. (Exc. 5 et 6. ad Virg. Æn. vii.) et fore, ut jam dum hæc scribo, ab iis, qui præmium in hac academia de eadem re explicanda propositum ambituri sunt, quædam illustrata fuerint, spes mihi est jucundissima.

Quæstio statim in limine movenda merito in eo versatur, unde factum sit, ut mythi veteris Italiæ, si qui huic terræ proprii fuere, in populo tot scriptorum laude florente adeo parum propagati sint, ut vix ullus integer, reliqui fere omnes cum Græcis fabulis confusi supersint, plurimi interierint. Ex sola enim accessione religionum Græcarum, quæ, quum frequentior consuetudo inter utrumque populum intercedere cœpit, Romam delatæ sunt, nondum patrios mythos summotos esse et decessisse necesse est. Heynius, Vir Ill. l. c. ad pravum illud Romanorum studium, omnes res suas antiquiores adeoque mythos et religiones ab antiquiore aliquo populo v. c. Trojanis et Græcis repetendi, hanc rem refert. Aliud mihi momentum hac in causa in-

super ponderandum videtur. Videmus enim populos antiquos in primis culturæ gradibus versantes et ante artis scriptoriæ vel plasticæ initia ad fabulas et religiones suas propagandas et posteritati tradendas carminibus, quæ a bardis suis composita omniumque ore frequentata erant, ad unum fere omnes usos esse. Habuere ejusmodi carmina Græci, Romani, Germani, Hebræi. Quæ si igitur, vel ob naturalem eorum præstantiam, ut in Græcis carminibus Homeridarum, vel casu aliquo servata sunt, veteres illæ ideæ et fabulæ hujus populi cum iis posteritati traditæ et quasi sancitæ sunt; e contrario cum iis plurimæ gentis fabulæ periere, et unicum tunc memoriæ genus mansere ritus sacri in memoriam Deorum instituti. Ita inter Romanos factum esse arbitror. Rudia illa, quæ Latium et Roma habuere, patria carmina[d], citra dubium in religione patrum potissimum versantia, adeo parum auctoritate valuisse et virtutibus se commendasse videntur, ut nisi prius amissa, tamen poesi Græcæ in Italiam translatæ statim cederent, et cum iis patriæ illæ veteris Latii ideæ religiosæ et mythi haud dubie perierint, ita ut, nonnisi in festis et ritibus domesticis aliqua eorum notitia servata, causæ rituum illorum plerumque perirent. Inde simul apparet, cur ipsi veteres in mythis et causis, a quibus feriæ et ceremoniæ domesticæ repetendæ essent, adeo in diversa abierint, quum vetera illa monumenta vel deperdita essent,

[d] Ejusmodi fuere *Saturnii versus* metro rudi et incondito; Hor. ep. II. i. 158. et Ennius apud Cic. Brut. 18; *carmina Saliaria*, postea, quum ex accessione literarum Græcarum lingua mirum in modum mutata esset, vix intellecta, quorum autem magnam vim esse ad intelligendam patriam mythologiam certum est. Ea enim numina, quæ in illis nominatim occurrunt, jam tunc Romæ culta esse, judicare licet, et jam veteres grammatici ex eo, si quod numen in illis non obvium erat, de seriore ejus accessione conjecerunt; (vid. infra de Venere.) In paucis iis, quæ habemus, fragmentis, v. c. *Janus*, cujus præcipue ibi partes fuere (unde Lydus a potiore: Σάλιοι ὑμνοποιοῦντες τὸν Ἰανυόν) *Saturnus* (quam formam vult Scal.) *Lucetius*, *Volumnia*, *Mania*, *Pilumnus* occurrunt, de quorum antiquitate et domestica in Italia religione judicare licet. Aliud eorum commodum in eo versatur, ut, si quid aliud, antiqua eorum lingua, ad veram notionem deorum quorumdam domesticorum conjectura adsequendam ducat.

vel ob inconditam linguam vix intelligerentur. Græcis autem fabulis literæ Romanæ tunc potissimum citra dubium obrutæ sunt, quum Græcis poetis et scriptoribus vertendis Romani ingenium exercere cœpissent, et tunc maxime, quum pro Crono *Saturnum*, pro Rhea *Opem*, pro Baccho *Liberum* substituerent, factum est, ut mythi Græci ad hæc nomina domestica referrentur. Ita in multis accidit, ut nonnisi nomina ad Latium pertinentia arguant religionem eorum ibi domesticam esse; fabulæ omnes e Græcia petitæ sunt. Jucundissimum accidit, si quando commutationis eorum cum numinibus Græcis momentum aliqua cum verisimilitudine deprehendisse nobis videri possumus, ut v. c. Saturnum cum *falce* agresti in Κρόνον, quod ille *falce* demetebat, abiisse multi bene observarunt. In aliis v. c. *Anna Perenna*, *Maia*, *Sanco*, haud dubie appellationis similitudinem, in aliis ut in *Matuta*, vocis significationem illud momentum fuisse, quo nomine comparabantur et commutabantur, apparet; vide infra.

De quibusdam certe numinibus in vetere Latio citra controversiam domesticis, deque aliorum probabili notione et interpolandi ratione quædam verba facere, post ea quæ Ill. Heynius l. c. habet, ab Ovidii interpretatione non alienum erit. Universe numina illa, modo reges heroesque in deorum numerum relati, modo præsides et primi auctores operum agrestium, modo nymphæ et numina sylvestria et montana vaticiniis clara, modo dei tutelares singulorum hominum fuisse, videntur. De *Jano* et *Saturno* celeberrimis omnino in hac mythologia nominibus h. l. agere supersedeo: de altero quæ tentari possunt ad Fast. i. collegi; de altero ad Ill. Heynium l. c. relegare licebit. De *Silvano* multa collegit et disputavit Ill. Voss. ad Eclog. p. 521. De *Libero* s. *Læbasio* vide eumdem ad Ecl. vii. 58. De Cerere, quæ mature cum Demetre commutata est, vix aliquid præter nomen, quod Sabinum esse, et *panem* sonare volunt grammatici, superest; Serv. ad Georg. i. 7. Alii explicabant per *Geres*, permutatione literarum

antiqua; Cic. Nat. Deor. ii. 26. Ambarvalia illa (Tib. ii. 1.) quibus junctim cum Libero plerumque culta est, ad veterum ejus in Italia cultum pertinere videntur, quum *Cerealia* contra urbana prorsus more Græco celebrarentur, et a Demetriis Græcorum repetita essent; Cic. pro Balbo, cap. 24.

Si, quod certum est, vita pastoritia agrorum culturam in Italia præcessit, numina huc spectantia, ut *Pales* et *Ops* forte etiam antiquiora sunt illis culturæ auctoribus, et ad vitam fere nomadicam ascendere possunt. Palilia illa (vid. Fast. iv. 721.) ipsa Roma antiquiora memoriam nobis servarunt *Palis*, de quo numine tam parum liquet, ut aliis femina, aliis mas videatur, quod ad antiquam statuam, cujus sexus non amplius apparebat, refert Ill. Lenz. ad l. c. Plurima eo redeunt, procreationi et generationi eam præfuisse, quod et ipsum festi nomen indicat; non enim pro pecudis solum, sed et mulierum fecunditate, eo festo vota suscepta legimus[e], et altera scriptura *Parilia* (a pariendo) hoc aperte innuit. Comparatis pluribus vocibus, ubi *l* et *r* commutata sunt, et *in se* invicem abierunt, (cæria, cælia, λείριον, lilium; cf. quod Ovid. tentat de Remuriis et Lemuriis) ipsi scripturæ *Pales et Palilia* hanc notionem inesse fere crederem.

Opis nomen divitias et opulentiam prisci hominis rustici, quæ in rei pecuariæ et gregum affluentia totæ comprehendebantur, referre videtur. Ops esse oïs, ovis, ut δαΐς, daps, et a pecude ad omnem possessionem antiquitus translatum esse jam prius monitum est[f]; vid. Voss. ad

[e] Tibull. II. v. 91: *Et fetus matrona dabit*, etc. Festus: Parilia festa sibi observanda judicant privatim ipsæ quoque puerperæ domi in stratis, ut pariendo ab iis stabiliantur. De votis pro pecudis partu, vide etiam Dionys. i. 88. et Ovid. l. c.

[f] Ab ipsa forma opis ... ovis est opilio, pro quo et ovilio reperitur. Inde opulentus, inops. Ut autem a pecude, in quo omnes fere prisci hominis copiæ versabantur, πολύμηλοι, πολύαρνες apud Homerum sæpe notionem divitum præbent, ut inde *pecunia* dicitur, ut apud Homerum πρόβατα quæ κειμηλίοις opponuntur, et hodieque passim in Germania *tauri* κατ' ἐξοχήν *das Gut* vocantur, ita *opes* postea de omnibus, quæcumque aliquis possideat, dici cœperunt; vid. Voss. epist. myth. i. 17.

Ecl. X; Scalig. ad Fest. h. v. Pro Saturni conjuge jam tunc fuisse habitam, Opalia cum Saturnalibus conjuncta, et Opis cum Rhea, Croni uxore, commutatio innuunt. Macrobio (i. 10.) ipso cum Saturno frugum et fructuum repertores dicuntur, nunc tanquam vitæ cultioris auctores coli soliti. Aliis terra videbatur, quod semen recipiebant, quo etiam *Opis consiviæ* cognomen spectat.

Vertumni quoque et *Pomonæ* memoria flaminibus, templis, et feriis celebrata est. Pomonæ munus nomen prodit; de Vertumno ipsi veteres interdum dissentiunt; eo tamen plurima recurrunt, ipsum nomen munus ejus indicare, ita ut omni rerum vicissitudini, anni etiam diversis temporibus præesset. Locus class. apud Prop. iv. 2.

Proxime eamdem ob rationem ad eum accedit *Anna Perenna*, in cujus festo ver, *lætum anni tempus spatio suo* rediens, publica lætitia excipiebant. Ovidius multus est de hilaritate et gaudio interdum effuso, cui suo adhuc tempore bibendo, jocando, cantando et saltando in Annæ nemore ad pontem Milvium indulgebant. Ovidius, qui in ea explicanda quidem fabulas alienissimas admiscet, et in alia omnia abit, alibi tamen manifesto ipsam ad Anni initia fausta refert (iii. 145. 146.) si quidem anni veteris auspicia hanc etiam ob causam a Martio petit, quod ibi Anna Perenna colatur. *Nec mihi parva fides, annos hinc isse priores, Anna quod hoc cœpta est mense Perenna coli;* in qua argumentorum serie eosdem cum Macrobio (i. 12. post init.) fontes, haud dubie fastographos illos (vid. sup. p. 454. Exc. i.) respexit. Inter alios antiquiores Latii deos recensetur his Varronis versibus: te Anna et Perenna, Panda καὶ λάτω Pales, Nerienes, Minerva, Fortuna ac Ceres.

Ipsum nomen æque ac *annus* esse a notione orbis, circuitus, cui omnes fere populi annum similem fingunt, persuasum mihi est. Voces: Annus et Annulus (id est, circuli) ἔτος, ἐνιαυτὸς, Jahr, year ab antiquo yra circuire, jam compararunt Bredow et Vossius; sed et *an-*

num esse a particula vetere *an*, id est, circum, jam Ateius Capito apud Macrob. i. 14. animadvertit, et multa verba cum hac particula composita arguunt; confer Fest. vid. Am. verba: *anquirere* (circum, circa quærere,) *anceps* (διπρόσωπος) *anclabre* (ἀμφικύπελλον,) *ancile* (circumcælatum, Neapol. ad ii. 435.)

Singulare autem in mythologia veteris Latii momentum est, numina ista tantum non omnia vaticinio et cantu apud mortales claruisse, et celeberrimorum oraculorum in Italia antiqua undique vestigia sunt.

De Fauno Picoque, de quibus locus class. exstat apud Virg. Æneid. vii. 81; deque celeberrimo Fauni oraculo, quod Latinus de Lavinia sua consulit, abunde egit ad h. l. Illust. Heynius; Ovidius duobus locis (Fast. iv. 651; iii. 291.) ejusdem oraculi, quod diverso modo exornat, mentionem injecit. A vaticiniis eidem *Fatui* nomen inditum est, quod proprie *fatidicus* est, postea ex eadem idearum conjunctione, de delirante, desipiente dici cœpit, qua μάντις de utroque Græcis dici solebat, ita tamen, ut in μάντις notio *furendi* præcederet. Frequentius uxor ejus Fauna *Fatua* dici solet. Vetus de ea mythus (Butas apud Arnob. v. p. 99; Elm. Plut. Quæst. Rom. 20.) narrat mulieribus eam fata cecinisse, Faunum viris, nec unquam ob singularem castimoniam virum vidisse; tandem, quum clam maritum e vino poto ebrietatem contraxisset, virgis ab eodem ad mortem cæsam esse, postea divinis honoribus auctam. Ad hanc fabulam referendi sunt ritus sacrorum ei die 1 Maii offerri solitorum. Eadem enim videtur, quam *bonam Deam* vocabant, consentiente Plut. Cæs. p. 711. Bonam Deam Dryada et Fauni uxorem dicente; Macrob. i. 12. Terram etiam et Opem immiscet. De commutatione cum Pane res nota est, et Lupercalia recte Ovidius a Lycæis Arcadicis repetit (ii. 281;) nam ad regem Latinum prorsus non spectant. Quicquid etiam de terrore Panico et repentina fuga gregum Faunis tribuitur, jam Pani suo tribuerant Arcades.

Pertinent porro ad hoc genus *Canens, Egeria, Camenæ, Carmenta, Porrima et Postverta* (Ovid. i. 635.) de quibus ad Ovidium passim agendum est. Etiam *Martis* oraculum apud Aborigines habet Dionys. i. 14; ubi picus columnæ ligneæ insidens deorum voluntatem exponit. *Juno* oracula edens plus semel occurrit v. c. in luco Exquilino sub nomine Lucinæ (Fast. ii. 440.) Ab eadem futura præmonendi facultate, et monitis ejus in reipublicæ calamitatibus audiri creditis, postea Monetæ nomen accepit. Inprimis in historia Sabinarum raptarum mentio fit *Consi*, dæmonis cæterum ignoti, qui Romulo consilium de raptis virginibus suppeditavit, (Κῶνσος, *βουλαῖος* Plutarch.) in cujus honorem Consualia celebrata sunt, quique haud dubie consilii præses fuit, ut nomen ipsum prodit; conf. Plut. Rom. xiii. 3; Dionys. ii. 32. Si denique, quod vix aliter se habere potest, *Minerva* ad terram Latinam pertinet, mox cum Pallade Græca commutata, hæc etiam ad ea, quæ consilio et sapientia sua homines monere et adjuvare credebantur numina, pertinere debet. Menervare enim antiqui dicebant pro monere (Fest. *promenervat,*) et Minerva igitur eamdem notionem, quam v. c. Moneta, offerret. Recte igitur in hanc sententiam Festus: *Minerva, quod bene moneat; hanc enim pagani pro sapientia ponebant.* Unicum hoc forte vestigium de eo, quod Minerva apud priscos Italos sibi voluerit; nisi quis hoc nomen Latinum demum ad exprimendam Pallada Græcorum formatum esse malit.

Romanis, vel potius Hetruscis etiam domestica est Larium, vel publicorum, vel privatorum religio. *Lar* apud Hetruscos i. q. *dominus, princeps,* tum viris nobilibus honoris causa præponitur (Lar Herminius, Lar Tolumnius, Lar Porsenna, Liv. iii. 65; iv. 17; ii. 19.) tum diis inferioribus et domesticis tribuitur, et prorsus respondere videtur *τῷ ἥρως* priscorum Græcorum, quod ætate Homerica, tanquam epitheton honorificum, viris claris veniebat, postea de hominibus divino honore auctis dicebatur: vide

Schn. h. v. de herois notione. Ut porro ἥρωες ἐπιχώριοι in Græcia, id est, viri demortui et de civitate sua bene meriti una semper cum diis domesticis coli solebant, ita apud Romanos quæque civitas, gens et familia proprios sibi habebat Lares, ad quos tum viri civitatis principes, tum singularum gentium patres, quibus vis aliqua in familiæ salutem tribuebatur, pertinebant. Plautus: *Ego sum Lar familiaris ex hac familia ... familiæque Lar pater.* Amphit. prolog. 2; Merc. V. i. 5. Post apotheosin Cæsar, et Octavianus ex urbium adulatione jam 718. post Sext. Pomp. victum iis additi sunt, quod Hor. IV. v. 33. heroum cultui in Græcia comparat.

De publicorum Larium matre Lara, Larunda, dea Muta, Mana, Mana Geneta, etc. denique de Manibus, Summano, Lemuribus et Larvis, exponendi occasionem Ovidii loca præbebunt.

Quædam addere liceat de aliarum veteris Italiæ gentium diis et religionibus domesticis, quæ plus minusve postea Romam etiam migrarunt. Ita potissimum Satrici, Volscorum urbe, sanctam *Matutæ* matris fuisse religionem Livius (vi. 33; vii. 27; XXVIII. ii.) tradit. Satis notum est, hoc numen pro *Leucothea* Græcorum semper habitum esse. Veram autem hujus deæ, quæ ad priscam Italiam spectat, notionem assecutus esse videor, si ab Lucretio eamdem prisco illo sensu ab interpolatione Græca libero abhibitam video; de Rerum Natura, libro v. vers. 655. ubi ita canit ille vates:

> Tempore item certo roseam *Matuta* per oras
> Ætheris Auroram defert, et lumina pandit;

Matuta ut ἠώς Græcorum diei primam lucem designat, et hanc veram verbi notionem esse cognatæ voces et grammaticorum testimonia docent. Nonius Marcellus: *manum* dixere clarum, unde etiam mane post tenebras diei prima pars; inde Matuta, quæ Græcis Leucothea; et Priscian. ii. p. 591. Putsch. Matuta significat Auroram. *Matutinum*

tempus inde dici, vix monendum est. Quod si igitur hæc prima ejus notio erat, ut primam diei lucem designaret, et inde Matuta, id est, *lucida*, *splendida*, (ut solem Græci φοῖβον, splendidum, appellabant) diceretur; facile conjicere licet, quomodo cum Λευκοθέᾳ Græcorum commutata sit, cui commutationi haud dubie nominis significatio ansam præbebat; mox dici cœptum est Leucotheam cum Matuta eamdem esse, et fabulæ Græcæ de Ino sive Leucothea ad Matralia etiam Romana transire mature cœperunt, ut ceremoniæ hujus festi solemnes (Fast. vi. 481.) ad Inus fabulam adludentes, et Græcæ proprie originis (Plut. Quæst. Rom. 16.) aperte produnt. Quæ si ceremoniæ ad ipsum Servium templi conditorem adsurgunt, interpolatio Græca hoc ipso (ut re vera videtur) antiquior esse debet. Cultus Volscorum an more Græco celebratus sit, non apparet.

In Sabinæ gentis numinibus, hujus gentis auctor *Sancus*, ob templum quod Romæ habuit, et varias ejus interpretationes celeber est; (Fast. vi. 213. 214.) De popularium cultu locus insignis apud Sil. viii. 421. *Ibant, et læti pars Sancum voce canebant Auctorem gentis, pars laudes ore ferebant, Sabe, tuas*, etc. Coll. Lactant. I. xv. sec. 8; qui, ut Faunum Latinæ, Quirinum Romanæ, ita Sancum Sabinæ gentis auctorem vocat. Romani etymologiam hujus nominis proprii, quod fere cum Anco (nomine item Sabino) convenire videtur, a *sanciendo* quærentes, inde eum Jovem, sanciendorum fœderum præsidem, interpretabantur, et fœdera ei sacra putabant. Dionys. IV. cap. lviii. p. 257; ix. p. 617. (ἐν ἱερῷ Διὸς Πιστίου ὃν Ῥωμαῖοι Σάγκτον καλοῦσι.) Post eam interpretationem demum dei Fidii, Fidionis nomen ei inditum videtur, et ex eo orta commutatio cum Hercule, quem in jurejurando alias invocare solebant. Frequentissima omnium *hæc* commutatio, et Sancus passim nonnisi cognomen Herculis putabatur; quod Propert. IV. ix. 74. ab orbe terrarum manibus suis sanciendo, id est, purgando, derivat. (?) Aliud cognomen *Semo*, Sanco vulgo

inditum, quod semihomo explicant, nescio quo jure fatoque in libris antiquitatem explicantibus, ad omnes heroas et semideos transiit; æque mirandum me judice, ac si divisionem illam in deos majorum et minorum gentium, quam fere jocose Cic. Tusc. i. 13. a senatu Romano ad deos transfert (alibi etiam ad Stoicos, Acad. iv. 41.) tamquam priscis solemnem in libris mythologicis serio adoptari videmus; quum Stoicos, in quos eamdem divisionem transfert, in majorum et minorum gentium Stoicos serio dividere non facile cui in mentem veniat. Citra dubium ab antiqua scriptura, vel e Fastis Præn. nota (i pro e, Viniri pro Venere) profectum est, si Tertullianus, qui *Simoni, Deo Sancto* templo inscriptum legeret, Simonem magum (Act. viii. 18.) Romæ cultum sibi deprehendisse videbatur; vide Neap. ad vi. 213.

Ad eumdem populum pertinet dea quædam bellica, pro uxore Martis ibi habita, *Neriene*, Nerio, Neria (ut Anio, Anien) quam docta disputatione ex Ennii, Licinii aliorumque locis vindicat Gell. xiii. 22; cf. vers. Varronis supra de Perenna. Virtutem et fortitudinem ipsa vis vocis innuit, quæ in cognomen Claudiorum, Sabinæ gentis, qui a fortitudine Nerones appellabantur, transiit; vide Suetonium, Tiber. 1: *Nero lingua Sabina fortis et strenuus.* E Lydo, p. 85. eamdem Romæ cum Marte marito Tubilustrii die cultam esse cognoscimus, ubi eamdem interpretationem adjicit.

In Tusculanorum religionibus domesticis præcipue laudatur *Maia* (magna Dea) quæ tellurem referre videtur, et Vulcani uxor dicitur. Forte et Maius, id est, summus deus, Vulcani nomen apud Tuscul. fuit, etsi plerumque Maium ad Jovem referunt. Vindicanda erit eadem Gellio, xiii. 22. ubi *Naia Volcani* apud Gronov. perperam legitur. Ab alterutro autem Maium mensem nomen habere adserunt auctores apud Macrob. quod ad probabilitatem omnium proxime accedit, et plurimi Bonam Deam, die 1 Maii coli solitam, ad hanc Maiam referunt. Forte Faunæ,

Terræ, Maiæ nomina in unum numen cumulata sunt, vel utriusque festum nonnisi in unum diem incidebat. Commutatio ejus cum Maia Mercurii frequens in grammaticis.

Multum referret, si tempus, quo hujus vel illius numinis cultus in Italiam primum advectus sit, persequi liceret, ubi in paucis vel conjectura aliquid efficere licet. Serius aperte, et vel post Numæ tempora transierunt v. c. *Apollo* et *Venus*. Apollinem, quem cum ipso nomine Græco adoptarunt, a Numæ indigitamentis, vel canone deorum a Numa agnitorum alienum fuisse Arnobius narrat, et Veneris nomen neque in carmine saliari occurrere, neque omnino sub regibus cognitum fuisse, Cincius et Varro Macrob. i. 12. tradunt.

Denique adjiciamus quædam de Hercule, divitiarum, fortunæ et sortis præside, ad Fast. vi. 212:

> Altera pars Circi, custode sub Hercule tuta est.
> Si titulos quæris, *Sylla probavit opus.*

Huc referunt locum Plutarch. Sylla 35: Ἀποθύων δὲ τῆς οὐσίας ἁπάσης ὁ Σύλλας τῷ Ἡρακλεῖ δεκάτην; e more Romanis satis consueto Herculi bonorum decumam offerendi, eumque inde novarum divitiarum acquirendarum sibi sperandi adjutorem[g]. Quum et alia loca accedant, ubi Hercules tanquam divitiis, sorti et fortunæ præpositus adparet, et quum veteres et quidam recentiores jam hac de re quæsiverint, paucis, quid sentiam, profiteri liceat. Post pollicendi illum morem, tanquam divitiarum acquirendarum viam superstitiose creditam, thesauri etiam subterranei, subito et præter spem eruti, ejus favori deberi credebantur, et universe ut cui maxime res suæ feliciter procedebant, ita Hercule se dexterrimo uti credebat, eumque colere solebat. Huc pertinet Horatii illud Sat. II. vi. 10:

[g] Plaut. Bacch. IV. iv. 15; Stich. II. i. (al. I. iii. 80;) Varro, L. L. v. 54; Dionys. i. 40. de ara maxima: δικατεύσεις χρημάτων γίνονται συχναὶ κατ' εὐχάς. Quare et Crassum et Lucullum frequenter decumam dedisse legimus, et a mercatoribus factum esse e Varrone apparet.

O si urnam argenti fors quæ mihi monstret——*dives amico Hercule;* et Pers. ii. 11: Sub rastro crepet argenti mihi seria *dextro Hercule!* ubi scholiastæ animadvertunt, "Herculem divitiarum præsidem esse." Quo autem nexu, quæso, hoc divitiarum præsidium cum heroe illo Tirynthio, rebus ejus gestis, laboribus et mythis? quem tanquam Pluti et divitiarum inimicum ipsa fabula repræsentat[h]? Inter veteres jam Plut. Quæst. Rom. 18. ea de re quærens, multa tentat, nec sibi ipsi satisfacere videtur; conf. Wieland. ad Horat. l. c. Quid igitur, si ea, quæ de Hercule forte sub nomine *Heaarkel*, id est, mercator, a Phœnicibus culto, cujus et ideæ et res gestæ postea aliquando ad Herculem Græcum translatæ sunt, jam pridem a quibusdam conjectata esse video, hoc etiam nomine in subsidium vocare tentaremus? Bene illi viderunt (vid. Encyclop. univ. voc. *Herc.*) præsertim itinera illa, quibus terrarum orbem peragravit, ad Oceanum usque occidentalem penetravit, et Herculis columnas condidit, ad Herculem illum Tyrium proprie pertinere, et inde ad Herculis Græci famam, cui magna etiam itinera adscribebantur, postea accessisse[i]. Poterat hic Hercules Tyrius priscus eorum heros esse, quem primum loca illa ad mercaturam gravissima adiisse fama narrabat, et quem nunc tanquam divitiarum et fortunæ auctorem atque præsidem colebant, eique pro felici successu vota faciebant. Hoc modo Herculem Tyri, Carthagine, Gadibus pari religione cultum esse legimus; et omnia ista templa donis opulentissimis Herculi ex voto datis conspicua fuerunt. De opibus templi Tyrii vide Dio. xlii. 49; et eumdem, xliii. 39. de templo Gaditano, quod prorsus simile erat illi Tyrio; Herod. ii. 44; Philostr. v. 4.

[h] Phædr. iv. 11. Cœlo receptus propter virtutes Hercules, veniente Pluto, qui Fortunæ est filius, avertit oculos, dicens: "Odi illum, quia malis amicus est, simulque objecto cuncta corrumpit lucro."

[i] Ipsi portus Herculis, quorum in Italia plures occurrunt, H. Monœci, Labronis, in quibus fama accedit, eos ab ipso Hercule conditos esse, ad Phœnices pertinere videntur, qui omnia in Herculem tamquam nomen aliquod illustre cumulabant. Vide Virg. vol. iii. nostræ Coll. p. 203. note 831.

Persuasum inde mihi habeo, Romanos hunc morem, votis et decumis in Herculis ara oblatis, divitias ab Hercule expetendi, eique opum et fortunæ præsidium adscribendi, quandocumque ab hoc Phœnicum more petiise; et certe hic mos æque accedit prope ad Tyrium illum Herculem, quam procul eum abhorrere ab heroe illo Græco omnes viderunt[k].

EXCURSUS V.

DE ROMULI ANNO DECEM MENSIUM AD FASTOS, III. 121. ET I. 28.

Tempora digereret quum conditor urbis, in anno
Constituit menses quinque bis esse suo.
. . . . . .
Annus erat, decimum quum luna repleverat orbem.

I. RATIONEM a plurimis veterum initam[l], ut menses, quales postea erant, lunares acciperent, modo triginta dierum, modo triginta et unius, et ita anno Romuleo 304 dies adsignarent, acute jam confutavit illustr. *Bredow* (Hist. Unters. H. I. p. 38.) Disertis enim verbis Livius anni divisionem ad *lunæ cursum* Numæ demum adscribit; et, quod omnino gravissimum est, ipsius *anni* notio, quæ cer-

[k] Quod si igitur in Syllæ nummis apud Ekhel. tom. vi. p. 98. Herculem agnoscit vir doctus, " quacumque de causa illum monetæ intulerit, nescire se" dicens, vix amplius de causa, cur adsidue Herculem coluerit Sylla, dubites. Hic enim vir, qui ipse confiteri solebat, Fortunæ se omnia debere, et inde Felicis, Fausti, cognomina sibi imponebat, Herculem, qui tamquam opum et divitiarum præsidi, bonorum sub ejus præsidio paratorum decumam offerebat, omnino maximi habere debebat, et eamdem ob causam, qua Venerem et Fortunam, etiam Herculem in nummis exhibet. Tamquam sortis et fortunæ præses apparet etiam in historiola apud Plut. Romul. 5. ubi talis ludit cum ædituo.

[l] Ovid. l. c. Macrob. i. 12; Solin. i. Censorin. xx.

tum orbem gravissimorum naturæ phænomenorum, et temporis certo spatio recurrentium designat, annum solarem aperte desiderat. Et omnino nihil naturæ magis consentaneum est, quam ut populi rudes hanc periodum a natura ipsa constitutam, et maxime in oculos incurrentem, ad tempora digerenda adhibeant. Si vero h. l. annum solarem ponimus, de mensium numero et ratione difficultas oritur.

II. Fuere jam inter veteres, qui omnem hanc de decem mensibus famam negarent, et nonnisi ex antiquariorum conjectationibus, quod Quinctilis et Sextilis a numero dicti essent, ortam esse scriberent. Ita Licinius Macer et Fenestella apud Cens. et e recent. Scalig. emend. tempor. ii. p. 172. ejusdem sententiæ se patronum obtulit. Eamdem fere paulo tamen immutatam amplectitur Plutarch. (Numa, xviii. sec. 1 et 2.) duodecim menses accipiens, quorum primum locum Martius, undecimum et duodecimum Januarius et Februarius occuparent; ita tamen quoad dierum ordinem dispositos, ut sibi impares alius ne vicenos quidem, alius ultra triginta quatuor dies haberet; in quo ordine hoc unum spectaretur, ut annus 360 dierum existeret. Sed hac etiam ratione constans reliquæ antiquitatis fama negligitur, et viæ quærendæ erant, quomodo decem menses in anno pleno solari explicari possent.

III. A Plutarcho igitur ductus Petavius annum accipit mensibus imparibus distinctum, sed decem tantummodo, *ita ut modo longiores, modo breviores*, tamen justum anni spatium implerent; et fere similiter illust. Bredow. loc. cit. sentit numerum denum, tanquam Romanis et alibi solemnem, ad hanc anni divisionem in decem partes, a lunæ motu alienas, *sed fere suppares*, adhibitum esse. *Laudat* Vir Cl. alios etiam populos (confer etiam Putean. de bissexto Græc. Thes. viii. 457.) qui annum solarem in partes modo plures, modo pauciores, libere tamen a lunæ cursu distinctum haberent, v. c. Mexicanos, qui annum in 18 partes ita diviserant, ut quævis pars 20 dies haberet, 5 in

toto anno superessent, et Indos (Curt. viii. 9.) qui 24 anni partes habebant: quibus addere liceat Kamchatkanos, qui, secundum labores suos in agro colendo, annum in decem partes dividunt. (*Voyage de M. l'abbé Chappe en Sibérie, tom. iii. p.* 17 *et* 18.)

IV. Fortasse et causam hujus Romanorum divisionis reperire licet, quæ sese aliqua probabilitate commendet. Apud Athenienses, ut populus in decem φυλὰς, et senatus in totidem πρυτανείας; ita etiam totus annus in decem partes (πρυτανείας) divisus erat, quarum quævis triginta quinque vel sex dies habebat, et in quibus singulis singulæ senatus πρύτανεις reipublicæ præerant. Hæ anni partes juxta menses consuetos solemni divisioni inserviebant, ut mercedes ad earum ordinem solverentur, etc. et ipsæ aliquando per abusum μῆνες vocantur: vide Ammonii locum apud Neap. ad i. 29. s. v. πρυτανεία. Etsi igitur scriptores Romani in hist. Romuli, de simili senatus divisione et imperii per vices tenendi more nihil edant, Ovidii verba (iii. 127.) similem divisionem non obscure innuunt:

> Inde *pares*[m] centum *denos* secrevit in *orbes*
> Romulus:

et quid igitur, si anni totum orbem ita, ut in Atheniensibus fieri videmus, a Romanis etiam ante Numam, qui "*omnium primus annum ad lunæ cursus in duodecim menses divisit*" a tempore, quo quæque decima senatus pars imperium urbis teneret, divisum esse statueremus? et decem menses pares, circiter totidem dierum ac πρυτάνειαι, in anno Romuleo acciperemus? Nomina harum partium, seu mensium[n], si ita eas vocare licet, a numero petita esse poterant, e quibus Numa quædam etiam in mensibus lunaribus ser-

[m] Alii *patres:* sed *pares* jure prætuli.

[n] Derivatur quidem vulgo nomen mensis a μὴν, ita ut nonnisi de mense lunari originitus dictum sit. Fortasse vero æque bene a *metiri*, *mensus sum*, derives, ita ut ii, qui primi hoc nomen posuerunt, non lunam, sed divisionem tantum anni respexerint.

vavit°. Annum autem initium cepisse ab eo tempore, quo nunc Martius est, et constans omnium fama est, et plura argumenta probabiliter declarant. Tum enim naturæ maxime consentaneum est, a vere anni initium petere, tum Annæ Perennæ festum, anni initia fausta haud dubie designans, tum denique ceremoniæ illæ antiquæ ad anni initium spectantes, quas Ovid. iii. 137. et Macrob. i. 12. exhibent, non obscure innuunt.

EXCURSUS VI.

QUÆSTIONES AD INTERPRETANDOS QUOSDAM LOCOS SPECTANTES.

1°. VI. 773. QUAM *cito venerunt Fortunæ fortis honores.* Quæri potest, an Fortuna, cui Servius hoc die templum dedicavit, primo casu *fortis Fortuna*, vel *Fors Fortuna* dicta fuerit. Prius verum esse, certissime nunc mihi probatur. *Fortis* (vel *forctis*, forctus, horctus; conf. ad iv. 620.) priscis Romanis fuisse i. q. bonus, et Fest. (vid. *Sanates* et *Horctum*) expressis verbis tradit, et exempla apud Plautum, ubi hoc usu occurrit, probant; Mil. IV. iii. 13; Bacch. II. ii. 38.

Ecquid fortis visa est? de puella, ubi est i. q. *bona, pulchra.* Eodem sensu vir fortis, alibi bonus (*Patriot.*) Eo autem minus dubito, ipsum forte templum inscriptum fuisse: *Fortuna forctis*, quum ex hac solum forma lucem nanciscatur Plutarchi locus perquam singularis: (de fort. Rom. p. 319. A.) Τύχην, ἣν φορτικὴν καλοῦσιν, ὅπερ ἐστὶν ἰσχυράν, ἀριστευτικήν, ἢ ἀνδρείαν, ὡς τὸ νικητικὸν ἁπάντων κράτος ἔχουσαν. Formam *forctis* in Græcæ vocis similitudinem mutaverat, ut ille linguæ Latinæ interdum gnarus est; sensum tamen exprimit, ac si φορτικὴ i. q. fortis esset. Haberemus igitur

° Pari ratione menses apud Judæos primum numero distinguebantur; postea demum propria nomina accipiebant; vid. *Warnekros hebr. Alterth.* p. 539.

hoc cognomine designatam Fortunam bonam, faustam, felicem, quum et malam Fortunam a Romanis cultam sciamus, et perperam igitur quidam Fortem Fortunam *casum cæcum* esse dixere. Idem est constans loquendi usus in "forte fortuna" quod de re aliqua dicitur, quæ casu quidem, sed feliciter nobis obtigit; Ter. Eun. I. ii. 54; Hecyr. III. iii. 26; et si postea primo casu Fors Fortuna occurrit (Phormio, V .vi. 1.) ut ipsi grammatici adnotant, ubique eodem, quo dixi, sensu fit. Donat. ad l. c. *Fortuna dicta est incerta res, Fors fortuna eventus fortunæ bonus.* Fortasse primus casus *Fors,* hoc nexu demum a casu sexto *forte fortuna,* qui proprie erat a *fortis fortuna,* petendus est.

2°. VI. 793. Tempus idem stătŏr ædis habet, etc. Librarios, qui *T. i. stātoris erat* reposuerant, jam bene refutavit Heinsius, hanc lectionem ex opt. codd. adprobans. Haud scio an satis jam a grammaticis annotatum sit momentum illud, quod bene ad hanc lectionem stabiliendam facit, plurima, scil. verba Latina et Græca, vocali brevi in longam producta, significationem suam activam in passivam et mediam mutare solere. Exempla in promptu sunt: *Act.* est stāre, cum reduplicat. sistere (*stellen*) unde stător, qui sistit; stătum, i. e. constitutum; stătim, i. e. mox (vid. Donat. ad Ter. Phorm. V. iii. 7. quod vere observatum, etsi interdum neglectum est;) *Med.* stāre, se sistere (*stehen;*) stāturus, *stātim,* i. e. *firmiter:* vid. Donat. l. c. et proprie stător, si est i. q. stans, qui adstat, v. c. de servo, ut sæpe. Falsam igitur prosodiam arbitror in Priap. lii. 3. Jam primum stătŏr hic libidinosus, ubi stator esse deberet Priapus ad*stans,* non, *qui sistit.* Analogiæ causa cf. act. pendĕre (*henken*) in specie libram suspendere, inde *solvere. med.* pendēre, suspensum esse (*hängen.*) *Act. jacio,* med. *jaceo,* jactus sum (*liegen*) act. parĕre, producere (*erzeugen,*) parēre, produci, (*erscheinen.*) Eodem modo Græci, ubi duplex forma est, altera transitiva, altera intransit. prosodia has distinguere solent: v. c. περάσω transit. (α brev.) *trans mare duco, vendo* (unde πιπράσκω) περάσω, intransit.

α long.) *transibo*—φύω, φῦμι—alibi productiores formæ intrans. ἆσαι satiare, ἀδῆσαι satiatum esse. etc. etc.

3°. I. 525. ubi Carmenta fatidica de Roma, ex Trojæ eversæ cinere splendidius resurrectura, exclamat:

> Urite victrices Neptunia Pergama flammæ;
> Num minus hic toto est altior orbe cinis?

explicari et jungi video: *num hic cinis*, id est, Troja in cineres redacta, *altior toto orbe minus* quid est, quam ante Troja erat, igitur: an Troja incendio imminuta est? Nonne ita sensus expediendus est? *num minus* est interrogative, ut gravior oratio poetica poscit, pro pedestri: *non minus, nihilominus, attamen.* Sensus: Urite, etc. Attamen hic cinis altior erit toto orbe. Hoc non capientes librarii *minus* pro adj. capientes ad *altior cinis* referebant, et lectiones cuderant, quales sunt: *non minor, num minor.*

4°. I. 595. ubi multi insignes referuntur duces, qui rebus gestis titulos et cognomina reportaverant, post multos alios etiam dux quidam his verbis innuitur:

Hunc Numidæ faciunt, illum Messana superbum. Cogitarunt interpp. de M. Valerio Messala, vel de Appio Claudio, qui, primo bello Punico, rem in Sicilia gesserant, et alterum vel alterum *Mamertini* cognomen accepisse opinantur. Sed dubito, an de Valerio, cujus partes in hac expeditione secundæ erant, et de cognomine cujus nullum vestigium exstat, cogitari liceat, quum inspecto Polybio (i. 1.) vix de eo, quem Ovidius innuit, dubitari queat. Appius enim Claudius non solum singulari celeritate primam expeditionem confecit, Messana expulit Carthaginienses et Hieronem expugnavit, sed et postea ad exempla navis Carthaginensis classem exstruxit, prælium navale commisit, et *Caudicis* cognomen inde invenisse dicitur: vid. Polyb. l. c. Nonne hunc titulum Ovidius spectasse putandus erit?

FINIS EXCURSUUM IN FASTOS.

NERONIS CLAUD. DRUSI,

COGNOMINE GERMANICI,

ΕΠΙΚΗΔΙΟΝ

OVIDIO PROBABILITER RESTITUTUM.

PRÆFATIUNCULA.

DE AUCTORE HUJUSCE ELEGIÆ.

CARMEN hoc *longe præstantissimum*, ut summi Viri verbis utar, et *dignum genio ac majestate sæculi Nasoniani*, etsi non Pedoni Albinovano, ut Jos. Scaliger, Vossius, aliique, tribuendum existimet N. Heinsius, nihilominus Ovidio non ausit adscribere. "Ille tamen, eodem auctore, qui primus eruit e tenebris, *insignem thesaurum* usibus publicis est largitus!" Vossius vero, Art. Grammat. ii. 27. indignum quidem non esse Ovidio censet, *ob egregia in illo ingenii lumina;* sed in verba *magni* Scaligeri jurare promtior, Ovidio non nisi *falso* tribui pronuntiat. Non defuere tamen, qui Nasoni libenter concederent; quos inter *Passerat*[a], in Præfatione quam præmittendam curaverat interpretationi hujus Poematis, *quæ utinam prodiisset!* exclamat ex animo Burmannus. Neque negligenda prorsus Cl. Barthii sententia, qui, quoties sese daret, occasionem non prætermisit Ovidiani juris in pulcherrimam hanc Elegiam asserendi[b]. Quibuscum omnino consentit vir recentioris quidem, sed non minoris ideo auctoritatis, *Dan. Beck*, in sua carminis hujus *suavissimi* editione, quæ Lipsiæ prodiit, 1783. in-8.

Quum igitur lis tantos inter viros quasi componenda nobis supersit, expendendas sine studio rationes censuimus, quibus suam quisque opinionem tueri conatur.

[a] *Jean Passerat*, qui Augustæ Tricassinorum natus, A. D. 1534. Commentarios inter cætera edidit in Catull. Tibull. et Propert. quorum salva adhuc auctoritas, non sine laude unquam ab iis commemoratur, qui curas posteriores in illustrandis Elegiæ Latinæ principibus impenderunt.

[b] In *Adversariis* passim, et ad Stat. Theb. ii. 134; ibid. 345.

Ac primum quidem de Pedone inquirendum, an is exstiterit poeta, cui *præstantissimum* illud opus, et tot *ingenii luminibus* insigne, tribueretur; quum illi ipsi, qui tribuunt, fateantur Elegiam *in obitum Mæcenatis*, ejusdem ingenii fœtum, *totam languere*, nec quidquam habere *dignum Augustæo ævo*[c]. Meminit quidem Pedonis Quintilianus, lib. x. i; sed obiter, et cum Rabirio conjungens, de quibus: *non indigni*, inquit, *cognitione;* sed illis tantum, quibus *vacaret*. Quod certe non pronuntiasset judex sagacissimus de auctore *Consolationis ad Liviam*. At, inquient forsan, perierat carmen, quum hæc Quintilianus scriberet: perierat igitur quoque, tempore Senecæ Rhetoris, qui quum Suasor. i. fragmentum Pedonis afferat *de Navigatione Germanici per Oceanum septentrionalem*, nullam omnino de *Consolatione*, aliisve Albinovani operibus mentionem faciat. Sed ad auctoritatem confugiamus gravioris multo ponderis: illam dico Ovidii, cui vixisse Pedonem conjunctissimum constat, ex Elegia x. de Ponto, lib. iv. ad eum missa, quo tempore, *carmine Thesea laudaret*, id est, *Theseida*, conscriberet. *Sidereum* quoque dicit, in ejusdem Libri Elegia ultima v. 6. Quis porro crediderit Nasonem, qui nulli æqualium poeseos laudem dicitur invidisse, carmen præstantissimum, in laudando Pedone, qui tam fidelem se amico præstiterat, silentio volentem præteriisse?

Faciant magis ad rem, qui, omisso Pedone Albinovano, *fabulatore egregio*, ut vocat Seneca, et *festivo*, in scenam inducant auctorem Elegiæ nostræ, Celsum hunc Albinovanum, ad quem inscribit Horatius Epistolam viii. Libri primi, quemque *scribam* dicit, *comitemque* Neronis (Tiberii;) quo scilicet munere potuit quidem Drusi frater poetam ad tempus remunerasse, qui non ita Drusum laudaverat, ut non in Tiberii fratris laudes copiosior exundasset. Diversum hunc a Pedone nostro, licet *Albinovanus* uterque cognomine, a patria *Alba Nova*, recte de-

[c] Longissime abest a carminis nostri suavitate. *Beck*, op. cit.

monstravit Torrentius, ad Horat. locum, sed nihil adduxit, unde constet scripsisse eum *Consolationem ad Liviam:* conspirant vero multa, quæ Ovidio legitimam restituant.

Si tempora spectemus, occidit Drusus, *in campis æstivis*, eo ipso anno, quo in exilium pulsus Naso, Roma emigravit, mense Novembri, A. D. ix. Tam opportunam igitur nactum occasionem flectendi Cæsaris, et Liviam, Tiberiumque sibi conciliandi, quis credat non arripuisse promptissimum? Sed cavisse simul probabile est, ne suus ipsi auctor Epistolæ noceret; ideoque nomine non suo primum emisisse; tacitumque expectasse, quis eam successus apud Augustum exciperet; nec sibi unquam in posterum opus vindicasse, quod infeliciter adeo cessisset.

Si vero ad opus ipsum respexeris, nihil fere deprehendas, quod non Ovidium, et auream Latinæ linguæ ætatem referat, unum si tollas alterumve locum, temporum injuria manifeste depravatum. Nec aliter videntur sensisse primi operum ejus editores, qui quum e MSS. proxime exscriberent, Ovidio constanter Elegiam hanc donaverunt. Donemus igitur et nos quoque, donec ejusmodi consurgant argumenta, quæ nodum exsolvant, sicque novum poetam, et egregium quidem, Augusti sæculo congratulentur.

Dignum erat profecto tale carmen, quod post Micyllum, Scaligerum, et alios, Heinsii et Burmanni studiosam sagacitatem exerceret; sed non ea, qua solent, felicitate. Burmannum præsertim hic ego vix agnosco, qui totus in effundendam, qua tumet, bilem, nauseabundam carminis hujus commentationem ultra modum omnem ea mente produxit, ut dicteriis Clericum incesseret[d], Editionis

[d] *Jean Le Clerc*, Latine Clericus, natus erat Genevæ, A. D. 1657. Vir fuit doctrinæ a teneris tam immodice cupidus, ut sacris simul et profanis literis operam impenderet; et quo tempore scriptores sacros illustraret, aut rebus theologicis vacaret, Græcos et Latinos auctores susciperet interpretandos, et quæstiones philologicas viros inter doctos moveret. Unde effectum est, ut raro festinationis vitium in scribendo effugerit; et secundas tantum teneat, qui

reum Albinovanæ, quæ Amstelædami prodiit, *Forma* quam dicunt *Octava*, 1702. et iterum 1718. sub *Theodori Goralli* nomine[e], cum Scaligeri et Heinsii notis, quibus et suas adjecerat. Nec cuncta certe probanda in hac editione, quæ præproperum in edendis operibus editorem arguit; neque laus ingens Burmanno frequentes in interprete errores, aut memoriæ lapsus deprehendisse; cui enim interpretum tale nihil aliquando effluxit, quum nec Scaliger quidem, nec Heinsius ipse, omnino se Burmannianæ ferulæ subduxerint? Sed gravius in virum, qui magistrum se in *Arte Critica* profitebatur, peccaverat scriptor, qui, dum Artis hujus fundamenta, regulas et fines describeret, certis aliquot signis homines vere eruditos ab illis discreverat, qui vana tantum verborum ostentatione, vel locorum apparatu hinc et illinc, prout sese offerunt, coactorum; vel emendationum licentia, fucum ignaris faciunt, mentitam inde famam doctrinæ consequuti. Quorum hic causam, veluti propriam, quare amplexus fuerit Burmannus non video, nisi lacessitus prior ab ipso Clerico[f], impositam sibi respondendi necessitatem censuerit.

Inde sequitur, ut nihil omnino interpretem novum vetus hic commentator juverit; et tota fere illustrandi operis moles in unum me recubuerit. Quod quidem qui scriptoris et scripti commodo, viderit æquus Lector ac benevolus.

primas partes in arte critica potuisset obtinere. Obiit Amstelædami, A. M. DCCXXXVI. Operum illius Catalogus, opus ipse, quod bibliographis relinquendum judico.

[e] *Theodori Goralli.* Quæ voces sunt nominis ejus et prænominis interpretationes; ita ut prænomen quidem Hebraicum sit græce versum; nomen vero Græcum, Hebraica voce expressum.

[f] Vid. vitam Clerici, ab ipso conscriptam, p. 117; et cl. viri Spanheim. Epistol. ad calcem ejusdem libri. Amstelæd. 1711.

AD LIVIAM AUGUSTAM,

DE

MORTE DRUSI NERONIS,

FILII EJUS,

CONSOLATIO *.

VISA diu felix, mater modo dicta Neronum,
Jam tibi dimidium nominis hujus abest:
Jam legis in Drusum miserabile, Livia, carmen:
Unum, qui dicat jam tibi, mater, habes.
Nec tua te pietas distendit amore duorum:
Nec posito filî nomine, dicis; Uter?

* "Livia amiserat filium Drusum, magnum futurum principem, jam magnum ducem..... Accedebat ad hanc mortem, quam ille pro republica obierat, ingens civium, provinciarumque, et totius Italiæ desiderium; per quam effusis in officium lugubre municipiis coloniisque, usque in urbem ductum erat funus, triumpho simillimum. Non licuerat matri, ultima filii oscula, gratumque extremi sermonem oris haurire. Longo itinere reliquias Drusi sui prosequuta, tot per omnem Italiam ardentibus rogis, quasi toties illum amitteret, irritata, ut primum tamen intulit tumulo, simul et illum, et dolorem suum posuit; nec plus doluit, quam aut honestum erat Cæsari, aut æquum matri. Non desiit itaque Drusi sui celebrare nomen, ubique illum sibi privatim publiceque repræsentare, et libentissime de illo loqui, de illo audire." Senec. Consolat. ad Marciam, Cremutii Cordi filiam; iii.

1. *Mater modo dicta Neronum.*] Tiberii scil. et Drusi, quos ex priori conjuge Tiberio Nerone Livia susceperat.

3, 4. *Miserabile carmen.*] Ad misericordiam commovendam compositum. Sic apud Virgil. Philomela *miserabile carmen integrat.—Unum qui dicat*, etc. E duobus filiis *unus* tantum superest, qui dulci te matris nomine compellet! Idem quod supra: *Jam tibi dimidium nominis hujus* (matris) *abest*; et ad Ovidianos modos et quasi nutus aptissimus sane, qui hæc, si non Ovidius ipse, scripsit.

Et quisquam leges audet tibi dicere flendi?
Et quisquam lacrimas temperat ore tuas?
Hei mihi! quam facile est, quamvis hic contigit omnes,
Alterius luctu fortia verba loqui!
Scilicet exiguo percussa es fulminis ictu;
Fortior ut possis cladibus esse tuis.
Occidit exemplum juvenis venerabile morum,
Maximus ille armis, maximus ille toga.
Ille modo eripuit latebrosas hostibus Alpes,
Et titulum belli dux, duce fratre, tulit.

7, 8. *Et quisquam leges audet tibi dicere flendi.*] Quis in tanto tamque justo dolore, *flendi* modum aut *leges* audeat tibi præcipere? Eodem animi affectu Horat. ad Virgil. de morte Quinctilii Vari, lib. i. Od. 24: "Quis desiderio sit pudor aut modus Tam cari capitis?"—Notanda in sequenti locutio hæc *lacrimas ore temperare*, quod idem, ac verbis consolatoriis dolorem alicujus imminuere. Hinc sane Statius, Silv. libro v. Carm. v. 60: "... Qui dicere legem Fletibus, aut fines audet censere dolendi."

9, 10. *Hei mihi! quam facile est, Alterius luctu fortia verba loqui!*] Hinc vere et humaniter Charinus ille apud Terent. And. ii. Sc. i. ix.: "Facile omnes, quum valemus, recta consilia ægrotis damus; Tu, si hic sis, aliter sentias!"

11. *Scilicet exiguo*, etc.] Sic enim tecum isti, de quibus modo: non ea est, quam experiris, jactura, quæ animum gravioribus servatum calamitatibus usque adeo debeat affligere.

13. *Occidit exemplum juvenis*, etc.] Non consentiunt inter se scriptores de mortis genere quo Drusus occubuit. Livius enim Epitom. lib. cxl.: "Ex fractura, equo super crus ejus collapso, trigesimo die quam acciderat, mortuus est." Confuse Vell. Paterc. ii. 97: "Illum ... *fatorum iniquitas*, consulem, agentem annum tricesimum, rapuit." Apertius vere, et quis scit an non verius, Suet. in Claud. i. narrat: "Nonnullos tradere ausos suspectum eum Augusto, revocatumque ex provincia: et quia cunctaretur, *veneno interceptum*." Cui vero ex illis, quæ sentiret, profari licebat, grassante magis ac magis regnantibus assentandi libidine?

14. *Maximus ille armis*, etc.] "Cujus ingenium, (inquit Velleius, ii. 97.) utrum bellicis magis operibus, an civilibus suffecerit artibus, in incerto est." Proximeque: "Morum certe dulcedo ac suavitas, et adversus amicos æqua ac par sui æstimatio inimitabilis fuisse dicitur."

16. *Et titulum belli dux, duce fratre, tulit.*] Verbo quidem Tiberius frater, ut qui natu major, *dux* exercitus; sed vere dux ille, qui ducebat ad victoriam, sicque *titulum*, id est, laudem omnem *belli* hujus *tulit*. Vid. Dio. Cass. liv. et Vell. Paterc. cujus hæc sunt verba: "Adjutore operis dato fratre ipsius (Tiberii) Druso Claudio."

Ille genus Suevos acre, indomitosque Sygambros
Contudit, inque fugam barbara terga dedit;
Ignotumque tibi meruit, Romane, triumphum;
Protulit in terras imperiumque novas.
Solvere vota Jovi, fatorum ignara tuorum,
Mater, et armiferæ solvere vota Deæ,
Gradivumque patrem donis implere parabas;
Et quoscumque coli jusque piumque Deos.
Maternaque sacros agitabas mente triumphos:
Forsitan et curæ jam tibi currus erat.

17. *Ille genus Sueros acre*, etc.] "Ipsum Suevorum nomen unde originem ceperit, plane incertum est. Est equidem immensum montium jugum in Septemtrione, Norvagiam hodie a Suedia dispescens, olim *Sevo* Romanis auctoribus dictum; cui jam inde ab antiquissimis sæculis adfixa fuit *Suionum*, sive Sueonum magna gens; est præterea amnis Ptolemæo Σούηβος, *Suevus*, in Germanicum mare, sive sinum ejus Codanum sese effundens; quorum singula ex uno eodemque fonte, cum universis Suevis sortita fuisse adpellationes suas, nemo temere negaverit. Nec tamen facile quisquam dixerit, cujus vocabulum primum omnium exstiterit, amnis, nationis Suenonum, an vero universæ gentis Suevorum." *Cluver.* German. Antiq. iii. 24.—*Indomitosque Sygambros.* Horum populorum, qui varie apud scriptores occurrunt denominati, *Sicambri*, *Sygambri* et etiam *Sugambri*, non dubitat vir idem doctissimus *Cluver.* ibid. c. 9. quin nomen quæsitum sit a flumine *Sige*, quod accoluisse eos, antequam ab Ubiis pulsi, ad Rheni divortium descenderunt, credibile est. Hinc etiam oppidum est in Sigambrorum finibus, *Sigeburg* nomine, veteris sedis ad Sigum amnem memoriam servans. Quapropter omnium rectissime nomen eorum scribi Latine putat *Sigambri*.

20. *Protulit in terras imperiumque novas.*] Sed hæc ad tempus. "Difficilius est enim, inquit Florus, provincias obtinere, quam facere." Victi quippe magis Germani, quam domiti, Romanos mores magis, quam arma, sub imperatore Druso susceperant; cui quum in imperio Varus successisset, superbia mox et intempestiva crudelitate irritare victorum animos, qui, correptis subito, Arminio duce, armis, Varianas legiones, tres quidem numero, profligarunt. Quæ clades, ipsa Cannensi exitu fœdior, tanto Augustum dolore confecit, ut per continuos menses, barba, capilloque summisso, caput interdum foribus illideret, vociferans: *Quinctili Vare, legiones redde.* Suet. August. 23.—Non hic Varus, cujus de morte Virgil. Horatius consolatur, Od. I. 24, 1; sed ad hunc referendum quod ipse Virg. Ecl. vi. 12: " ... Nec Phœbo gratior ulla est, Quam sibi quæ Vari præscripsit pagina nomen."

24. *Et quoscumque coli*, etc.] Deos intelligit cæteros, quos colere æquum et pium est.

26. *Forsitan et curæ*, etc.] Currum jam triumphalem mente exornabas.

Funera pro sacris tibi sunt ducenda triumphis;
  Et tumulus Drusum pro Jovis arce manet.
Fingebas reducem; præceptaque mente fovebas
  Gaudia; et ante oculos jam tibi victor erat.
Jam veniet; jam me gratantem turba videbit:
  Jam mihi pro Druso dona ferenda meo.
Obvia progrediar, felixque per oppida dicar;
  Collaque et hoc oculos illius ore premam.
Talis erit; sic occurret, sic oscula junget:
  Hoc mihi narrabit; sic prior ipsa loquar.
Gaudia vana foves; spem pone, miserrima, falsam:
  Desine de Druso læta referre tuo.
Cæsaris illud opus, voti pars altera vestri,
  Occidit: indignas, Livia, solve comas.
Quid tibi nunc mores prosunt, actumque pudice
  Omne ævum, et tanto tam placuisse viro?
Quidque pudicitia tantum inviolata bonorum,
  Ultima sit laudes inter ut illa tuas?

28. *Et tumulus Drusum, pro Jovis arce, manet.*] Pro Capitolio, ubi Jovi Opt. Max. templum exstructum erat, quod victorem ascensurum Livia Drusum speraba, *ignara* scilicet *fatorum* quæ ipsum oppresserant.

31. *Jam veniet,* etc.] Suus eam ita ludit error vere maternus, et quæ dicet, quæque dicenti referet filius, animo jam præcipiat.

39. *Cæsaris illud opus.*] Eo sensu *Cæsaris opus* Drusum dicit, quod illum sibi et Tiberium fratrem in filios Augustus adscripserat.—*Voti pars altera vestri.* Sic ex ipso Ovidio corrigendum, qui Pont. iv. Eleg. xiii. 47: "Sic valeant pueri, *votum commune* duorum." Alii omnes: *Veluti pars altera vestri.*

41. *Quid tibi nunc mores,* etc.] Nimius hic poeta in Liviæ laudibus: parciores multo, sed forsan iniquiores, Tacit. Suet. Dio. Patercul. vero, lib. ii. 130. per omnia Deis, quam hominibus, similiorem feminam dicere non dubitat.

43. *Quidque pudicitia tantum inviolata bonorum?*] Locus certe mendosissimus, in quem tamen restituendum vicissim, sed frustra, conspirasse video viros doctissimos. Non male Pithœus, *in tantum inviolata bonorum.* Maxima quippe *pudicitiæ* laus, quæ *in tanto bonorum* concursu, id est, quum tot suppeditent causæ, quæ possint violare, *inviolata* permanet. Sed Latina minus locutio hæc, quam ut admittendam putaverim. Micylli vestigiis insistens Heinsius, aliquando cogitabat: "Quidque pudicitia tantum *cumulasse* bonorum?" Ut sit sensus: quid tibi profuit *tantum bo-*

Quid tenuisse animum contra sua secula rectum;
Altius et vitiis exseruisse caput?
Nec nocuisse ulli, et fortunam habuisse nocendi?
Nec quemquam nervos extimuisse tuos?
Nec vires errasse tuas Campoque Foroque;
Quamque libet citra continuisse domum?
Nempe per hos etiam Fortunæ injuria mores
Regnat; et incerta est hic quoque nixa rota.
Hic quoque sentitur: ne quid non improba carpat,
Sævit; et injustum jus sibi ubique facit.
Scilicet immunis si luctus una fuisset
Livia, Fortunæ regna minora forent?
Quid? si non habitu sic se gessisset in omni,
Ut sua non essent invidiosa bona?
Cæsaris adde domum; quæ certe, funeris expers,
Debuit humanis altior esse malis.
Ille vigil, summa sacer ille locatus in arce,
Res hominum ex tuto cernere dignus erat.

norum (tot virtutes) adeo pudicitia *cumulasse, (superasse,)* ut sit illa (pudicitia scilicet) *ultima* (extrema, summa) tibi virtus, tot inter virtutes. Legebat Clericus (*Jean Le Clerc*:) *Quidve pudicitiæ (profuit) turba inviolata bonorum?*

47. *Nec nocuisse ulli, et fortunam habuisse nocendi.*] Hanc quoque laudem Paterc. loc. cit. Liviæ tribuit, "cujus, inquit, potentiam nemo sensit, nisi aut levatione periculi, aut accessione dignitatis."

49, 50. *Nec vires errasse tuas,* etc.] Quid juvat nec suffragia in comitiis, nec in foro judicia corrupisse, quum utrumque tibi, pro tuis *viribus,* (quæ tua est potentia) facile admodum cessisset? *Quamque libet citra constituisse domum. Vires* subintell. aut *nervos;* et sic e præcedenti 48. interpreteris: nulla domus est, quantumvis humilis (quælibet) quæ quid possis unquam *extimuerit.* Legendum igitur cum Heinsio, *continuisse.*

51. *Nempe per hos mores.*] *Per hos mores* intelligendum, meo quidem judicio, de iis principibus qui insolentiori potentiæ suæ usu, animos exasperant; sicque fortunæ subserviunt inscii, quæ brevi a miseris pœnas repetit favoris sui. Unde fit, ut miscere principatum cum publica libertate sit res omnium difficillima; statioque (in rota fortunæ) maxime lubrica. Nihil aliud, credo, poeta voluit innuere.

54. *Injustum jus sibi ubique facit.*] Hoc sibi fortuna arrogat *injuste,* ut *ubique* dominetur.

57. *Quid? si non habitu,* etc.] Fortunæ hoc laudi tribuit, quæ talem se semper gesserat, quo minorem, quæ largitur *bona,* invidiam sui faceret.

61. *Ille vigil, summa sacer ille,* etc.]

Nec fleri ipse suis, nec quemquam flere suorum;
  Nec, quæ nos patimur vulgus, et ipse pati.
Vidimus erepta mœrentem stirpe sororis:
  Luctus, ut in Druso, publicus ille fuit.
Condidit Agrippam, quo te, Marcelle, sepulcro;
  Et cepit generos jam locus ille duos.
Vix posito Agrippa tumuli bene janua clausa est:
  Perficit officium funeris ecce soror.
Ecce ter ante datis, jactura novissima, Drusus
  A magno lacrimas Cæsare quartus habet.
Claudite jam, Parcæ, nimium reserata sepulcra;
  Claudite: plus justo jam domus ista patet.
Cedis; et incassum tua nomina, Druse, levantur.
  Ultima sit fati hæc summa querela tui.

Non sine ἔμφασι repetitio hæc. *In arce:* in cœlo scilicet, ubi suam Augusto jam stationem poeta adsignat.

65. *Erepta stirpe sororis.*] Marcello, Octaviæ filio, qui Juliam Augusti filiam duxerat, et tantam sui spem morum candore, et omni virtutum genere fecerat, ut *publicus* defunctum, anno quidem ætatis decimo octavo, *luctus* prosequutus fuerit. Noti nimis, quam ut hic referam, Virgilii de eo versus, Æn. vi. 883. Sed in dubium nuper revocavit Cl. *Mongez*, e Sociis Regiæ Inscript. Academiæ, animo Octaviam defecisse, recitante Virgilio hunc versum, *Tu Marcellus eris*; et jussisse, pro singulis hujus argumenti versibus auctori dena sestertia numerari. Desiderantur, fateor, scriptorum testimonia quæ factum comprobent, a Donato primum, ut videtur, confictum: legimus contra apud Senecam, Consol. ad Marc. ii. *carmina celebrandæ Marcelli memoriæ composita rejecisse*; sed ne laudem hanc Musis et tanto poetæ invideamus!

68. *Et cepit generos jam locus ille duos.*] Defuncto enim Marcello, Juliam Augustus Agrippæ nuptui dederat, exorata sorore, ut sibi generum cederet. Suet. Aug. 63.

70. *Perficit officium funeris ecce soror.*] Octavia, quæ, *perfecto* vix Agrippæ *funere*, et quum tumuli *vix bene clausa* esset *janua*, Romæ decessit, quinquagesimum et quartum agens ætatis annum.

73, 74. *Claudite, jam Parcæ*, etc. *Plus justo jam domus ista patet.*] Ditis, scilicet. Virg. Æn. vi. 127: "Noctes atque dies *patet* atri janua Ditis."

75, 76. *Cedis; et incassum tua nomina, Druse, levantur.*] Intelligit Burmannus de clamore supremo, quo mortuos ciebant, proprio eos nomine vocantes; unde *vocantur* legendum *forte* censebat. Micyllus vero, de titulis et nominibus magnificis quæ jam sibi Drusus virtute paraverat. *Ultima sit fati hæc summa querela tui.* Optat poeta, ut *querela hæc de fato* Drusi sit tandem *ultima*, quum tot secum bona abstulerit. Tentaverat

Iste potest implere dolor vel secula tota,
Et magni luctus obtinuisse locum.
Multi in te amissi: nec, cui tot turba bonorum,
Omnis cui virtus contigit, unus eras.
Nec genetrice tua fecundior ulla parentum,
Tot bona per partus quæ dedit una duos.
Heu! par illud ubi est, totidem virtutibus æquum?
Et concors pietas, nec dubitatus amor?
Vidimus, attonitum fraterna morte, Neronem
Pallida promissa flere per ora coma,
Dissimilemque sui, vultu profitente dolorem:
Hei mihi! quam toto luctus in ore fuit?
Tu tamen extremo moriturum tempore fratrem
Vidisti; lacrimas vidit et ille tuas;
Adfigique suis moriens tua pectora sensit,
Et tenuit vultu lumina fixa tuo;
Lumina, cærulea jam jamque natantia morte;
Lumina, fraternas jam subitura manus.
At miseranda parens suprema neque oscula fixit,
Frigida nec fovit membra tremente sinu.
Non animam adposito fugientem excepit hiatu;
Nec traxit cæsas per tua membra comas.

olim Heinsius, sed non sua, ut mihi videtur, fortuna: "Cedis, *ut* incassum tua nomina, Druse, *legantur*. Ultima sit *factis hæcce* querela *tuis!*"

77. *Iste potest implere dolor*, etc.] Friget admodum oratio ad v. 83. quia longius Naso immoratur, in evolvenda una eademque sententia.

79. *Cui tot turba bonorum contigit*, etc.] Tot cui virtutes obtigerant: ex emendatione Scaligeri; nam prius legebatur, *tot* verba *bonorum*. Sed correctionem N. Heinsius in textum recipere minime dubitavit, et transtulit, ut vidimus, *Le Clerc*, ad ver. 43.

83. *Heu! par illud ubi est*, etc.] Fratrum scilicet, Tiberii et Drusi, quos eædem exornabant virtutes, et indubitatus amor adhuc conjunxerat.

94. *Lumina fraternas jam subitura manus.*] Quæ mox fraterna manus occludet.

95. *At miseranda parens*, etc.] Ita Euryali mater apud Virg. Æn. ix. 483. sed vehementius multo, ut matrem ipsam decebat.

Raptus et absenti, dum te fera bella morantur,
  Utilior patriæ, quam tibi, Druse, tuæ.
Liquitur; ut quondam, Zephyris et solibus ictæ,
  Solvuntur teneræ, vere tepente, nives.
Te queritur, casusque malos, irrisaque tales,
  Accusatque annos, ut diuturna, suos.
Talis in umbrosis, mitis nunc denique, silvis
  Deflet Threïcium Daulias ales Ityn:
Halcyonum tales ventosa per æquora questus
  Ad surdas tenui voce sonantur aquas:
Sic plumosa novis plangentes pectora pennis
  Œniden subitæ concinuistis, aves:
Sic flevit Clymene; sic et Clymeneïdes, alte
  Quum juvenis patriis excidit ictus equis.
Congelat interdum lacrimas, duratque, tenetque,
  Suspensasque oculus fortior intus agit.

101. *Liquitur; ut quondam*, etc.] Solvitur in lacrimas: propria vox eo sensu *liquitur*. Virg. Georg. i. 43: "Gelidus canis quum montibus humor *Liquitur*, et Zephyro putris se gleba *resolvit*."

103. *Te queritur, casusque malos, irrisaque tales.*] Feliciter Heinsius corruptissimum locum, qui nullum omnino sensum exhibebat, nulla licet MSS. vel scriptorum emendantem auctoritas adjuvaret, sic curavit restituendum: "Te queritur, etc. irrisaque *vota*."

104. *Ut diuturna.*] Ut quæ vitam longius protulerit.

105. *Talis in umbrosis*, etc.] Nullus sane hic erat locus in campum mythologicum late adeo excurrendi. Quod si forte poetam Virgilii exemplum tentaverit, qui luctus Orphei, amissa Eurydice, cum luctu Philomelæ comparat, Georg. iv. 511; debuisset attendere Maronem fabulam narrare, quæ sua peteret ornamenta, ex ipso fonte, unde esset oriunda: Nasonem vero facto recentiori, et quidem crudelissimo, matris ipsius aures verberare.

106. *Daulias ales.*] Vide Epistolam xv. 156.

109—110. *Sic plumosa novis.—— Œniden concinuistis aves.*] Diomedis socios designat, qui ducem amissum tam amare defleverunt, ut illos Dii in cycnos immutaverint. Dicunt alii in aves conversos, ob iram Veneris, quam ferro Diomedes læserat.

111. *Sic flevit Clymene: sic et Clymeneides.*] Mater Phaetontis et sorores. Vid. Nostrum Met. lib. ii.

113. *Congelat interdum lacrimas.*] Facit premendo, ut subsistant lacrimæ, aquæ more, quæ acriori, vel inter cadendum frigore correpta, subito pendet adstricta. De oculis Hom. Odyss. T. 211: Ὀφθαλμοὶ δ' ὡσεὶ κεραὶ ἕστασαν, ἠὲ σίδηρος. Ubi recte Scholias-

Erumpunt, iterumque gravant gremiumque sinus-
Effusæ gravidis uberibusque genis. [que,
In vires abiit flendi mora: plenior unda
Defluit, exigua si qua retenta mora.
Tandem, ubi per lacrimas licuit, sic flebilis orsa est,
Singultu medios impediente sonos:
Nate, brevis fructus, duplicis sors altera partus,
Gloria confectæ, nate, parentis, ubi es? [tus,
Sed neque jam duplicis, neque jam sors altera, par-
Gloria confectæ nunc quoque matris, ubi es?
Heu! modo tantus, ubi es? tumulo portaris et igni.
Hæc sunt in reditus dona paranda tuos?
Siccine dignus eras oculis occurrere matris?
Sic ego te reducem digna videre fui?
Cæsaris uxori si talia dicere fas est;
Jam dubito, magnos an rear esse Deos.
Nam quid ego admisi? quæ non ego numina cultu,
Quos ego non potui demeruisse Deos?
Hic pietatis honos? artus amplector inanes.
Et vorat hos ipsos flamma rogusque sinus.

tes κεφὰ τόξα interpretatur. Inde *contenti oculi* apud Suet. Tib. c. 7; et mox Noster: "Suspensasque oculus fortior intus agit." Quod est *resorbere fletum*, ut ait Senec. Herc. Œt. 1285.

117. *In vires abiit flendi mora.*] Id est, eo fluunt lacrimæ uberiores, quo longior eas mora detinuit: rem comparatione illustrat.

120. *Singultu—impediente sonos.*] *Præpediente*, Noster, Tristium, I. Eleg. iii. 42: "Singultu medios præpediente sonos."

122. *Gloria confectæ—parentis.*] Mœrore scilicet; nondum enim annis. Vett. Edd. *conspectæ;* quæ vox in tanto dolore ambitiosior: possit tamen defendi, oppositionis respectu cum *gloria* filii, unde multo magis *conspicienda* mater. Venus quidem ad Amorem, Æn. libro i. 668: "Nate, meæ vires, mea magna potentia solus."

129. *Cæsaris uxori si talia dicere fas est.*] Recte corrigit quæ mox dictura: non enim decebat Cæsaris uxorem, qui ut rebus politicis, sic et religiosis præerat, *dubitare an Dii essent*, licet eo desperationis adductam et amentiæ, ut furenti quidquid exciderit, ipsi Dii faciles ignovissent: sed occasionem nactus Ovidius suam Augusto pietatis famam gratulandi, non voluit prætermittere.

132. *Quos ego non potui*, etc.] Quem inquit, Deorum neglexi, ut adversum sperare *meruerim?*

134. *Et vorat hos ipsos flamma rogusque sinus.*] Libri veteres: "Evo-

Tene ego sustineo positum scelerata videre?
Tene meæ poterunt unguere, nate, manus?
Nunc ego te infelix summum teneoque tuorque?
Effingoque manus? oraque ad ora fero?
Nunc primum adspiceris consul victorque parenti?
Sic mihi, sic miseræ nomina tanta refers?
Quos primum vidi fasces, in funere vidi:
Et vidi eversos, indiciumque mali.
Quis credat? matri lux hæc mœstissima venit,
Qua natum in summo vidit honore suum!
Jamne ego non felix? jam pars mihi rapta Neronum,
Materni celeber nomine Drusus avi?
Jamne meus non est, nec me facit ille parentem?
Jamne fui Drusi mater? et ipse fuit?

cat (*vel* Et vorat) hos ipsos flamma rogusque *suus.*" Qui versus quidem, quin vera sit lectio, minime dubito; nec *sinus*, pro *suus* legentibus ullus adsentior. Agit enim de artubus, quos *inanes* amplectitur, quosque jam *vorat* rogus *suus*, id est, qui ad comburendos paratur. Fuit qui vellet *suos*, quasi illos artus jure suo rogus sibi jam vindicaret; verum hoc argutius. Quam facile autem in *evocat* abierit *et vorat*, non distincte satis exaratum, vix dicendum.

135. *Tene ego sustineo positum scelerata videre.*] *Sustineo* pro possum, vulgare; et *positum*, solemne in exequiis. *Scelerata.* Pollutam se aliquo *scelere* suspicatur, ideoque Diis invisam, qui tale *pietatis* præmium rependerent. Idem enim sæpe *sceleratus* ac impurus, *ἀνόσιος*: sic *sceleratus campus* dicebatur, in quo Vestales, quæ incestum fecerant, defodiebantur; et *scelerata* Porta Carmentalis, unde sex et trecenti Fabii, cum clientium millibus quinque, adversus Hetruscos egressi, pugnando interfecti sunt. Vid. Tit. Liv. ii. 49.

140. *Nomina tanta refers!*] Consulatus quippe, et Germanici cognomen Druso, eo ipso, quo periit, anno obtigerunt.

142. *Et vidi eversos.*] Quidam *inversos.* Solebant enim virorum insignia, vel arma in funere *inverti:* qui mos adhuc apud nos. Sic Virgil. Æn. xi. lib. 93. in Pallantis funere: "—Tum mœsta phalanx, Teucrique sequuntur, Tyrrhenique duces, et *versis* Arcades *armis.*"

143. *Lux hæc mœstissima venit.*] *Carissima* vett. omnes edd. Quod ita non improbem, ut ironice dictum, neque ideo a summo dolore alienum. Confirmant præterea quæ sequuntur, 145: *Jamne ego non felix!*

146. *Materni celeber nomine Drusus avi.*] Drusorum familia, Livia primum denominabatur; sed quum unus ex illis Gallorum ducem quemdam, *Drusum* nomine, occidisset, hoc sibi cognomen addidit. Hinc genus ducebat *Livia Drusilla*, de qua hic agitur. Drusos Virgil. honorifice commemorat, Æn. vi. 824; sed adulatorie magis, quam historice.

Nec quum victorem referetur adesse Neronem,
Dicere jam potero, Major, an alter, adest?
Ultima contigimus: jus matris habemus ab uno:
Unius est munus, quod tamen orba negor.
Me miseram! extimui, frigusque per ossa cucurrit;
Nil ego jam possum certa vocare meum.
Hic meus ecce fuit: jubet hic de fratre vereri;
Omnia jam metuo: fortior ante fui.
Sospite te saltem moriar, Nero! tu mea condas
Lumina, et excipias hanc animam ore pio.
Atque utinam Drusi manus altera, et altera fratris,
Formarent oculos comprimerentque meos!
Quod licet, hoc certe tumulo ponemur in uno,
Druse; neque ad veteres conditus ibis avos.
Miscebor cinerique cinis, atque ossibus ossa.
Hanc lucem celeri turbine Parca neat!"
Hæc et plura refert: lacrimæ sua verba sequuntur,
Oraque nequicquam per modo questa fluunt.
Quin etiam corpus, matri vix vixque remissum,
Exsequiis caruit, Livia, pene suis.

150. *Major, an alter adest?*] Nec quærere jam potero, uter adest victor? Natune major, Tiberius scilicet, an Drusus frater? Ambo autem victores jam redierant e Rhætis, Vindelicis, etc. quæ quidem victoriæ magnifice adeo fuerunt ab Horatio decantatæ, lib. iv. Od. 4 et 14.

161. *Quod licet, hoc certe, tumulo componemur in uno.*] *O certe* legendum monebat Heinsius. *Tumulo in uno.* In mausoleo Cæsarum, non in monumento Claudiæ vel Liviæ gentis; et ita factum fuisse narrat Dio Cass. lv.

163. *Miscebor cinerique cinis.*] Nec voto excidit; nam in eodem tumulo, quo Drusus, Livia condita fuit; teste scriptore eodem, ineunte lib. lviii. Conferant, qui talibus delectantur, orationem hanc Liviæ cum verbis Evandri, Æn. xi. 152. super exstinctum Pallanta procumbentis, erumpentisque in has voces: "Non hæc, ô Palla, dederas promissa parenti," etc.

167. *Quin etiam corpus matri vix vixque remissum.*] Is erat militum amor in Drusum, ut *auferendum* ipsis fuerit corpus; quod quum retinere non potuissent, duci saltem monumentum inane quidem, sed splendidum posuerunt, ad Rhenum, ipsis in locis ubi Germanorum impetum ad tempus fregerat.

Quippe ducem arsuris exercitus omnis in armis,
  Inter quæ periit, ponere certus erat.
Abstulit invitis corpus venerabile frater;
  Et Drusum patriæ, quod licuitque, dedit.
Funera ducuntur Romana per oppida Drusi;
  Heu facinus! per quæ victor iturus erat;
Per quæ deletis Rhætorum venerat armis.
  Hei mihi! quam dispar huic fuit illud iter!
Consul init fractis mœrentem fascibus urbem.
  Quid faceret victus, sic ubi victor init?
Mœsta domus plangore sonat, cui figere lætus
  Parta sua dominus voverat arma manu.
Urbs gemit, et vultum miserabilis induit unum;
  Gentibus adversis forma sit illa, precor! [bem;
Incerti clauduntque domos, strepitantque per ur-
  Hic illic pavidi clamque palamque dolent.
Jura silent, mutæque tacent sine vindice leges:
  Adspicitur toto purpura nulla foro.

171. *Frater.*] Tiberius, qui, audita vix fratris valetudine, ad illum advolavit, defunctique corpus "pedibus toto itinere prægrediens, Romam usque pervexit." Ab hoc uno Tiberium omnem discas licet. Rem fusius narrat, nec adulatorie minus Val. Maxim. v. 5. "Tantum amorem princeps, inquit, parensque noster insitum animo fratris Drusi habebat, ut quum Ticini, quo victor hostium, ad complectendos parentes venerat, gravi illum et periculosa valetudine in Germania fluctuare cognosset, proinde metu attonitus erumperet. Iter quoque quam rapidum et præceps, vel ut uno spiritu corripuerit, eo patet, quod Alpes, Rhenumque transgressus die ac nocte, mutato subinde equo, ducenta millia passuum, per modo devictam Barbariem, Antabagio duce solo comite, evasit." Omnes, ut videtur, ex Livio, Epit. lib. cxl.

177. *Consul init*, etc.] Sic olim legebatur: "*Consuluit* fractis mœrentem fascibus urbem." Versum hunc corruptissimum omnium primus Micyllus restituit, legitque pro *consuluit*, *consul init*. Sequuti deinde Pithœus, Scaliger, Heinsius, etc. Sed viri modestiam animadvertas, quæso; qui quum plurima felicitate pari emendaverit, textum nusquam immutare ausus est; talemque omnino, qualem invenerat, fideliter exhibuit.

181. *Urbs gemit, et vultum miserabilis induit unum.*] Tristitia eadem omnium in vultu pariter insidet; quod *gentibus adversis* accidat *precatur* poeta; scilicet, ut sic lugeant.

Dique latent templis ; neque iniqua ad funera vul-
Præbent ; nec poscunt tura ferenda rogo. [tus
Obscuros delubra tenent : pudet ora colentum
Adspicere, invidiæ quam meruere metu.
Atque aliquis de plebe pius pro paupere nato
Sustulerat timidas sidera ad alta manus :
Jamque precaturus : " quid ego autem credulus,"
" Suscipiam in nullos irrita vota Deos ? [inquit,
Livia, non illos pro Druso Livia movit :
Nos erimus magno maxima cura Jovi ?"
Dixit : et iratus vota insuscepta reliquit ;
Duravitque animum, destituitque preces.
Obvia turba ruit ; lacrimisque rigantibus ora
Consulis erepti publica damna refert.
Omnibus îdem oculi ; par est concordia flendi.
Funeris exsequiis adsumus omnis Eques.
Omnis adest ætas : mœrent juvenesque senesque ;
Ausoniæ matres, Ausoniæque nurus.
Auctorisque sui præfertur imagine mœsta,
Quæ victrix templis debita laurus erat.
Certat onus lecti generosa subire juventus,
Et studet officio sedula colla dare.
Et voce et lacrimis laudasti, Cæsar, alumnum ;
Tristia quum medius rumperet orsa dolor.

190. *Invidiæ, quam meruere, metu.*] Non ignari quantum in ipsos invidiæ tam acerba Drusi mors apud Romanos debeat incitare.

200. *Consulis erepti publica damna refert.*] Enumerat illacrymans, quot quantaque Reipublicæ bona *Consulis*, id est Drusi, letum inviderit. Nec sine mente *Reipublicæ* dixit : prolata enim est, a Tiberio fratre, Drusi Epist. " qua secum, inquit Sueton. Tiber. 50. de cogendo *ad restituendam libertatem* Augusto agebat." Quid mirum nunc, quod incerto mortis genere, triginta vix annos natus, e vivis excesserit !

209. *Et voce et lacrimis*, etc.] " Vivum tantopere dilexit Augustus, ut coheredem semper filiis instituerit, sicut quondam in senatu professus est ; et defunctum ita pro concione laudavit, ut Deos precatus sit, similes ei

Tu letum optasti, Dis aversantibus omen,
Par tibi; si sinerent te tua fata mori.
Sed tibi debetur cœlum: te, fulmine pollens,
Accipiet cupidi regia magna Jovis.
Quod petiit, tulit ille; tibi ut sua facta placerent:
Magnaque laudatus præmia mortis habet.
Armatæque rogum celebrant de more cohortes,
Et pedes exsequias reddit equesque duci.
Te clamore vocant iterumque iterumque supremo;
At vox adversis collibus icta redit.
Ipse pater flavis Tiberinus inhorruit undis:
Sustulit et medio nubilus amne caput.
Tum salice implexum, muscoque et arundine, cri-
Cæruleo magna legit ab ore manu; [nem
Uberibusque oculis lacrimarum flumina misit:
Vix capit adjectas alveus altus aquas;
Jamque rogi flammas extinguere fluminis ictu,
Corpus et intactum tollere, certus erat.
Sustentabat aquas, cursusque inhibebat equorum,
Ut posset toto proluere amne rogum.

suos Cæsares facerent, sibique tam honestum quandoque exitum darent, quam ipsi dedissent." Sueton. Claud. c. 1. Neque contentus (addit scriptor idem, loco cit.) elogium ejus tumulo, versibus a se compositis insculpsisse, etiam vitæ memoriam prosa oratione composuit."

215. *Quod petiit, tulit ille.*] Nihil aliud sibi Drusus in agendo proposuit, quam ut sua tibi facta probarentur; ergo vitæ et mortis ipsius præmium habet, a te post mortem publice laudatus.

221. *Flavis undis.*] Solemne fluvii hujus epitheton; neque aliter illum unquam designant Virgilius et Horatius. De origine et vero sensu vocabuli, vid. Turneb. Adv. xxii. 7.

222. *Nubilus.*] Tristis; et fronte quasi nubibus obducta.

226. *Vix capit adjectas*, etc.] Nulla tunc Tiberis exundatio; sed refert poeta ad funus Drusi, quod evenisse narrat Dio, liii. quo tempore obiit Marcellus; scilicet, adauctum repente Tiberim pontem sublicium evertisse, fecisseque, ut urbs per triduum esset navibus pervia.

227. *Fluminis ictu.*] Immisso undarum impetu. Sic illum fingit Hor. "Retortis... violenter undis, Ire dejectum monumenta regis, Templaque Vestæ." (I. Od. 2.)

Sed Mavors templo vicinus, et accola Campi,
  Tot dixit siccis verba nec ipse genis :
Quamquam amnes decet ira, tamen, Tiberine, qui-
  Non tibi, non ullis vincere fata datur. [escas :
Iste meus periit ; periit arma inter et enses,
  Et dux pro patria ; funere causa latet.
Quod potui tribuisse, dedi : victoria parta est.
  Auctor abît operis ; sed tamen exstat opus.
Quondam ego tentavi Clothoque, duasque sorores,
  Pollice quæ certo pensa severa trahunt,
Ut Remus Iliades, et frater conditor urbis
  Effugerent aliqua stagna profunda via.
De tribus una mihi ; partem accipe, quæ datur,
  Muneris : ex istis, quod petis, alter erit. [inquit,

231. *Templo vicinus, et accola campi.*] Erat enim Marti templum, in campo ab ipsius nomine dicto, sacratum, quod A. U. C. decliii. fulmine percussum, totum conflagravit. Dio. lvi.

233. *Amnes decet ira.*] Egregie Lucanus, de Nilo, Καταράκτας impetu magno profluente, Phars. x. 315 : "...Quis te tam lene fluentem Moturum tantas violenti gurgitis iras, Nile, putet? Sed quum lapsus abrupta viarum Excepere tuos, et præcipites cataractæ, Ac nusquam vetitis ullas obsistere cautes Indignaris aquis, spuma tunc astra lacessis ; Cuncta fremunt undis ; ac multo murmure montis Spumeus invictis canescit fluctibus amnis." Non male certe ; sed quanto major Homerus, in describendis Scamandro et Simoënte, pro ripis cum Achille decertantibus ! Iliad. Φ. v. 234. sqq.

235. *Iste meus periit.*] *Meus*, quem ipse ad artem bellicam informaveram, fovebamque amore paterno ; *periit* quidem ; sed ut alumnum meum decebat perire, *arma inter et enses, et dux pro patria ! Funere causa latet.* Interpretes diu multumque exercuit hoc hemistichion. Intelligebat Micyllus : cur illum Dii, seu fata, tam cito abstulerint, in obscuro est. Qui sensus non ita repugnat, quum non satis inter se constent scriptores, de causa, aut genere mortis : sed admittenda tunc durior multo ἀντίπτωσις, *funere*, pro *funeris vel funeri.* Quod Scaligerum, Heins. et Burmannum impulit, ut legerent, primus quidem : " *Et lux proh !* patriæ funere *clausa latet.*" Heinsius vero : " Et lux proh ! patriæ *lumine cassa* latet." Servato Burmanni priori hemistichio, levi admodum immutatione. *Ut dux pro Patria*, alterum sic constituit : *funere causa patet.* Id est, ipsum *funus* declarat Drusum *pro patria* occubuisse. Præluserat jam Cuperus, Observ. iv. 3.

244. *Quod petis, alter erit.* Immortalis, scilicet ; qua autem via ad Superos Romulus migraverit, incertum. Poetice quidem : " Martis

Hic tibi; mox Veneri Cæsar promissus uterque.
Hos debet solos Martia Roma Deos.
Sic cecinere Deæ; nec tu, Tiberine, repugna,
Irrite; nec flammas amne morare tuo;
Nec juvenis positi supremos destrue honores.
Vade age, et admissis labere pronus aquis.
Paret, et in longum spatiosas explicat undas;
Structaque pendenti pumice tecta subit.
Flamma diu cunctata caput contingere sanctum,
Erravit posito lenta sub usque toro.
Tandem ubi complexa est silvas, alimentaque sum-
Æthera subjectis lambit et astra comis. [sit,
Qualis in Herculeæ colluxit collibus Œtæ,
Quum sunt imposito membra cremata Deo.
Uritur heu! decor ille viri, generosaque forma,
Et faciles vultus; uritur ille vigor!

equis Acheronta fugit." (Hor. iii. Od. 3.) Sed historicos audiamus: "fuisse credo, inquit Livius, lib. 1. cap. 16. tum quoque aliquos, qui discerptum patrum manibus taciti arguerent." Plutarch. quoque in *Romul.*

245. *Cæsar uterque.*] Julius Cæsar et Augustus, *promissus* uterque *Veneri* ab ipso Jove: Julius quidem, Æn. i. 390; Augustus vero, Metam. xv. 819.

249. *Nec juvenis positi supremos destrue honores.*] Nec rogum dejicias, ut *certus* eras, in quem honorandum supremo funere *juvenem* posuerunt.

250. *Admissis labere pronus aquis.*] *Immissis*, codd. nonnulli, et vett. edd. ad unam omnes: et recte quidem. Quum enim Mars, *labere pronus aquis*, dicit, Fluvium monet, ut, receptis in alveo aquis, quæ in rogum Drusi jam jam immittendæ intumuerant, *pronus labatur;* id est, quo suus eum fert decursus, placidus sequatur. Nihil ergo mutandum: ferri tamen posset, si daretur, *admissis.*

252. *Structaque pendenti pumice tecta subit.*] Ita passim apud poetas saxa quævis erosa, de quibus sacra Dearum ac Nympharum antra construxerunt, *pumices* vocantur, aut *tophi*, in quibus *pendere* verbum est maxime proprium.

254. *Lenta sub usque toro.*] Veteres, *sibi usque:* Scaliger, *lenta subitque.* Neutri adhærendum, quum res ipsa sensum tam aperte declaret. Flamma enim *cunctata diu*, quasi timeret *caput sanctum* contingere, corripit primum, et lente (*usque*) ligua deposcit, quæ *toro* fuerant subjecta.

256. *Subjectis lambit et astra comis.*] Flammas eleganter *comas* dicit, quæ, quum altius exsurrexerint, in totidem apices, capillorum more, quasi filatim dissolvuntur, et perpetuo ac volubili motu astra videntur *lambere.*

260. *Et faciles vultus: uritur ille*

Victricesque manus, facundaque principis ora,
Pectoraque, ingenii magna capaxque domus!
Spes quoque multorum flammis uruntur in isdem.
Iste rogus miseræ viscera matris habet.
Facta ducis vivent, operosaque gloria rerum:
Hæc manet; hæc avidos effugit una rogos.
Pars erit historiæ, totoque legetur in ævo;
Seque opus ingeniis carminibusque dabit.
Stabis et in rostris tituli speciosus honore;
Causaque dicemur nos tibi, Druse, necis.
At tibi jus veniæ superest, Germania, nullum;
Postmodo tu pœnas, barbara, morte dabis.
Adspiciam regum liventia colla catenis;
Duraque per sævas vincula nexa manus;

vigor! Quum vero *facilis* habeant Scaliger. Ald. Pith. et aliæ edd. legendum hinc conjiciebat Burmann. "Et *facilis* vultus uritur ille *rigor*." Ut qui *rigorem* quemdam vultu præferret, *facilitate* et benignitate temperatum. Quod non ita repugnat de Druso, cujus *dulcedo ac suavitas* maxime a Vell. laudatur, ii. 97.

262. *Pectoraque, ingenii magna capaxque domus.*] De eodem scriptor idem, loco citato: "Cujus ingenium, utrum bellicis magis operibus, an civilibus suffecerit artibus, in incerto est. Fuisse autem creditur, non minus gloriosi, quam civilis animi." Suet. Claud. 1.

268. *Seque opus ingeniis carminibusque dabit.*] Amplam certe materiem suppeditabit, in quam tractandam sese exserant poetarum ingenia. Et Horatio jam, ut vidimus, suppeditaverat, et ipsi deinde Ovidio: Trist. IV. Eleg. ii. 39. de Pont. II. Eleg. ii. 74. Fast. i. 597.

269. *Stabis et in rostris*, etc.] Statua in rostris donaberis. "Præterea senatus, inter alia complura, marmoreum arcum cum tropæis via Appia decrevit, et *Germanici* cognomen ipsi posterisque ejus." Suetonius, Claud. I. Dio. lv. *Tituli speciosus honore.* Honorifica insignis inscriptione, quæ sic adhuc in numismatibus legitur: NERO CLAUDIUS DRUSUS GERMANICUS IMP. "Non per adulationem, inquit Florus, iv. 12. sed ex meritis defuncto ibi (in German.) fortissimo juvene, ipsi, quod numquam alias, senatus cognomen ex provincia dedit."

273. *Adspiciam regum liventia colla catenis*, etc.] Durior justo imprecatio hæc in Germanos, qui, communi gentium jure, suam sibi libertatem et patriam armis vindicare conabantur. Cæterum, hunc se erga illos Drusus gesserat, quem vel ipsi hostes, teste Seneca, Consolat. ad Marciam, iii. *ægrum cum veneratione* et pace mutua *prosequerentur;* nec *optare quod expediebat* auderent.

Et tandem trepidos vultus; inque illa ferocum
  Invitis lacrimas decidere ora genis.
Spiritus ille minax, et Drusi morte superbus,
  Carnifici in mœsto carcere dandus erit.
Consistam, lætisque oculis, lentusque videbo
  Strata per obscænas corpora nuda vias.
Hunc Aurora diem, spectacula tanta ferentem,
  Quam primum croceis roscida portet equis.
Adjice Ledæos, concordia sidera, fratres;
  Templaque Romano conspicienda foro.
Quam parvo numeros implevit principis ævo,
  In patriam meritis occubuitque senex!
Nec sua conspiciet, miserum me! munera Drusus,
  Nec sua pro templi nomina fronte leget!
Sæpe Nero, illacrimans, submissa voce loquetur:
  Cur adeo fratres, heu! sine fratre, Deos?
Certus eras nunquam, nisi victor, Druse, reverti.
  Hæc te debuerant tempora: victor eras.

280. *Strata per obscænas corpora nuda vias.*] Mos erat occisorum in carcere corpora nuda fœde projici per vias vicinas, quæ ideo *obscænæ*, id est, male ominosæ habebantur: memoraturque a Dione, lviii. tot inter quæ Sejani mortem portenderent, quod servi ejus, eo ipso die quo captus est, in viam diverterint quæ ducebat ad carcerem, lapsique ceciderint per scalas Gæmonias descendentes.

283. *Adjice Ledæos, concordia sidera, fratres.*] "His (Tib. et Drus.) scio equidem nullum aliud, quam Castoris et Pollucis, specimen consanguineæ charitatis convenienter adjici posse." Val. Max. v. 5. Putida hæc quidem adulatio; constat tamen Tiberium Concordiæ et Ledæorum ædes instaurasse, suoque et Drusi fratris nomine, licet defuncti, inscripsisse, ut amicitiæ, quæ vivos conjunxerat, mansuram apud posteros famam consecraret. De illa templi Concordiæ, quod olim Furius voverat, instauratione meminit quoque Ovidius Fastorum libro i. 637 sqq.

285. *Quam parvo numeros implevit principis ævo!*] Eleganter admodum, pro: quam brevi annorum spatio princeps exstitit numeris omnibus absolutus! Numerum adimplevit virtutum, quæ principem absolvunt.

290. *Cur adeo fratres, heu! sine fratre, Deos!*] Verba sunt Tiberii, dolentis quod sine fratre, *Deos fratres*, adeat, Cast. et Polluc. in ædem quam ipsis dicabat. Sensus plane obvius, et affectus quidem dulcissimus: unde non video quid Scaligerum impulerit, ut legeret: "Cur adeo, frater, heu! sine fratre tuo es?"

291—292. *Certus eras nunquam, nisi victor*, etc.] Fixum, immotumque

Consule nos, duce nos, duce jam victore, caremus:
Invenit en tota mœror in urbe locum.
At comitum squalent immissis ora capillis,
Infelix, Druso sed pia turba suo.
Quorum aliquis, tendens in te sua brachia, dixit:
Cur sine me, cur sic incomitatus abis?
Quid referam de te, dignissima conjuge Druso,
Atque eadem Drusi digna parente nurus?
Par bene compositum; juvenum fortissimus alter,
Altera tam forti mutua cura viro.
Femina tu princeps; tu filia Cæsaris: illi
Nec minor es magni conjuge visa Jovis.
Tu concessus amor, tu solus et ultimus illi,
Tu requies fesso grata laboris eras.
Te moriens, per verba novissima, questus abesse;
Et mota in nomen frigida lingua tuum.
Infelix recipis, non quem promiserat ipse;
Nec qui missus erat, nec tuus ille redit;

in animo tibi sedebat, ut Romam nunquam, *nisi victor* redires. *Victor eras:* debuerant igitur incolumen te nobis *tempora* reddere.

299. *Quid referam de te*, etc.] Sermonem nunc convertit ad conjugem Drusi, Antoniam minorem, Antonii Triumviri ex Octavia, Augusti sorore, filiam. De ea sic Val. Max. iv. 3: "Antonia quoque femina laudibus virilem familiæ suæ claritatem supergressa, amorem mariti egregia fide pensavit; quæ post ejus decessum, forma et ætate florens, cubiculum socrus pro conjugio habuit: in eodemque toro alterius adolescentiæ vigor exstinctus est; alterius viduitatis experientia consenuit." Totam se tradidit liberis educandis, qui tres numero: Germanicus, Caligulæ pater: Claudius, qui deinde imperator, et Livia, seu Livilla, morum dissolutione adeo infamis. Veneno interceptam a Caligula dato Antoniam innuit Suet. Claud. 23.

305. *Tu concessus amor, tu solus et ultimus illi.*] Laudem hanc Druso tribuit Val. Max. loco jam adlato, quod *Veneris usum intra conjugis charitatem clausum tenuerit.* Quidam, *confessus amor*, legitimus.

308. *Et mota in nomen frigida lingua tuum.*] Volebat Francius *ad nomen*, quasi, audito conjugis nomine, adhuc compellaret. Sic de Orpheo suo Virgil. Georg. iv. 525: "... Eurydicen vox ipsa et frigida lingua, Ah! miseram Eurydicen, anima fugiente, vocabat!"

Nec tibi deletos poterit narrare Sicambros,
  Ensibus et Suevos terga dedisse suis.
Fluminaque, et montes, et nomina magna locorum;
  Et si quid miri vidit in orbe novo.
Frigidus ille tibi, corpusque refertur inane;
  Quemque premat sine te, sternitur ecce torus.
Quo raperis, laniata comas, similisque furenti?
  Quo ruis? attonita quid petis ora manu?
Hoc fuit Andromache, quum vir religatus ad axem
  Terruit admissos sanguinolentus equos.
Hoc fuit Evadne, tunc quum ferienda coruscis
  Fulminibus Capaneus impavida ora dedit.
Quid mortem tibi mœsta rogas; amplexaque natos,
  Pignora de Druso sola relicta tenes?
Et modo per somnos agitaris imagine falsa,
  Teque tuo Drusum credis habere sinu?

311. *Nec tibi deletos poterit narrare Sicambros*, etc.] "Inde validissimas nationes, Cheruscos, Suevos et Sicambros pariter aggressus est: qui, viginti centurionibus incrematis, hoc velut sacramento sumserant bellum, adeo certa victoriæ spe, ut prædam in antecessum pactione diviserint: Cherusci equos, Suevi aurum et argentum; Sicambri captivos elegerant: sed omnia retrorsum. Victor namque Drusus equos," etc. Flor. lib. iv. 12.

314. *Et si quid miri vidit in orbe novo.*] Non ita *novus* Romanis *orbis* ille, quem jam Cæsar obiter descripserat, de Bell. Gall. vi. 21 sqq. Fusius deinde et accuratius, ut par erat, Tacitus, in eximio illo *de moribus Germaniæ* opusculo.

320. *Terruit admissos sanguinolentus equos.*] Vide quæ adnotavimus, ad vers. 36. Epist. prim.

321—322. *Hoc fuit Evadne*, etc.] Tali quoque furore agitata Evadne Capanei uxor, præcipitem se in conjugis rogum immisit. Statius, Theb. xii. 800. Unde meruit, ut de illa caneret Propert. i. Eleg. xv. 21: "Occidit Argivæ fama pudicitiæ."—*Quum ferienda coruscis Fulminibus Capaneus impavida ora dedit.* Merito *impavidum* dicit, qui sic ipsum Jovem increpasset, Theb. lib. x. 899: "Nunc age, nunc totis in me consistere flammis, Jupiter! an pavidas tonitru turbare puellas Fortior, et soceri turres exscindere Cadmi?"—*Ferienda.* Putat Heins. *feriunda*; sic *potiunda* et similia apud Ovidium.

325. *Agitaris imagine falsa.*] Turbaris per somnos et inquietaris *imagine*, quæ tuum amorem ludit, inanem tibi Drusum offerens, quem frustra quæris *in vacui parte tori.*

Et subito tentasque manu, sperasque receptum;
Quæris et in vacui parte priore tori?
Ille pio, si non temere hæc creduntur, in arvo
Inter honoratos excipietur avos;
Magnaque maternis majoribus, æqua paternis
Gloria, quadrijugis aureus ibit equis;
Regalique habitu, curruque superbus eburno,
Fronde triumphali tempora vinctus erit.
Accipient juvenem Germanica signa ferentem
Consulis imperio conspicuumque decus;
Gaudebuntque suæ merito cognomine gentis,
Quod solum domito victor ab hoste tulit.
Vix credent tantum rerum cepisse tot annos:
Magna viri latum quærere facta locum.
Hæc ipsum sublime ferent: hæc, optima mater,
Debuerant luctus attenuare tuos.

333. *Regalique habitu*, etc.] Recte: nam quem mors Druso præripuerat triumphum, *in arvo pio* poeta concedit, fingitque ab avis honorifice exceptum, qui *gaudent*, quod unus e suis *Germanici* primus *meritum* cognomen Drusorum et Claudiorum nomini addiderit.

339. *Vix credent tantum rerum cepisse tot annos.*] Vix credent tot tantasque res, tam brevi annorum spatio confici potuisse.—*Tot*, pro paucis, vulgare apud poetas. *De tot sororibus*, dixit Ovid. Met. iv. 418. quum *de tribus* modo hic agatur.

340. *Magna viri latum quærere facta locum.*] Quamvis concedat Burm. et exemplis firmet, *locum* pro temporis spatium sumi posse, negat tamen *latum locum*, pro temporis spatio ampliori esse hic intelligendum; conjicitque: "Magna viri *lætum* quærere facta *modum*." Ut, inquit, *modus latus* temporis sit longum spatium, non certis finibus conscriptum; et locum adfert, e Statio, Theb. vii. 296: "...Pater est, natusque; sed ævi Confudere *modos*." Sed agitur ibi de patre et nato, (Lapithaone et Alathreo,) qui, *confusis* revera *ævi* ordine *modoque*, ita pares ætate et armis incedebant, ut *fratres* dicerentur. Hic vero, cur non *locum* referamus ad ipsam Germaniæ partem, ubi factis Drusus inclaruerat; quem quidem *locum* velint *latiorem*, digniorem-que, qui præclaris adeo facinoribus illustraretur? Qui locus, ab ipsis militibus *Campus sceleratus* dictus est.

341. *Hæc, optima mater, debuerant*, etc.] Feliciter admodum eo redit, unde inceperat oratio; ad Liviam scil. quam poeta, postquam materno dolori diu satis permisit indulgere, ad Imperatoriam dignitatem revocat, hortaturque *adspiciat* quid Drusi matrem *deceat*, quid uxorem *Cæsaris*.

Femina digna illis, quos aurea condidit ætas,
Principibus natis, principe digna viro.
Quid deceat Drusi matrem, matremque Neronis,
Adspice: quo surgas, adspice, mane toro.
Non eadem vulgusque decent, et lumina rerum:
Est quod præcipuum debeat ista domus.
Imposuit te alto Fortuna, locumque tueri
Jussit honoratum, Livia: perfer onus.
Ad te oculos, auresque trahis: tua facta notamus;
Nec vox missa potest principis ore tegi.
Alta mane; supraque tuos exsurge dolores;
Infragilemque animum, quod potes, usque tene.
An melius per te virtutum exempla petemus,
Quam si Romanæ principis edis opus?
Fata manent omnes: omnes exspectat avarus
Portitor; et turbæ vix satis una ratis.
Tendimus huc omnes: metam properamus ad unam.
Omnia sub leges mors vocat atra suas.
Ecce necem intentam cœlo, terræque, fretoque,
Casurumque triplex vaticinantur opus.

343. *Condidit ætas.*] Pro *condidit*, legit *prodidit* Ruhnk. ad Vell. Pat. i. 3.

346. *Quo surgas, adspice, mane toro.*] Cujus sis uxor; cujus e thalamis mane prodeas.

347. *Et lumina rerum.*] Nescit Burmann. an non præstet *culmina*; neque ego ignoro verba hæc sæpius a librariis confusa: cave tamen ne quid immutes. Virorum enim principum exempla quasi totidem sunt *lumina*, quæ, quo imposita altius, eo certius in rectam vel pravam viam sequentis vulgi gressus inducunt. Mox ipse Noster: *ad te oculos trahis: tua facta notamus.*

352. *Nec vox missa potest principis ore tegi.*] Nec si quid principi exciderit, diu latere potest. Cavendum igitur, ne quid dicat, vel faciat, quod indictum frustra, infectumve deinde velit.

356. *Quam si Romanæ principis edis opus.*] Quam si *principem* te, et *Romanam* quidem præstiteris.

358. *Turbæ vix satis una ratis.*] Petron. Specim. Belli civilis, 117: " . . . Vix squalida Porthmeus Sufficiet simulacra virum traducere cymba: Classe opus est."

362. *Casurumque triplex vaticinantur opus.*] Editio prim. *casurum triplex vaticinatur opus.* Unde passive sumendum *vaticinatur*, conjiciebat Micyllus. Aliæ omnes, ut edidimus;

I nunc, et, rebus tanta impendente ruina,
In te solam oculos et tua damna refer.
Maximus ille quidem juvenum, spes publica vixit;
Et, qua natus erat, gloria summa domus.
Sed mortalis erat; nec tu secura fuisti,
Fortia progenie bella gerente tua.
Vita data est utenda: data est sine fœnore nobis
Mutua, nec certa persoluenda die.
Fortuna arbitriis tempus dispensat ubique.
Illa rapit juvenes: sustinet illa senes.
Quaque ruit, furibunda ruit; totumque per orbem
Fulminat, et cæcis cæca triumphat equis.

et accipias de Philosophis, vel Sibyllinis oraculis, quæ *intentam hanc necem triplici operi*, id est, cœlo, terris et freto, *vaticinabantur*. Respexit Noster ad Lucretium, v. 95: "Principio, maria ac terras cœlumque tuere: Horum naturam *triplicem*, *tria* corpora, Memmi, *Tres* species tam dissimiles, *tria* talia texta Una dies *dabit exitio*." Neque illud non animadversione dignum, quod versus ille *casurumque*, etc. totidem verbis occurrat expressus, Trist. ii. 426. Secundum autem hunc Trist. librum constat scripsisse Ovidium, et ad Augustum misisse, statim ut in Pontum advenerit, ineunte scilicet decimo a Christi nativitate anno. Quum vero Drusi mors in annum præcedentem inciderit, minime potuit Albinovanus, seu quivis auctor alius hujus Elegiæ, versum hunc Ovidio surripere; nec probabile magis carmen de morte Drusi tam cito ad Ovidium in exilio suo pervenisse. Præterea, quis credat poetam omnium uberrimum, eo penuriæ subito devenisse, ut alienum hunc in sua reciperet? Qui se ipsum toties, cur alium hic compilasset?

364. *In te solam oculos*, etc.] Quæ sis ipsa, et quem amiseris considera: *maximus ille quidem*, etc.; sed *mortalis* erat; et quum ea sit rerum omnium conditio, ut intereant, eo minus *secura* fuisti, quo sua Drusum in certius periculum virtus immitteret. Poetam hic rhetor male occupat, et Senecam magis, quam Nasonem agit; sed ipsa hæc verborum intemperies Ovidium arguit; qui in patentem adeo adulationi campum semel exspatiatus, non erat is qui stare posset, ubi sistendum recto judicio oportuit.

369. *Vita data est*, etc.] Ex Cicerone, qui Tuscul. 1: "At ea quidem (natura) dedit usuram vitæ, tamquam pecuniæ, nulla præstituta die." Lucret. quoque, iii. 984: "Vitaque mancipio nulli datur, omnibus usu."

372. *Sustinet illa senes.*] Frustra vulgatam *sustulit* tuetur Scaliger, quem non cepisse mirum est, eo sensu *sustinere* hic accipiendum, quo in Epistol. i. 114: "Respice Laerten; ut jam sua lumina condas, Extremum fati *sustinet* ille diem." Ubi pro, in aliud tempus *differri* exoptat, sane est intelligendum.

Regna Deæ immitis parce irritare querendo:
Sollicitare animos parce potentis heræ.
Quæ tamen hoc uno tristis tibi tempore venit,
Sæpe eadem rebus favit amica tuis.
Nata quod en alte es, quod fœtibus aucta duobus;
Quodque etiam magno consociata Jovi;
Quod semper domito rediit tibi Cæsar ab orbe,
Gessit et invicta prospera bella manu;
Quod spes implerunt maternaque vota Nerones;
Quod pulsus toties hostis utroque duce.
Rhenus, et Alpinæ valles, et sanguine nigro
Decolor infecta testis Itargus aqua;
Danubiusque rapax, et Dacius orbe remoto
Apulus; huic hosti perbreve Pontus iter;
Armeniusque fugax, et tandem Dalmata supplex,
Summaque dispersi per juga Pannonii;
Et modo Germanus Romanis cognitus orbis:
Adspice quot meritis culpa sit una minor.

379. *Nata quod es alte.*] *Alte es* veteres plerique, ne in metrum peccetur. Edidit Heinsius: *nata quod en alte es.* Davis. vero ad Cæs. de Bell. Gall. ii. 25: *Nata quod ex alto es.* Sed *ex alto nasci* recte dici non putat Burmannus: nec ullus quidem, unde firmetur hæc lectio, occurrit locus.

386. *Decolor infecta testis Itargus aqua.*] "Vulgo varie dicti amnis vocabulum scriptum est in variis exemplaribus, *Itargus, Itargis* et *Iturgus, Iturgis,* ex quibus doctissimi etiam fecerunt *Isurgis* et *Isurgus;* cumque intelligi poetæ amnem docuerunt, qui aliis auctoribus dicitur *Visurgis, le Weser.* Ego vocem varie vitiatam intrepide corrigo in *Itargus;* esseque eum amnem, qui nunc in Suevia dicitur *Iler,* audacter pronuntio." Sic Cluver. Vindel. et Noric. c. 6. p. 747.

388. *Apulus huic hosti perbreve Pontus iter.*] Locum valde depravatum Scaliger sic emendabat: "Danubiusque rapax, et Dacius orbe remoto *Angulus:* hinc hosti perbreve *pontis* iter." Veteres scribebant *aggulus,* unde *appulus* fecerunt. Dacia tunc finis imperii Romani, Danubio terminata: itaque *pons* jungens Danubium fuisset *perbreve iter* hosti ad fines imperii Romani.

392. *Adspice quot meritis,* etc.] Tecum ipsa reputes quot quantaque in te beneficia fortuna contulerit; et *unam* quam admisit, in tollendo Druso, *culpam* minorem *meritis* invenias necesse est. Sed hæc omnia subtilius, quam verius.

Adde quod est absens functus; nec cernere nati
Semineces oculos sustinuere tui.
Quique dolor menti lenissimus influit ægræ,
Accipere es luctus aure coacta tuos.
Prævertitque metus per longa pericula luctum;
Tu quibus auditis anxia mentis eras.
Non ex præcipiti dolor in tua pectora venit,
Sed per mollitos ante timore gradus.
Jupiter ante dedit fati mala signa cruenti,
Flammifera petiit quum tria templa manu;
Junonisque gravi nocte, impavidæque Minervæ,
Sanctaque et immensi Cæsaris icta domus.
Sidera quin etiam cœlo fugisse feruntur;
Lucifer et solitas destituisse vias.
Lucifer in toto nulli comparuit orbe,
Et venit stella non præeunte dies.
Sideris hoc obitus terris instare monebat;
Et mergi Stygia nobile lumen aqua.
At tu, qui superes mœstæ solatia matri,
Comprecor, illi ipsi conspiciare senex.
Perque annos diuturnus eas fratrisque tuosque;
Et vivat nato cum sene mater anus.

402. *Flammifera petiit quum tria templa manu.*] Scilicet Jovis Capitolini, et Junonis, et Minervæ, quæ ipsi proxima. In quo differt Noster a Dione, qui libri lv. initio, Jovis templum indicat, et alterum *σύνναον αὐτοῦ*; cujus vero numinis, non dicit.

403, 404. *Junonisque gravi nocte,* etc.] Distichon hoc vicissim Cuper. Heins. et Burmannus tentaverunt; sed parum adeo feliciter, ut fateatur Burm. exspectandum esse *a libris melioribus auxilium:* quod quum nobis nondum obtigerit, desperatam tantis viris curationem non suscipiemus. Neque ita repugnat qui sese primum offert sensus; *domum* scilicet Junonis, Minervæ et Cæsaris, *nocte gravi,* id est, ominosa, exitiosa, fulmine simul a Jove *ictam* fuisse. Forsan et *tria* hæc esse templa, de quibus superiori versu locutus est, credi potest.

411. *At tu, qui superes,* etc.] Sermo nunc ad Tiberium conversus.

414. *Et vivat nato cum sene mater anus.*] Vixit quidem anus Livia, et *cum nato* provectæ jam ætatis; sed eum experta, ut multo ei præstitisset, antequam Tiberius imperaret, inter-

Eventura precor: Deus excusare priora
Dum volet, a Druso cetera læta dabit.
Tu tamen ausa potes tanto indulgere dolori,
Longius ut nolis, heu male fortis, ali.
Vix etiam fueras paucas vitalis in horas,
Obtulit invitæ quum tibi Cæsar opem:
Admovitque preces, et jus immiscuit illis;
Aridaque adfusa guttura tinxit aqua;
Nec minor est nato servandæ cura parentis:
Hic adhibet blandas, nec sine jure, preces.
Conjugis et nati meritum pervenit ad omnes:
Conjugis et nati, Livia, sospes ope es.
Supprime jam lacrimas: non est revocabilis istis,
Quem semel umbrifera navita lintre tulit.
Hectora tot fratres, tot deflevere sorores:
Et pater, et conjux, Astyanaxque puer,
Et longæva parens: tamen ille redemtus ad ignes,
Nullaque per Stygias umbra renavit aquas.
Contigit hoc etiam Thetidi: populator Achilles
Iliaca ambustis ossibus arva premit:

iisse. Vide Sueton. Tib. capp. 50 et 51.

415. *Deus excusare priora dum volet*, etc.] Nec vana precor; Dii enim, ut illatam Drusi morte calamitatem imminuant, nihil non felix ac prosperum matri deinceps et fratri concedent.

417. *Tu tamen ausa potes*, etc.] Liviam increpat, quæ ita dolori primum videtur indulsisse, ut *longius ali* noluerit; vixque *precanti* et *jubenti* etiam Augusto, cui *non minor* erat quam filio (Tiberio,) cura servandæ parentis, vitam suam concesserit. Hæc Poeta: Seneca vero, Consolat. ad Marc. iv: "Illa, inquit, in primo fervore, quum maxime impatientes, ferocesque sunt miseriæ, se consolandam Areo philosopho præbuit; et multum eam rem profuisse sibi confessa est: plus quam populum Romanum, quem nolebat tristem tristitia sua facere: plus quam Augustum, qui, subducto altero adminiculo, titubabat; nec luctu suorum inclinandus erat," etc. Certe non *male fortis*, quæ talem se mulier præstiterit.

427. *Non est revocabilis istis (lacrimis) quem semel*, etc.] Horat. ad Virgil. de Quinctilio, i. Od. 24: "Non vanæ redeat sanguis imagini, Quam virga semel horrida Non lenis precibus fata recludere, Nigro compulerit Mercurius gregi."

429. *Hectora tot fratres*, etc.] Poetice luxuriantem quis non hic Ovidium agnoscat?

Illi cæruleum Panope matertera crinem
Solvit, et immensas fletibus auxit aquas;
Consortesque Deæ centum, longævaque magni
Oceani conjux, Oceanusque pater; [omnes
Et Thetis ante omnes: sed nec Thetis ipsa, neque
Mutarunt avidi tristia jura Dei.
Prisca quid huc repeto? Marcellum Octavia flevit,
Et flevit populo Cæsar utrumque palam;
Sed rigidum jus est, et inevitabile mortis:
Stant rata, non ulla fila renenda manu.
Ipse tibi emissus nebulosi litore Averni,
Si liceat, forti verba tot ore sonet:
Quid numeras annos? vixi maturior annis.
Acta senem faciunt: hæc numeranda tibi;
His ævum fuit implendum, non segnibus annis.
Hostibus eveniat longa senecta meis.
Hoc atavi monuere mei, proavique Nerones:
Fregerunt ambo Punica bella duces;

435. *Illi cæruleum Panope crinem solvit.*] Id est, Panope soror Thetidis, quæ Achillis mater, crines suos solvit, audita *illius* (Achillis) morte. De luctu vero Thetidis, videnda. Quint. Calab. iii. 604 sqq. quem locum adiisse non pigebit.

441. *Marcellum Octavia flevit.*] Et immodice quidem, si fides Senecæ, supradicta Consolat. cap. ii: "Nullum finem, per omne vitæ suæ tempus, flendi, gemendique fecit; nec ullas admisit voces salutare aliquid adferentes, ne avocari quidem se passa est. Intenta in unam rem, et toto animo affixa, talis per omnem vitam fuit, qualis in funere."

448. *Acta senem faciunt: hæc numeranda tibi.*] Martial. x. 53. de quodam Scorpo, auriga famoso Ep.: "Invida quem Lachesis raptum trieteride nona, Dum numerat palmas, credidit esse senem."

449. *His ævum fuit implendum, non segnibus annis.*] "Longa est vita, si plena est. Impletur autem, quum animus sibi bonum suum reddidit, et ad se potestatem sui transtulit," Senec. Epist. 93.

451. *Hoc atavi monuere mei, proavique Nerones.*] Livii scilicet et Claudii. Narrat Tit. Liv. lib. xxvii. 46. 49; Asdrubalem, qui cum recenti exercitu Alpes eo consilio transcenderat, ut se cum fratre Annibale conjungeret, a M. Livio Salinatore victum ac cæsum esse; eamque victoriam non minore opera Claudii Neronis, alterius Consulis, esse partam, propterea quod, quum Annibali oppositus esset, relictis ita castris ut hostem lateret, lecta manu profectus, Asdrubalem circum-

Hoc domus ista docet, per te mea, Cæsaris alti.
  Exitus hic, mater, debuit esse meus:
Nec meritis, quamquam illa juvant magis, abfuit
  Mater, honos: titulis nomina plena vides. [illis,
Consul, et ignoti victor Germanicus orbis,
  Cui fuit heu! mortis publica causa, legor.
Cingor Apollinea victricia tempora lauro,
  Et sensi exsequias funeris ipse mei;
Decursusque virum notos mihi, donaque Regum;
  Cunctaque per titulos oppida lecta suos;
Et quo me officio portaverit illa juventus,
  Quæ fuit ante meum tam generosa torum:
Denique laudari sacrato Cæsaris ore
  Emerui, lacrymas elicuique Deo.

venit. Merito igitur Horat. in carmine jam laudato: "Quid debeas, ô Roma, Neronibus Testis Metaurum flumen; et Asdrubal Devictus, et pulcher fugatis Ille dies Latio tenebris."

453. *Ista domus, per te mea.*] Ducta scilicet uxore Antonia, quæ Augusti neptis, ex Octavia sorore; quod non nisi *per* Liviam factum, cujus filios suis adscripserat liberis Augustus, quum ipse nuberet Liviæ.

455. *Nec meritis, quamquam illa juvant magis, abfuit illis, Mater, honos.*] Sic, et Gronovio in suis ad Heins. Epist. quum olim legeretur; "Nec meritis quicquam illa juvant: magis affuit illis Mater honos." Quod sic modeste, ut solet, corrigendum proponebat Micyllus: "Nec meritis quicquam *illa juvat* magis; affuit illis," etc. Ut esset sensus: nec me *domus* illa Cæsaris facta *mea per te, magis juvat*, in posterum commendat, quam quæ de patria bene *merui*; quia scilicet testis *affuit* mater, *honor* ipsa, honoribus, quos sequentibus recenset.

456. *Titulis nomina plena vides.*] Forte *omnia plena*, inquit Burman. Quid enim *nomina plena titulis*? Indicant quæ sequuntur: *Consulis* enim et *Germanici* titulis *nomina* Neronis Claudii Drusi, etc. in inscriptionibus insignita *legebantur*.

458. *Cui fuit heu! mortis publica causa.*] *Qui*, ed. prim. et recte quidem, ut ad orbem Germanicum referas, in quo pro patria pugnando Drusus occubuit; ideoque fuit *mortis* ejus *publica* causa.

462. *Cunctaque per titulos oppida lecta suos.*] Nomina et tituli urbium quas ceperat Drusus, in pompa funebri, velut in triumpho, præferebantur.

464. *Quæ fuit ante meum tam generosa torum.*] Quid sibi velit istud *ante torum* non intelligit Micyllus; et interpretatur Burmannus de iis qui torum (lectum in quo jacebat cadaver impositum) præcedebant, illorum vicem, qui deferebant, excepturi. Malit tamen legi. "Quæ fuit ante meum tam generosa *rogum*." Sed quid opus emendatione, quum difficultatem (si quæ tamen) solverit interpretatio?

Et cuiquam miserandus ero ? jam comprime fletus :
Hoc ego, qui flendi sum tibi causa, rogo.
Hæc sentit Drusus, si quid modo sentit in umbra ;
Nec tu de tanto crede minora viro.
Est tibi, sitque precor, multorum filius instar ;
Parsque tui partus sit tibi salva prior.
Est conjux, tutela hominum ; quo sospite, vestram,
Livia, funestam dedecet esse domum.

467. *Et cuiquam miserandus ero?*] Cui sim in posterum *miserandus*, qui *laudatus* a Cæsare, lacrimas ipsi (*Deo*) elicuerim ? *Jam comprime fletus.* Querelarum igitur desine, mater ; et fletus comprime, quum tot sint tibi causæ, unde petas solatium !

473. *Est conjux, tutela hominum*, etc.] Nimius in adulando Noster, quam qui non lectori nauseam sæpius moveat, modo quis pudoris sensus. Quid enim vero ? *dedecet* domum Cæsaris luctu *funestari*, vel si maximæ spei principem amiserit, *sospite scilicet uno Cæsare*. Summum hoc humilitatis, nec poetæ, etiam exulanti, et reditum imploranti, condonandum. Quid vero, si nec ipsum tam abjectæ adulationis pretium tulerit !

P. OVIDII NASONIS

HALIEUTICON *.

FRAGMENTUM.

. . . . . .

ACCEPIT mundus legem: dedit arma per omnes,
Admonuitque sui; vitulus sic namque minatur,

Utrum terrestria aquaticis animalibus, an terrestribus aquatica præstent industria, quærit et examinat Plutarchus, in libello, cujus ipsa quæstio titulus; et adductis utrinque, quibus suam quisque opinionem tueatur, exemplis, dubia prorsus res ab arbitro relinquitur. Id genus argumentum Noster sibi videtur proposuisse, quantum licet conjicere, e collectis adeo misere discerpti poetæ membris.—Vid. Aristot. Hist. Animal. ubique Jul. Cæs. Scal. Gratii Cyneget. Oppian. Halieut. et Cyneget. ed. Schneid. Argentorati, 1776. Plin. Hist. Nat. ix. et xxxii.—Quæ mira referunt veteres de quorumdam Piscium industria, magna ex parte infirmavit credula minus, sed diligentior recentiorum exploratio.

* Hujus tam fæde ac misere corrupti et mutilati operis, bis mentio est apud Plin. Sem. xxxii. c. 2, his verbis: "Mihi videntur mira, quæ Ovidius prodidit piscium ingenia, in eo volumine, quod *Halieuticon* inscribitur." Secundo, eodem Libr. cap. ult. ubi sic: "His adjiciemus *apud Ovidium* posita nomina, quæ apud neminem alium reperiuntur; sed fortassis in Ponto nascuntur," etc. Illustravit hoc poema Scholiis suis Conradus Gesnerus in libellis tribus novis de Piscibus et aquatilibus, Tiguri, in-8°.: quem librum ipse vocat Progymnasmata in historiam aquaticûm, quam postea majori mole edidit. Deinde Janus Vlitius, in *Venatione Novantiqua* recensuit; quorum virorum Scholia nostris adjunximus. Primum vero fuisse Paulum Manutium, Aldi fil. qui in lucem edidit, Gesnerus in Præfatione docet; attulisse vero Actium Syncerum Sannazarium ex Galliis manu scriptum. HEINS. et BURM.

1. *Accepit mundus legem*, etc.] Swartius, libro i. Analect. cap. 5. legit, *regem*: inepte, licet approbatorem reppererit magistrum suum Barthium, xliv. Advers. ii. *Lex* est constans ille et perpetuus naturæ ordo, quem omnia creata sequi debent: quæ *jura, fœdera mundi*, passim a poetis dicuntur.—*Dedit arma per omnes.* Certe corruptus locus; an enim *mundus* dedit arma? et quibus? forte illa, *accepit mundus legem*, cum præcedentibus, quæ periere, includenda parenthesi; et *natura*, de qua antea agebat, intelligenda est, quæ *dedit arma* animalibus omnibus. Per *arma* vero intelligit illa animalium membra, quibus se defendunt. Vid. lepidissim. Anacreontis Odarium, ii: Φύσις κερᾶτα ταύροις κ. τ. λ. BURM.

2. *Minatur.*] Ald. ex MSS. San-

Qui nondum gerit in tenera jam cornua fronte:
Sic damæ fugiunt, pugnant virtute leones,
Et morsu canis, et caudæ sic scorpios ictu;
Concussisque levis pennis sic evolat ales.
Omnibus ignotæ mortis timor, omnibus hostem,
Præsidiumque datum sentire, et noscere teli
Vimque modumque sui: sic et Scarus arte sub undis
Incidit, adsumptamque dolo tandem pavet escam.
Non audet radiis obnixa occurrere fronte;
Aversus crebro vinem sed verbere caudæ
Laxans subsequitur, tutumque evadit in æquor.
Quin etiam si forte aliquis, dum pone nataret,
Mitis luctantem Scarus hunc in vimine vidit,

nazarii: *minaci.* Forte: "... Vitulus sic namque minaci, Quæ nondum gerit, intentat jam cornua fronte."

6. *Concussisque.*] *Concursisque levis pennis* MSS. Vlitius. *Pinnis* ed. Gesneri et Pithæi.

9. *Sic et Scarus,* MSS. *sic Escarus;* et sic itidem vers. 38. Isidorus quoque *Escarum* pro *Scaro* posuit lib. xii. c. 6. et ab *esca* dictum finxit. Gesnerus ἔσχαρον aliud aquatile animal, a Scaro longe diversum constituit. Nam et him σκάρος Græcis est. Nobis, *Le Scare.*

10. *Incidit.*] Ita Gesn. ut supplementum juvaret MSS. et Ald. *decidit,* quod meo insititio versui quadraret. Ante hunc versum legebatur *sin:* cetera hiatu unius versus relicto; quod ex diversa lectione τοῦ *decidit* natum puto; cui aliquis superscripserit *In:* hoc est, vel, *Incidit. Incidere escam,* ut *Incidere terras.* Met. vii. 524. Heins.—Swartius legebat: "Decipit, absumptamque dolo jam depavet escam." *Assumptaque.* Forte, *assutamque dolo escam.*

12. *Aversus crebro veniens sub.*] Plinius, lib. xxxii. c. 2. "Mihi videntur mira, quæ Ovidius prodidit, piscium ingenia, in eo volumine, quod Halieuticon inscribitur: Scarum inclusum nassis non fronte erumpere, nec infestis viminibus caput inserere, sed aversum caudæ ictibus crebris laxare fores, atque ita retrorsum erumpere: quem luctatum ejus si forte alius Scarus extrinsecus videat, apprehensa mordicus cauda, adjuvare nixus erumpentis."—Oppian. Halieutic. iv. 44 sqq.

14. *Quin etiam si forte aliquis dampus nataret.*] *Dum pone nataret,* Pantagath. et Gesn. restituerunt ex vet. lect. quæ est in Al. *damptus nataret.* Pith. *dampro nat.* ex MSS. qui ita: *dam pronatareto*: f. *dum pronatat extra.*—*Aliquis dam pronata retro* Thuan. Ambrosian. *dam pro nata rete.* Scribe, *si forte alius, dum prænatat, arto. arto* sc. vimine, quod sequitur; *prænatat,* pro præternatat; nisi malis, *prope, dum natat:* posset et *dum pone nataret,* cum Pantagatho et Gesnero legi. Heins.

Aversam caudam morsu tenet; atque ita . . . .
Uber servato, quem texit, in . . . resultet.
Sepia tarda fugæ, tenui quum forte sub unda
Deprensa est, jam jamque manus timet illa rapaces,
Inficiens æquor nigrum vomit ore cruorem;
Avertitque vias, oculos frustrata sequentes.
Clausus rete Lupus, quamvis immanis et acer,
Dimotis cauda submissus sidit arenis.

16. *Atque ita*, etc.] Sic locum hunc vere inextricabilem restituendum censebat Gesnerus: " .... Atque trahendo Captivum texto socium de carcere solvit." Heinsius vero: " ... *Atque ita* tandem Victor *servato, quem texit*, cive *resultat*." Quam ego correctionem Gesnerianæ eo libentius prætulerim, quod servet ingeniosius quæ fractæ lectionis fragmina supersunt.

18. *Sepia tarda fugæ.*] Vide et Ælianum, i. cap. 35. H. A.

19. *Jam jamque manus timet illa rapaces*, etc.] Verbum *illa* bis in hoc disticho positum otiosum plane est: lego igitur cum Ach. Statio: " ... Vomit ore cruorem." Ciof. MSS. *vomit illace*, quod alteri conjecturæ meæ adstipulatur: *nigrum vomit ilicet iram*, vel *undam*. Vlit.

21. *Avertitque vices.*] Et pericula effugit. Virg. lib. ii. Æn. 431: " Iliaci cineres, et flamma extrema meorum, Testor in occasu vestro, nec tela, nec ullas Vitavisse *vices* Danaum," etc. Observavit Statius hoc verbum *vices*, nullum hic locum habere, et cum Ciaccono, et Mureto sentio. Ciof. Plin. ix. 29, de Sepiis: *Ubi sensere se apprehendi, effuso atramento, quod pro sanguine his est, infuscata aqua absconduntur*. Et ad verbum Oppianus, libro iii. v. 162: καὶ ἠμάλδυνε κέλευθα, *obscuratque vias*. Vlit. *Vias* scripti: opinor, *avertitque fugas*, vel *avertitque minas*. H. Ita *viæ* et *vices* confusæ, lib. xv. Metam. 238; et apud Val. Flac. i. 283. et alibi. Burm.

22. *Clausus rete Lupus.*] Græcis, λάβραξ; Italis, *spigola*.

23. *Dimotis cauda; submissus sedet armis in austri.*] Lego, *Latitat submissus arenis*. Post hunc versum inseruerim alium: " At piscis captus, qui Grajo est nomine Cestreus." Nam hoc de Cestreo (id est Mugili, quem forte eumdem esse ignoravit Ovidius, quum inferius iterum de Mugilis astutia scribat; aut hoc nihil prohibet: nam et de Murænæ astutia denuo scribit) ostendit Oppianus, lib. iii. de Piscibus: ubi et alia quædam similiter, ut hoc in loco Ovidius, describit. Lupum Plinius ex Ovidio scribit reti circumdatum, arenas arare cauda, atque ita conditum transire rete. Gesn. —*Dimotis cauda submissus cedet arenis in austri*. Pantagathus legebat: *Sidit arenis*. Sed inter hunc, et sequentem versum aliquot carmina deesse suspicabatur. Ciof. *Sidit arenis*. Ita ego: Pith. *sidet arenis*. MSS. *ridet arenis*. Gesner. *latitat submissus arenis*: pro eo, quod est in A. *sedet armis in austri*. Quorum ultima proximo vers. sunt, quæ sequuntur: *in auras*. Ita MSS. et Pith. Quibus ego præfixi: *Atque ubi jam transire plagas persentit, in auras*, etc. Præeunte Plinio: " Lupum reti circumdatum arenas arare cauda, atque ita condi, dum transeat rete." Isidorus: " Denique rete circumdatus fertur arenas

. . . . . in auras
Emicat, atque dolos saltu deludit inultus.
Et Muræna ferox, teretis sibi conscia tergi,
Ad laxata magis conversa foramina retis,
Tandem per multos evadit lubrica flexus,
Exemploque nocet, cunctis intervenit una.
At contra scopulis crinali corpore segnis
Polypus hæret, et hac eludit retia fraude,
Et sub lege loci sumit mutatque colorem;
Semper ei similis, quem contigit: atque ubi prædam
Pendentem setis avidus rapit, hic quoque fallit

arare, atque ita conditus transire rete." Inepte. Non *conditus* plagas transit lupus, sed *conditum* lupum plagæ. Hoc voluit Plinius. Vlit. Thuan. et Ambr. *ridet arenis in auras.* Lege, *sidit arenis: in auras* sequentis versus duæ ultimæ sunt voces. Met. lib. i. 307. ex antiquis libris: "Quæsitisque diu terris ubi *sidere* detur." Quum *sistere* illic legeretur in vulgatis; possit et scribi, *se dat arenis.* H.

25. *Dolos saltu deludit inultus.*] Lege, *inultos.* Met. iv. 426: "Nil poterit Juno nisi inultos flere dolores." Ubi *multos* scripti plerique perperam: sic et apud Apulei. i. Met. scribendum opinor, *quæ quum subinde inultis nosceretur* non *a multis nosceretur.*— *Deludit. Diludit* ed. Gesn. Bers. Vlitii.

26. *Et Muræna.*] Hunc locum adumbravit Plinius, lib. xxxii. c. 2. ubi ita est: "Murænam maculas appetere ipsas, consciam teretis ac lubrici tergi, tum multiplici flexu laxare, donec evadat." Cior.

27. *Conversa foramina.*] *Connexat forma* MSS. Idem.

29. *Exemploque nocet*, etc.] Sic et scripti. Castigandum omnino: "Exemploque nocens cunctis iter invenit una." Apposite Philas, de Muræna: Ἡ μὲν γὰρ ἐνθενδ' εὐθὺς ἀπὸ μετρίου πόρου, Διεξέδυ σώζουσα καὶ τὰς συννόμους. H.

30. *At contra scopulis crinali corpore segnis Polypus hæret*, etc.] Idem tradit Ælianus, lib. vii. c. 11; et Plin. lib. ix. cap. 29; lib. xxxii. cap. 11.

31. *Hac.* MSS. *hæc.* Plinius de hac fraude nihil, nisi quod eam respexisse videri possit, lib. ix. cap. 29. de Polypis: "Cetero per brachia veluti acetabulis dispersis astu quodam adhærescunt, tenentque supini, ut avelli non queant." Si bene ita conjicio. Vulgo: *haustu quodam.* De quo nihil Aristoteles, lib. iv. cap. 1. unde illa desumpsit Plinius.

32. *Sub lege loci.*] Plinius ibidem: *colorem mutat ad similitudinem loci. Loci.* Ovidiana locutio iii. Am.: "Hæc *ex lege loci* commoda circus habet." H.—*Mutatque. Mittitque*, Ambros.

33. *Atque ubi prædam Pendentem retis avidus*, etc.] Pantagathus legendum putavit, *setis*, non *retis*: vere. Equinis enim, ut nunc quoque fit, setis albis ad suspendendos hamos captandis piscibus usos priscos, docet Plutarchus in libello *De industria animalium*; ejusque rei rationem adfert Oppianus, libro iii. C.

34. *Fallit.* MSS. *stillit*: et supra

Elato calamo, quum demum emersus in auras
Brachia dissolvit, populatumque exspuit hamum.
At Mugil cauda pendentem everberat escam,
Excussamque legit. Lupus acri concitus ira,
Discursu fertur vario, fluctusque ferentes
Prosequitur, quassatque caput, dum vulnere sævus
Laxato cadat hamus, et ora patentia linquat.
Nec proprias vires nescit Muræna nocendi;
Auxilioque sui, morsu nec cominus acri
Deficit, aut animos ponit captiva minaces.
Anthias his, tergo quæ concutit, utitur armis,

in fine proximi versus post *prædam* adjicitur, *prædaret*, quod huc refero, ut restituam: *huic quoque adhæret Elato calamo. Huic* sc. prædæ: *τὸ adhæret* absorptum erat in *prædæret*, atque ita factum, *præda, ret.* Conjecturæ meæ adstipulatur, Plin. l. xxxii. c. 2: "Polypum hamos appetere, brachiisque complecti, non morsu; nec prius dimittere, quam escam circumroserit; aut arundine levatum extra aquam." Sed postrema non satis congruunt. Noster enim, etiam *elato calamo*, adhærere prædæ suæ polypum dicit, donec *hamum* jam *populatum exspuat.*

35. *Quum demum.*] *Tum demum.* Ambros.

37. *Et Mugil.*] "Scit et Mugil esse in hamo escam, insidiasque non ignorat: aviditas tamen tanta est, ut cauda verberando excutiat cibos." Plin. xxxii. c. 2. Ita hæc plusquam *παραφράζει*, qui reliqua vixdum epitomaverat. Vᴇʟɪᴛ. De Mugili Plinius, eodem lib. cap. 9. sec. 23. et alibi. C. *At* editiones multæ. *Mugilis*, Heins. malebat.

38. *Lupus acri concitus ira.*] "Minus in providendo Lupus solertiæ habet, sed magnum robur in pœnitendo: nam ut hæsit in hamo, tumultuoso discursu laxat vulnera, donec excidant insidiæ." Plin. ib. c. 2.

39. *Discursu.* MSS. *Discussus* id est, *discussu.* Iᴅᴇᴍ.

42. *Muræna.*] "Muræna etiam non ignorat vires proprias tum nocendi aliis, tum ad auxiliandum sibi in morsu esse sitas. Præmordet enim lineam: neque mordendi vim remittit, donec omnino debilitata se captam et victam fateatur. Murænæ amplius devorant quam hamum, admoventque dentibus lineas, atque ita erodunt." Plinius, loco cit. G.

43. *Auxilioque sibi.*] Lege, *sui* ex Thuan. et deinde, *cominus* pro *eo minus*, ex utroque scripto; forte: "Auxiliumque sui morsu nec comminus acri Deficit." Sic illa tempestate loquebantur; et *τὸ deficere* cum quarto casu conjungebant, ut alibi pluribus est demonstratum. Sequenti versu *hamos ponat captura minaces.* Thuan. H.

45. *Anthias his.*] De hoc pisce Plinius lib. ix. cap. 59. Est autem a Græcis vocatus *ἱερὸς ἰχθύς*, ut ait Aristoteles lib. ix. de hist. anim. cap. 37; quod in eo loco sit, ubi nulla reperiatur bellua. De eodem etiam Ælianus lib. i. cap. 3. et lib. viii. cap. 27. Plutarchus, in jam citato libello. —*Tergo quæ non videt. Vidit* Thuan.

Vim spinæ novitque suæ; versoque supinus
Corpore, lina secat, fixumque intercipit hamum.
. . . . . .
Cetera quæ densas habitant animalia silvas,
Aut vani quatiunt semper lymphata timores,
Aut trahit in præceps non sana ferocia mentis.
Ipsa sequi Natura monet, vel cominus ire.
Impiger ecce Leo venantum sternere pergit
Agmina, et adversis infert sua pectora telis:
Quoque venit, fidens magis et sublatior ardet,
Concussitque toros, et viribus addidit iram;
Prodidit, atque suo properat sibi robore letum.

quem non vidit, Ambros. Lege, *quæ concutit*, vel, *quæ continet*. Met. i. 143: "Sanguineaque manu crepitantia *concutit* arma."

47. *Corpore, lina.*] Plinius ix. c. 59: "Anthiæ, quum unum hamo teneri viderint, spinis, quas in dorso serratas habent, lineam secare traduntur, eo, qui tenetur, extendente, ut præcidi possit. At inter sargos ipse qui tenetur, ad scopulos lineam terit." Imo et ipse Anthias sibi id præstat, ut Noster tradit; quem, oblitus sui, ita hic sequitur Plinius: "Anthiam tradit idem infixum hamo invertere se, quoniam sit dorso cultellato, spinaque lineam præsecare." Ita jam dudum restitui corruptissimum locum, quem ant frustra tentant, aut temere nimis prostituunt editores. Vlit.—Anthiarum capturam eleganter describit Oppian. Halieut. v. 305 sqq.

48. *Cetera.*] Digreditur ad animantes terrestres, ut eas minus industriæ, vel astutiæ, quam plerosque pisces habere ostendat. Equos tamen et canes laudat. Idem.

49. *Aut vani.*] Id est, aut nimis sunt timida, aut nimis audacia: et animi tantum affectu, non ingenio aut astutia aliqua utuntur. Gesn.

51. *Ipsa sequi natura*, etc.] Sequi fugientia, et cominus ire resistentibus. Idem. Hic versus est infra; unde hæc omnia e suis locis convulsa, et turpissimo mendo deformata, vel etiam adulterina esse, qui judicio pollet, nullo negotio animadvertet. C.—*Moret.* Alii, *monet*, vel docet. G. *Monet* MSS. et Pith. *moret*. Ald. V.

52. *Impiger et telo venantum sternere pergit Agmina.*] In verbo *telo*, mendum inesse recte putavit Ciacconus; et *Leo*, quum de aliis infra feris agat, legit. Ego vero, quoniam syllaba *le* brevis est, et carmen claudicat, a veteribus editionibus parum recedens, lego: *Impiger ecce Leo*, etc. *Venantum* autem emendavit idem Ciacconus, quum antea male legeretur, *Venatem*. Ciof.

54. *Quoque venit.*] Sensus videtur: quo proprius venit, vel quo magis vulneratur. Gesn.

55. *Toros.*] Id est partes corporis carnosas. Idem.

56. *Prodidit.*] Mallem, *proruit*, si active acciperetur: *simul omnes foras proruunt se*, Terent. Idem.—Thuan.

Fœdus Lucanis provolvitur Ursus ab antris,
Quid nisi pondus iners, stolidæque ferocia mentis?
Actus Aper setis iram denuntiat hirtis,
Et ruit oppositi nitens in vulnera ferri;
Pressus et emisso moritur per viscera telo.
Altera pars fidens pedibus, dat terga sequenti,
Ut pavidi Lepores, ut fulvo tergore Damæ,
Et capto fugiens Cervus sine fine timore.
Ipsa sequi natura docet, vel cominus ire[a].
Hic generosus honos, et gloria major Equorum;
Nam capiunt animis palmam, gaudentque trium-
Seu septem spatiis Circo meruere coronam; [pho:
Nonne vides, victor quanto sublimius altum

Prodcdit pro *prodidit*. Lego: "Concussitque toros, et viribus adjicit iram, Prodigus." Τὸ *Prodigus* a viro clarissimo, Jano Vlitio, jam occupatum video. Heins. Ego legerem, *Procidit*; vid. ad librum ix. Metam. 649; *addidit* vero non mutandum. Sic lib. iii. Metam. 306: "Sævitiæ, flammæque minus, minus *addidit* iræ."

58. *Ferocia mentis.*] *Menti* reponit Aldus. Ciof.

59. *Actus aper.*] *Actus et per retis* MSS. τὸ *agere* ita passim ponit Gratius: "*Glympice te silvis egit*, etc. *stimulisque potentibus acti In furias vertere canes.*" Vlit.

60. *Et ruit.* MSS. *se ruit.* Idem. *Se ruit*, Thuan. Forte: *iram dum nuntiat* (vel *concitat*) *hirtis, se ruit.* Eleganter. Sic *omnia ruere*, Germanicus, Fragmento Prognosticorum.

61. *Emisso.*] Forte, *immisso.* Heinsius.

64. *Et capto fugiens cervus sine fine timore.*] Capto, id est concepto, ut paulo post; *nam capiunt animis palmam.* Gesn. Reposui, *cauto timore:* quod passim in vetustissimis Ovidii codicibus pro *cauto, capto* scribi animadverterim. Heins.

65. [a] *Ipsa sequi.*] Abundat hic versus, paulo ante suo loco positus.

66. *Hic generosus.*] Puto legendum, *Hinc*; et pro *Nam*, sequenti versu, *Jam.* Heins.

68. *Seu septem spatiis Circo.*] Hinc emenda Gratium, sub finem Cynegetici, ubi legendum: "... Ille vigebit *Septem* actus *spatiis.*" De Numida equo: quum nunc scribatur, *Centum spatiis. Septimam orbitam* et *septimam rotam* dixit Propertius, septem Circi spatia respiciens; *septem gyros* Arnobius. Græcis ἕπτα κάμπτοι vel καμπτῆρες; quorum exemplo Cassiodorus, in descriptione Circi *septem metas*, etsi parum proprie, dixit. H. —Sensus idem, quem in Cynegetico his versibus decoravit ipse Gratius: "... Spatiis qualis permissa Lechæis Thessalium quadriga decus, quam gloria patrum Excitat, et primæ spes ambitiosa coronæ." Quæ si comparentur inter se, et sequentia cum iis, quæ de equis in fine Cynegetici sunt, eumdem genium ac auctorem referre, nemo negaverit. Vlit.

Attollat caput, et vulgi se venditet auræ? 70
Celsave quum cæso decoratur terga leone,
Quam tumidus, quantoque venit spectabilis actu,
Compescatque solum generoso concita pulsu
Ungula sub spoliis graviter redeuntis opimis: 74
Quæ laus prima Canum? quibus est audacia præ-
Venandique sagax virtus, viresque sequendi. [ceps,
Quæ nunc elatis rimantur naribus auras,
Et nunc demisso quærunt vestigia rostro;
Et produnt clamore feram, dominumque vocando
Increpitant: quem si collatis effugit armis, 80
Insequitur tumulosque canis camposque per omnes:
Noster in arte labor positus; spes omnis in illa.

72. *Quantoque venit spectabilis actu.*] MSS. *actum:* pari mendo supra *cateso* pro *cæso: leo* pro *leone:* unde decessit, quod hic accrevit. Luculentissima autem hæc locutio et vere Gratiana. Cynegetico: *primos nequidquam offenderet actus.* V. Malim, *quanto veniat:* vel, *quanto ut veniat.* Heins.

73. *Compescatque solum.*] Nihil in hoc versu desidero. Astericum tamen appositum reliqui. Sic et Lucanus eleganter dixit: *Undas compescere remis.* Gesn. Ita MSS. et Al. *conpiscatque* Pith. *Compescatque solum.* Thuan. forte, *concutiatque solum.* Heins.

75. *Quæ laus prima Canum.*] Canes, præsertim venatici, similiter ut equi, animosi generosique sunt: non timidi, non cum furore audaces. Gesn.—*Audacia præceps.* Mera Gratii phrasis, de cane Hyrcano: *sed præceps virtus,* etc. Pertinet hoc ad genus bellicosum, quum *vorat extremo* (ut ibi canit) *præceps discrimine Mavors.* Ad sagaces, quod sequitur: *Venandique sagax virtus.* Quibus *natura sagax* et *solertia naris* ab eodem attribuitur in Cyneg. Tertium genus faciunt illa: *viresque sequendi;* de quo in Cyneg. ad v. 200. videsis. De tribus his generibus quum ita distincte hic agatur, quis auctorem non agnoscit? Nempe ipsum Gratium; qui primus inter Latinos triplex canum genus instituit. Vlit.

77. *Naribus auras.*] Noster in Cyneg. vers. 239. *celsisve adprensat naribus auras.* Ubi et hunc locum explicui, pag. 195. Idem.

79. *Et produnt clamore feram.*] Loquitur enim hic de canibus agminatim indagantibus, qui non quidem semper ἅμα ὑλακῇ ἐιαθέοντες indistincte et indesinenter latrant; sed tum demum, quum ad cubile pervenerunt, *Clamore feram produnt.* Hoc est, quod expressit Maro in Georg. iii. 411: *Volutabris pulsos silvestribus apros Latratu turbabis agens,* etc.

80. *Effugit armis.*] Si fera dominum effugerit. Gesn. Locus mendosus: puto, *quæ si collatis effugit armis:* ut ad feram referatur. H.

82. *In arte labor.*] Non quod venatio pedestris in viribus magis, quam arte consistat; sed quia initio παρεκ-

Nec tamen in medias pelagi te pergere sedes
Admoneam, vastique maris tentare profundum.
Inter utrumque loci melius moderabere funem.
Aspera num saxis loca sint: nam talia lentos
Deposcunt calamos; at purum retia litus.
Num mons horrentes demittat celsior umbras
In mare: nam varie quidam fugiuntque petuntque.
Num vada subnatis imo viridentur ab herbis.

. . . . . .

Objectetque moras, et molli serviat algæ.
Descripsit sedes varie Natura profundi;
Nec cunctos una voluit consistere pisces.
Nam gaudent pelago, quales Scombrique, Boves-
Hippuri celeres, et nigro tergore Milvi; [que,

βάσεως dixerat reliqua animalia terrestria suo quodam instinctu agi, quæ ipsa natura *monet*, vel sequendo, vel cominus depugnando, venari; quumque pisces jam vafritie quadam aut hac, aut illac excellere docuerit, ideo jam subjicit, *arte* adversus eos utendum, qui non natura sua, aut viribus, aut fuga, sibi semper consulunt, sed insuper ingenio et fraudibus certant. Hic sensus totius digressionis, et hujus *ἐπανόδου*. Idem.—*In illa.* Cane; est enim dubii generis apud Græcos pariter et Latinos. Gesn.

86. *Aspera.*] Deest verbum *aspice*, vel simile. Idem.

87. *At purum retia litus.*] Verbum, *deposcit*, hic subaudies. Describit autem qualia esse oporteat loca, in quibus homines piscentur, et quibus uti debeant instrumentis. Ciof.—*Purum.* Sine saxis et algis. MSS. *pucrum*: id est *pulchrum*, vel *curvum*. Vlit.

89. *Quidam.*] Pisces, scilicet.

90. *Num vada.*] Post hunc deest versus talis, aut similis: "In fundo, soleatque illic se pascere piscis." Ex Oppian. Hal. 102. supplevit Vlitius hoc modo: "Gurgite: limosa num quis pascatur arena."

92. *Descripsit sedes varias.*] *Varie* Thuan. ut supra: " ...Nam varie quidam fugiuntque petuntque." An *Dissepsit*, ut in Metam. lib. i? sed nihil temere muta: vide Gifan. Ind. Lucret. Heins.

94. *Scombrique.*] Idem, *Scombrus*, Latin. Σκόμβρος, Græce: *Macarello*, Italice. Marinus in arenosis litoribus est. Ciof.—*Bovesque. Boves* Oppianus collocat in cœno maris. G. De Bobus, Ælianus, lib. i. c. 20. C.

95. *Hippuri celeres.*] *Hippurus* a caudæ equinæ similitudine nomen accepit, pinna scilicet a capite ad caudam deducta, quæ caudæ equinæ simillima est: hieme latitat; æstate tantum capitur; carnivorus est, nostris litoribus ignotus; Hispanis cognitus, a quibus vocatur *Lampuga*. Giscaf. Ciof.—*Milvi. Milvus*, Latine. Ἱέραξ, Græce. *Rondina*, Italice. Pelagius; altius volat, quam hirundo, et ad lapidis jactum: id autem solet fa-

At pretiosus Helops, nostris incognitus undis ; 96
Ac durus Xiphias, ictu non mitior ensis ;
Et pavidi magno fugientes agmine Thunni :
Parva Echeneis adest, mirum ! mora puppibus ingens : 99
Tuque comes ratium, tractique per æquora sulci,
Qui semper spumas sequeris, Pompile, nitentes :
Cercyrosque ferox, scopulorum fine moratus :

cere, dum timet : it gregatim ; licet edentulus sit, carnivorus tamen est ; linguam igneam, rubicundam et splendentem habet. Idem.

96. *At pretiosus Helops, nostris incognitus undis.*] Plinius nullum ordinem sequitur, quanquam pleraque expressit ; sed post alios, qui hic sequuntur, de Helope ita enotat : *Helopen quoque dicit esse nostris incognitum undis.* Quintilianus, lib. v. ex Nostro etiam habet : *nec Helopen nostro mari ducas.* An ergo in Ponto tantum nasci credidit Plin. ? Dixerat enim : "His adjiciemus apud Ovidium posita nomina, quæ apud neminem alium reperiuntur, sed fortassis in Ponto nascuntur." Triplici errore. Non Ovidii hæc sunt, sed, si quid probavi, Gratii. Nec hic tantum Helopis mentio ; sed et Aristoteles, et Hesiodus Scuto Herculis Ἕλλοπας ἰχθῦς indigitavit. Denique non in Ponto, sed in Pamphylio tantum mari capitur, testibus Columella et Æliano. In eo quoque fallitur, quod lib. ix. c. 17. dicat de Acipensere : "Nullo in honore est, quod quidem miror, quum sit rarus inventu : quidam eum Elopen vocant." Nostro contra est, *pretiosus Helops ;* qui et πολυτίματος, Epicharmo ; sed ipse sibi etiam obloquitur Plinius, ut ostendam ad vers. ult. Vlit.

97. *Xiphias.*] Plinio, cap. xlix. libro ix. *Trygon* vocatur. De quo Ælianus, lib. ix. cap. 40. et lib. xiv. cap. 22. Oppianus, lib. ii. Latine, *Gladius :* Italice, *Pesce spada.* Giscaferius. Pelagius est ; ad Cetaceam magnitudinem pervenit : rostro est mucronato, utramque maxillam rostratam habet : inferiorem tamen brevem, et triangularem : superiorem magis osseam, duriorem, longissimam, ensiformem. Cior. *Ac durus,* bene scripti. Heins.

98. *Thunni.*] *Thunnus,* Latine. Θύννος, Græce. *Tonno,* Italice. Ubi primum natus est, Latinis *Cordila ;* ubi ad sex menses pervenit, *Pelamis ;* ubi ad annum, *Thunnus* dicitur : a verbo Græco θύνειν, quod est cum impetu promoveri : ubi major factus est, ὄρκυνος· in immensum auctus, κήτη. Giscaf. Cior.

99. *Parva Echeneis adest, mirum ! mora puppibus ingens.*] Plinius ix. cap. 25. "Est parvus admodum piscis, Echeneis appellatus ; hoc carinis adhærente, naves tardius ire creduntur, inde nomine imposito, etc. ; ἀπὸ τοῦ τὰς νῆας ἔχειν." Puto, *Parva Echineis, ut et.* Heins.

101. *Pompile.*] Oppianus, i. 186. penultimam corripit : Ἐν κείνοις νέμεται καὶ Πομπίλος ὅν πότε ναῦται ἄζονται. Gesn. De Pompili natura Ælianus lib. ii. capite 15. et lib. xiv. capite 33 ; Plinius, lib. ix. cap. 15. et alibi. Hic autem piscis Neptuno sacer est, quod navigia ad portum usque sequatur.

102. *Cercyrosque.*] Κέρκουροι Op-

Cantharus, ingratus succo: tum concolor illi
Orphas, cæruleaque rubens Erythinus in unda:
Insignis Sargusque notis, insignis et alis:
Et super aurata Sparulus cervice refulgens;
Et rutilus Pagur, et fulvi Synodontes, et ex se
Concipiens Channe, gemino fraudata parente.
Tum viridis squamis, parvo Saxatilis ore,
Et rarus Faber, et pictæ Mormyres, et auri

piano circa petras degunt. Apud Plin. circa finem lib. xxxii. perperam legitur, *Bobgyros*. MSS. *Cercyroesque*: Plinius; *Cercyron in scopulis viventem*. Ita dudum ego, et pridem Gesnerus. Vulgo *Bopgyron*: monstrose. Forte: *Sævum Cercyrum*; quia *ferox* hic dicitur a Nostro. Vlit.—*Cantharus*. De hoc pisce Ælianus, lib. i. cap. 27.

103. *Tum concolor illi Orphas.*] Plinius ex Ovidio nominat *Orphum rubentem, Rhacinumque pullum*, perperam, ut apparet; nisi *coracinum* legas *pullum*; et forte carmen unum hic desit. Scio quidem etiam Orphum rubere. Græcis Ὀρφὺς, vel Ὀρφὼς Attice. Gesn.

104. *Erythinus.*] Plinius, lib. ix. cap. 16 et 52. et alibi. Pelagius est Aristoteli: Oppiano vero litoralis: in mari tantum reperitur.

105. *Insignis Sargus.*] Festus: *Sargus piscis genus, qui in Ægyptio mari fere nascitur*. Lucil.: "Quem præclarus Elops, quem Ægypto Sargu' movebit." De Sargo Plinius quinque in locis, et Ælianus libro i. cap. 24; litoralis, marinus; Auratis, et Sparis fere similis, latior, rotundior tamen est: bis parit, Vere, et Autumno: plures habet uxores, et pro iis certamen init: caprarum est amantissimus. Mulli lutarii reliquias sequitur. Vlit.

106. *Sparulus.*] Sparus Auratæ simillimus est, adeo ut etiam piscatoribus frequenter imponat. Verum rotundiore, minore, et magis compresso est corpore. Giscaf.—*Et rutilus Pagur. Pager* vel *Pagrus*, Græcis, φάγρος, quod voracissimus sit; ab Erythino diversus est, ut notat Rondeletius: distinguitur magnitudine corporis, et latitudine, et rostri figura. Fallitur Jovius, qui Pagrum eum esse existimat, qui vulgo Romanis *Fravolino*, et Gallis Narbonensibus *Fragellus* vocatur, quum iis potius Erythinus sit. Cior.

107. *Et fulvi Synodontes.*] Συνόδους, συνάγρις, χάραξ, et Latinis *Dentix*, eumdem piscem significant; nomen enim ab extantibus, et prominentitibus dentibus impositum est. Romanis *Dentale*. Giscaf. De eodem Ælianus, libro i. cap. 49. Cior.

108. *Et ex se Concipiens Channe gemino fraudata parente.*] Idem tradit Plinius, lib. ix. cap. 16. et lib. 32. cap. ult. Idem.

110. *Et rarus Faber.*] *Faber* is est, qui χαλκεὺς Græcis, vel τεύς. Plinio *Faber* dicitur: Romanis *pesce S. Pietro*: Gallis *Dorce*. Captus grunnit suum more: Romæ in foro piscario frequens est. C.—*Et pictæ Mormyres.* Mormures *gazæ* dicuntur: Græcis μόρμυροι, vel μόρμυλοι. Quod etiam nomen hodie Romani imitari videntur, a quibus *Mormilli* vocantur. Lyncis pullis in lateribus parallelis insignis est, unde ab Ovidio pictæ dicuntur. Giscaf. Cior.

Chrysophrys imitata decus: tum corporis Umbræ
Liventis, rapidique Lupi, Percæque, Tragique.
Quin laude insignis caudæ Melanurus, et ardens
Auratis Muræna notis, Merulæque virentes,
Immitisque suæ Conger per vulnera gentis;
Et capitis duro nociturus Scorpios ictu,
Ac numquam æstivo conspectus sidere Glaucus.

111. *Chrysophorus.*] *Aureique coloris Chryson:* apud Plinium non recte pro, *Crysophryn.* Gesn. *Aurata,* Latine: *Orata,* Italice. Litoralis, marinus, et in marinis stagnis capitur; æstate mediis fervoribus, diebus circiter sexaginta, ut Glaucus, et Asellus, latet; hieme etiam laborat; solum carne vescitur; timidissimus est. Ciof.—*Umbræ.* Umbram alii sexatilem faciunt, et alios quoque ex his, quos Ovidius hic pelagios facit, ut Merulam, Scorpium: litorales vero Melanurum et Mormylum. Lupos circa ostia fluminum, etc. Gesn. —Σκίαινα, Græce, quod suo natatu oculos effugiens piscis umbra potius, quam verus piscis intuentibus appareat. Ausonius: *Effugiens oculos celeri levis Umbra natatu.* Marinus piscis est, loca saxosa, et herbis virentia incolens; carnivorus est, et solivagus. Ciof.

112. *Percæque.*] Plinius, libro ix. cap. 16. et Ausonius in Mosella, ubi ita scribit v. 115: "Nec te delicias mensarum, Perca, silebo Amnigenos inter pisces dignande marinis."—Pergit cum Nostro Plinius: *Præterea parvum Teragum, et placentem cauda Labrum.* In his ego invicem Gesnerum prævertam. Ille ex Plinio superiore versu legebat: *Tum viridis Teragus parvo suxatilis ore.* Ego contra monstra illa non hinc modo, sed et ex Plinio exstirpanda censeo, quem ita emendo: *Præterea Percam, Tragum, et placentem cauda Melanurum;* quibus vestigiatim Nostrum expressit. Qui vero *parvum Tragum* potuit dicere, quem ne fando quidem cognoverat, ut ipse fatetur, quumque nihil tale quid hic de magnitudine ejus traditum invenisset? Vlit.—*Tragique.* Oppiano Mænæ et Tragi in cœno maris degunt. Gesn.

113. *Laude insignis caudæ Melanurus.*] Aliter videtur tradere Ælianus, libro i. cap. 43. Ciof.

114. *Merulæque virentes.*] Idem eodem lib. cap. xix. ejus mentio est apud Plinium.—MSS. *Munera notis merelateque.* Vlit.

115. *Conger.*] "Congri, (inquit Gesnerus ad hunc locum,) se invicem maxime vorant, auctore Aristotele." Si id verum est, leg. *Immitisque suæ c. p. v. genti.* Sed quum id apud neminem, nec quidem in Aristotelis lib. inveniam, præplacet mihi lectio, quam Pithœus edidit ex MSS. *cancer;* præsertim quum Scorpius sequatur. Reliqua tamen in mendo cubant. Forte: *suæ per vulnera chelæ.* Vel, si de Congro loquitur: *sui per vulnera dentis.* Vlit.

116. *Et capitis duro nociturus Scorpius ictu.*] Ciacconus legit, *Et captus duro,* etc. probabilis admodum conjectura: utpote quæ eædem pæne litteræ sunt, et sensus talis requiritur; Scorpii autem non semel mentio est apud Ælianum, et apud Plinium, lib. ix. cap. 51.

117. *Æstivo sidere.*] Exorto Cane, id est, quo usque in cœlo Canis con-

At contra herbosa pisces laxantur arena,
Ut Scarus, epastas solus qui ruminat escas;
Fecundumque genus Mænæ, Lamyrosque, Smarisque,
Atque immunda Chromis, merito vilissima Salpa:
Atque avium dulces nidos imitata sub undis;
Et Squalus, et tenui suffusus sanguine Mullus:
Fulgentes Soleæ candore, et concolor illis
Passer, et Adriaco mirandus litore Rhombus:
Tunc Epodes lati, tum molles tergore Ranæ.

spicitur.—De Glauco Ælianus cap. 17. libro i; sed ne verbum quidem de hoc, quod hic Ovidius.

119. *Ut Scarus, epastas solus qui ruminat escas.*] Idem auctor libro ii. cap. 54. ubi, quod poeta noster hic adfirmat, se ab aliis accepisse testatur: idem fere Plin. ix. c. 15. et alibi.

120. *Smarisque.*] De hoc pisce Plin. libro xxxii. cap. ult. *Smyrusque*, alii legebant. *Meryique* alius. Heins.

121. *Salpa.*] Σάλπη, Græce: *Salpa*, Italice. Marinus piscis est, et in marinis lacubus vivit, et herbosa arena laxatur: autumno tantum parit, sicut et Sargus; clarissime audit; erro non est, stercore, et alga vescitur. Ciof.

122. *Atque avium dulces*, etc.] Sola Phucis est, quæ in aquis nidificat. Arist. lib. viii. fine: Μονὴ δὲ Φυκὶς τῶν θαλαττίων ἰχθύων στιβάδας ποιεῖται, etc. Quæ ita vertit Plinius, lib. ix. c. 26: *Eadem piscium sola nidificat ex alga, atque in nido parit.* Lego itaque hoc loco: *Atque avium Phycis nidos imitata.*—Ingeniosissime Vlitius, qui videtur felix tam hoc, quam aliis hujus poematis locis egregie a se illustratis: sub nomine *dulcis* latet nomen piscis. Heins.—Harduinus ad Plin. lib. ix. cap. 26. legit etiam: *Atque Avium Phycis nidos imitata sub undas.* Perinde quasi Vlitii notas numquam inspexisset; sed sic solet.

123. *Et Squalus*, etc.] Ita Gesnerus et recentiores. Edd. Ald. et Pith. *et Squalus tenui.* Nam prima potius producenda est, sive ex κέφαλος contrahitur, quod Gesnero visum; sive, ut verisimilius, a *squaleo.* MSS. *Et squa et tenui.* Hic itaque malim: *Et squatus et tenui.* Et *squalum* supra ad vs. 118. relegare: *Squali, Scombrique, Bovesque. Squatus* autem idem, *qui squatina*, ut ostendit Gesn. Vlit. —Mullus. Græce, τρίγλα: Italice, *Triglia.* Pelagius est Galeno: Aristoteli vero, litoralis: Oppiano autem saxatilis dicitur: parit ter in anno: Dianæ sacrificabatur. Oceanus Septemtrionalis, et Occidentalis hunc non gignit. Carne, alga, concha, et cœno vescitur. Leporem marinum inscquitur: homini nocuus, et eo vescitur. Ciof.

124. *Soleæ.*] Hujus item piscis creberrima apud Plinium mentio. Ciof.

125. *Passer.*] In cœno degit. Oppian.—*Rhombus.* Juven. Sat. iv. 39: "Incidit Adriaci spatium admirabile Rhombi."

126. *Tunc Epodes lati.*] Sic etiam Plinius nominat ex Ovidio. Ex aliis

Extremi parent . . . . . .
Lubricus et spina nocuus non Gobius ulla,
Et nigrum niveo portans in corpore virus
Lolligo, durique Sues, sinuosaque Caris: 130
Et tam deformi non dignus nomine Asellus:
Tuque peregrinis, Acipenser, nobilis undis. . . .

(quod sciam) nemo hoc nomen posuit. *Lopidæ* vulgo dicuntur pisces quidam plani et lati. G.—MSS. *Lepores læti.* Plin. excerpsit, *Epodes lati generis.* Vlit.—*Ranæ.* Ranas marinas de piscium genere intelligo. G.

127. *Pascunt.*] Ald. *extremi pas.** MSS. et Pith. *extremi pareuc.** Ego reliqua ex Oppiani Hal. I. initio ita supplevi: " Extremi pascunt, propter confinia ripæ, Aut fixæ scopulis hærent, Perunæque Sudesque." *Pernæque Sudesque* ex Plinio, qui hinc citaverat, in locum hunc postliminio restitui. Vlit.

128. *Gobius.*] *Gobii* vel *Cobii* in petris et arenis degunt Æliano. *Lubricus* Gobii epitheton dixerim: quamquam *Olisthos*, id est lubricus sui generis, piscis est Oppiano prope ostia fluviorum. Gesn.

130. *Lolligo.*] Pelagia est Lolligo magna. Gesn. Plinius multis in locis: Ælianus, in libri ix. capite 52. Ex mollium genere, sicut Polypus, et Sæpia: proprium habet, inter mollia ut volet, et volitans Conchæ adhærens, et ita affixus, aut arena sese suburrans, tempestatis signum est: vivendi spatium tam Sæpiæ, quam Lolligini breve est. Namque paucis excerptis, bimatum non complent: numquam illi deest copia atramenti; suis promuscidibus pisces venatur. Ciof.—*Durique Sues. Dirique* passim citat Gesnerus. Vlit.—*Sinuosaque Cess.** Præclare, ut omnia, hoc vulnus sanavit Pantagathus; legit enim, *Cestra.* Est autem Cestra, piscis, quæ in capite habet duos aculeos, quibus Thynnum vel maxime infestat, ac persequitur. Aldus Aldi N. reponebat, *Thessa;* quo de pisce Plinius, lib. xxxii. cap. 11. Ciof. *Caris*, libri scripti, et Pithœus.

132. *Tuque peregrinis, Acipenser, nobilis undis*] De Acipensere Plinius, lib. ix. cap. xvii. et alibi. Italice, *Storione*, Gallice, *Esturgeon.* Sensit mecum clarissimus Muretus: et alii viri eruditissimi, inter quos Rondeletius, cap. ult. lib. xiv. id litteris consignarunt. At aliter Giscaferius, qui hæc notat in hac secunda editione. De Acipensere, inquit, varia est inter scriptores sententia, quisnam sit, et quo apud nos vocetur nomine. Jovius eumdem esse vult cum Ellope; *le Lézard;* idque probare contendit nonnullis argumentis. Rondeletius diversos esse inter se existimat; Ellopenque squamosi, Acipenserem mustellini generis; eumque esse, qui apud nos Sturio vocatur: quod quidem non paucis rationibus et auctorum testimoniis confirmat. Paulus tamen Jovius Silurum Sturionem esse nostrum arbitratur. In hac tam ancipiti pugna perdifficile est nosse in utram magis partem inclinet victoria. Hoc tamen animadvertendum existimo, mirum videri Acipenserem ab Ovidio peregrinum vocari, si noster Sturio sit, quum non procul a mœnibus Urbis in Tiberi, vere et æstate Sturiones laudatissimi frequenter capiantur. Hoc autem argumento facile credi posse alium esse Acipenserem, qui e remotis maribus Romam vehi solitus esset. Ciof.

ARGUMENTUM NUCIS.

EX ANTHOLOG. GRÆCA. I. C. 20. EPIGR. I. BRUNCK. ANAL. I. P. 173.

Εἰνοδίην καρύην με παρερχομένοις ἐφύτευσαν
Παισὶ, λιθοβλήτου παίγνιον εὐστοχίης·
Πάντας δ' ἀκρέμονάς τε καὶ εὐθαλέας ὀροδάμνους
Κέκλασμαι, πυκιναῖς χερμάσι βαλλομένη.
Δένδρεσιν εὐκάρποις οὐδὲν πλέον· ἢ γὰρ ἔγωγε
Δυσδαίμων ἐπ' ἐμὴν ὕβριν ἐκαρποφόρουν.

Quod Epigramma, sive Platoni, sive Antipatro Sidonio tribueris (nam inter utrumque disceptatur,) nullus tamen negaveris quin hinc effluxerit Elegiæ subsequentis argumentum, quod juvenili more, et primo luxuriantis ingenii impetu amplificatum, in carmen excrevit non fere minus quam ducentos versus complectens. Græcum sic vertit Alciat. in Emblem.:

Ludibrium pueris lapides jacientibus, hoc me
In trivio posuit rustica cura Nucem:
Quæ laceris ramis, perstrictoque ardua libro,
Certatim fundis per latus omne petor.
Quid sterili posset contingere turpius? eheu!
Infelix fructus in mea damna fero!

NUX,

ELEGIA[a].

NUX ego juncta viæ, quum sim sine crimine vitæ,
  A populo saxis prætereunte petor.
Obruere ista solet manifestos pœna nocentes,
  Publica quum lentam non capit ira moram.
Nil ego peccavi; nisi si peccare vocatur,
  Annua cultori poma referre suo.
At prius arboribus, tum quum meliora fuere
  Tempora, certamen fertilitatis erat.

[a] Sunt qui asserant, hoc opusculum de *Nuce* falso adscribi Nasoni: ego vero, ut non negarim, Ovidium juvenem, et adhuc tironem in Musarum militia, hæc quasi sui præexercitamenta scripsisse, meliora quidem futura, si in provectiorem ætatem distulisset; sic ipsius, non alterius poetæ partum esse asseverarim, quod ex dicendi charactere quivis, vel mediocriter eruditus, deprehendere poterit. M.

1. *Nux ego*, etc.] Contigit hoc fortuna quadam huic Elegiæ, ut interpretem nancisceretur virum sæculi decimi-sexti lumen ingens et decus, Desider. Erasmum; qui si tales in Ovidium omnem curas extendisset, vix equidem sentio quid agendum posteris reliquisset. Jam ab hoc versu primo, leonis unguem sentias, in exponendo qua potissimum arte Noster lectorem secum in rem mediam rapiat; et, omissis quibuscumque præludiis, id statim de quo agitur det intelligendum. *Juncta viæ.* Proxima, contigua.

2. *Petor.*] Percutior. Val. Maxim. lib. v. cap. 3. *Lycurgus sæpe lapidibus petitus est.*

3. *Obruere.*] Proprie. Dicitur enim elegantissime, saxis et lapidibus aliquem *obruere.*

5. *Nisi si peccare fatemur.*] *Vocatur* prætuli: eadem varietas II. Pont. ii. 19: "Utque magis cauti possunt timidique videri." Ubi *vocari* codd. nonnulli. *Peccare* etiam pro peccato, Terent. Andr. act. v. sc. 3. v. 55. *Si id peccare est, fateor id quoque.* Unde hic *fatemur* posset defendi. Nec tamen *docetur* admodum displicet, ut sit pro ostenditur, probatur: ita Terent. Adel. i. 2. 45. *te plura in hac re peccare ostendam.*

6. *Referre suo.*] *Meo*, Bodleianus a manu secunda.

Quum domini memores sertis ornare solebant
  Agricolas, fructu proveniente, Deos.
Sæpe tuas igitur, Liber, miratus es uvas:
  Mirata est oleas sæpe Minerva suas.
Pomaque læsissent matrem; ni subdita ramo
  Longa laboranti furca tulisset opem.
Quin etiam exemplo pariebat femina nostro;
  Nullaque non illo tempore mater erat.
At postquam platanis, sterilem præbentibus um-
  Uberior quavis arbore venit honos; [bram,
Nos quoque fructiferæ, si nux modo ponor in illis,
  Cœpimus in patulas luxuriare comas.

9. *Quum domini memores sertis*, etc.] Memores scilicet tunc agricolæ, cui Deorum arbor unaquæque erat sacrata, Deum hunc, id est, ipsam arborem, sertis ornabant, quum fructuum proventus votis respondisset. Hinc Liber *suas* uvas, et oleas Minerva *mirabantur*.

10. *Agricolas, fructu proveniente, Deos.*] Lege, *Agricolas Deos*, quicquid libri veteres dissentiunt. Met. viii. 226: "Cœptus ab agricolis superos pervenit ad omnes Ambitiosus honos." Posset et *Agricolam Deum* legi; quemcumque Deum agricolam. Sic Tibullus, libro I. Eleg. i. 19: "Et quodcumque mihi pomum novus educat annus, Libatum *agricolæ* ponitur ante *Deo*." Ubi nihil mutandum: quamquam *Agricolas ante Deos* nonnulli legunt: aut si quid mutetur, pro *libatum*, libens reponam, *libandum*. *Proveniente*. Bersmannus explicat *præcoci fructu*: sed quis ita veterum loquitur? *provenire*, *proventus* millies de fertilitate tam hominum et animalium, quam agrorum apud veteres occurrit. Burm. *Præveniente* est vetus lectio.

12. *Oleas.*] Pro olivis dixit. Contra Maro in Bucol. *olivam* pro olea, inquiens: *Incumbens tereti Damon sic cœpit olivæ*. Est enim *olea* arbor, *oliva* bacca. Licet hic in proprio quoque significatu pro arbore dictum accipere possimus. Sed melior tamen prior sententia: nam supra non vites, sed uvas dixit. Mar.

13. *Matrem.*] Arborem scilicet, quæ poma tulit, quorum pondere oppressa fuisset, ni, etc. Ita Plin. libro xii. *Rami in excelsum emicant, sylvosa multitudine, vasto matris corpore.*

14. *Longa laboranti ramo.*] Fatiscenti, præ multitudine fructuum. Sic alibi Noster, Remed. Am. 175: "Aspice pomorum curvatos pondere ramos, Ut sua, quod peperit, vix ferat arbor onus."

16. *Nullaque non illo tempore mater erat.*] In mores ætatis suæ, data occasione, erumpit; et feminas tangit, quæ non modo non *fertilitatis honorem* expetebant, sed et conceptos fœtus nefandis artibus in ipso sæpe utero necabant.

19. *Nos quoque fructiferæ.*] *Frugiferæ* scripti plerique; nec respuendum. Jurisconsulti certe tam *frugiferas* arbores, quam *fructiferas* agnos-

Nunc neque continuos nascuntur poma per annos;
Uvaque læsa domum, læsaque bacca venit.
Nunc uterum vitiat, quæ vult formosa videri;
Raraque in hoc ævo est, quæ velit esse parens.
Certe ego, si numquam peperissem, tutior essem.
Ista Clytemnestra digna querela fuit.
Si sciat hoc vitis, nascentes supprimet uvas;
Orbaque, si sciat hoc, Palladis arbor erit.
Hoc in notitiam veniat maloque pyroque;
Destituent silvas utraque poma suas.

cunt. *Frugiferarum* Columella non semel meminit. Tacitus de Germania: *Satis ferax, frugiferarum arborum impatiens.* B. *Si nux modo ponor in illis.* Modeste nimium vix se inter *fructiferas arbores* ponit recensendam.

20. *Luxuriare.*] Eleganter hoc de arboribus late crescentibus. Sic xiv. Met. 629: "Qua modo *luxuriem* premit, et spatiantia passim Brachia compescit."

21. *Nunc neque.*] Maluerim, *hinc neque:* causam reddit infœcunditatis. Heins.

21, 22. *Continuos per annos.*] Non uno quoque anno, ut quondam. *Uvaque læsa, læsaque bacca. Læsas* dicit, quia jam non Baccho nec Minervæ soliti honores persolvuntur; neglectique Dei suas quoque arbores negligunt: unde fit ut nec *uva* nec *bacca domum*, id est apud agricolam, adferantur.

23. *Nunc uterum vitiat*, etc.] Varie exhibent codices hunc locum, sed præfero receptam a viris doctis, et de abortu intelligo, qui medicamentis curatus, vitiat uterum, ne facile iterum concipiat. B.

26. *Ista Clytemnestra digna querela fuit.*] *Tutior* etenim, si nunquam *peperisset* Clytemnestra, quæ Orestem tulit, a quo postea interempta fuit. Sed juste minus, quam Nux, questa fuisset, quum, occiso conjuge, scelus ipsa scelere provocaverit.

27. *Nascentes supprimat uvas.*] Vel in ipso nascendi tempore *premat;* enasci vetet. Jam de verbo hoc *supprimere* diximus, eo sensu accipiendum.

28. *Orbaque—Palladis arbor erit.*] Ipsam se fructibus suis *orbaret.*

29. *Hoc in notitiam veniat*, etc.] Discant hinc (ex iis quæ patior,) quid ipsis servetur; et mox quos ferunt fructus, arbores suas *destituent*, quæ nihil tunc aliud quam *silvæ*, et *inutile lignum*, focis *destinatum.*

30. *Utraque poma suas.*] Post hunc versum in multis codicibus adscripti erant ineptissimi quidam versus, quæ Monachorum sordes facile produnt: "Audiat hoc prunus, dare desinet utile munus: Audiat hæc cerasus, stipes inanis erit. Audiat hæc ficus, ficu privabit amicum (*vel* amicos.) Escule, ne parias! ne quoque tu pereas. Fraxinus horroris causam quum vestit honoris. . ." Et hæc ipsa etiam diverso modo leguntur in codicibus, et multa etiam deesse hujus poetastri, indicium dabat Junianus codex, ubi inter primum et secundum versum intervallum erat, unde excidisse quædam constat. Burm.

Quæque sibi vario distinguit poma colore,
  Audiat hoc cerasus, stipes inanis erit.
Non equidem invideo: numquid tamen ulla feritur,
  Quæ sterilis sola conspicienda coma est?
Cernite sinceros omnes ex ordine truncos,
  Qui modo nil, quare percutiantur, habent.
At mihi sæva nocent mutilatis vulnera ramis;
  Nudaque decerpto cortice ligna patent.
Non odium facit hoc, sed spes inducta rapinæ.
  Sustineant aliæ poma; querentur idem.
Sic reus ille fere est, de quo victoria lucro
  Esse potest: inopis vindice facta carent.
Sic timet insidias, qui scit se ferre viator,
  Quod timeat: tutum carpit inanis iter.
Sic ego sola petor, soli quia causa petendi est:
  Frondibus intactis cetera turba virent.

31. *Vario colore.* Sic *variæ uvæ* apud Columellam. *Distinguit. Vestit sua poma colore*, Lovan.

35. *Sinceros.*] Id est integros et illæsos. Ovid. IV. Pont. ix. 10: "Et mea *sincero* curreret axe rota. Douza.

38. *Decerpto.*] Licet nonnulla ex manuscriptis exemplaribus habeant *detecto*, tamen legendum omnino est, ut in pluribus exemplaribus legitur, *decerpto:* quod participium ante oculos ponere videtur vulnera illa, quæ cortice illiso et detracto a saxis carptim inferuntur arboribus. Mar.

41. *Sic reus.*] *Fit reus ille fere* ex Vaticano legebat olim Heinsius. Sic *facere reum* Suet. Tib. 8. et passim alii. *De quo victoria lucro.* In multis legitur, *victoria læta*, etiam in MSS. unde suspicor lectionem ab alio emendatam: *læta* autem, lucrosa, triumpho digna. Fabr.

42. *Inopis vindice facta carent.*] Non est qui pauperem ab injuria vindicet, tueatur.

43. *Qui scit se ferre viator.*] *Quod timeat.*] Aut legendum est, *cui timeat*, aut *quod* positum est pro quare; ut, *non est quod metuas.* Erasmus. Maff. liber, *Cur timeat.* Vere.

44. *Tutum carpit inanis iter.*] *Inanis* viator, qui nihil fert secum, unde a latronibus impetatur. Eodem sensu *vacuus*, apud Juv. Sat. x. v. 22: "Cantabit *vacuus* coram latrone viator."

45. *Soli quia causa.*] *Soli mihi causa* Neapol. *quia fructus causa*, alius. *Petendi* passive dixit: causa cur *petar.* Eras.

47. *Nam quod habent frutices aliquando proxima nostro.*] Pro *aliquando*, legendum *alii quoque*, cum Moreti codice. Lovaniensis ex nostris, et Fabricii codex, *alioquin.* H.

48. *Fragmina, quæ, læso*, etc.] Ramos intellige, qui saxis petiti, in illos ex arbore vicina resultantibus, *fracti* circa Nucem ipsam jacent.

Nam quod habent frutices aliquando proxima nobis
Fragmina, quæ læso vimine multa jacent;
Non istis sua facta nocent: vicinia damno est.
Excipiunt ictu saxa repulsa meo.
Idque fide careat; si non, quæ longius absunt,
Nativum retinent inviolata decus.
Ergo, si sapiant, et mentem verba sequantur,
Devoveant umbras proxima quæque meas.
Quam miserum est, odium damnis accedere nostris;
Meque ream nimiæ proximitatis agi!
Sed, puto, magna mei est operoso cura colono.
Invenias, qui det nil mihi, præter humum.
Sponte mea facilis contemto nascor in agro:
Parsque loci, qua sto, publica pene via est.
Me, sata ne lædam, quoniam sata lædere dicor,
Imus in extremo margine fundus habet.
Non mihi falx nimias Saturnia deputat umbras:
Duratam renovat non mihi fossor humum.
Sole licet siccaque siti peritura laborem,
Irriguæ dabitur non mihi sulcus aquæ.
At quum maturas fisso nova cortice rimas
Nux agit, ad partes pertica sæva venit:

53. *Ergo si sapiant*, etc.] *Si mens*, igitur arboribus illis; si quid possent capere mente, et *mentem* hanc verba, quibus, quid sentiant, exprimerent, sequerentur, sapienter faciant, fatalem hanc ipsis vicinitatem Diris devovendo.

55. *Odium damnis accedere nostris.*] Eleganter in uno codice, *accrescere*: de qua voce, cum τῷ *accedere* confusa, vide Heins. ad Val. Flac. lib. i. 178.

61. *Quoniam sata lædere dicor.*] Callide, nec inficiatur, quod manifestum est: nec agnoscit, quod erat obfuturum. Erasm.

62. *Imus.*] *Imus fundus*, pro *ager postremus*; quomodo *Faber imus*, in extrema vici parte habitans, apud Horat. in Art. Poet. Sic *prima fabula, extrema platea, medius Janus.*

63. *Non mihi falx nimias Saturnia*, etc.] Non hic *Saturnia falx* insigne *Temporis*, Κρόνου; sed Saturni, ut pote cui vitis et frugum disciplina competeret.

66. *Sulcus aquæ.*] Multi libri, *succus*: nil muta. In tribus erat, *rivus.*

68. *Pertica sæva.*] *Longa*, duo libri: ut in istis Ovidii, iii. Fast. 117: "Pertica suspensos portabat *longa* mani-

Pertica dat plenis immitia vulnera ramis;
Ne possim lapidum verbera sola queri.
Poma cadunt, mensis non interdicta secundis:
Et condis lectas, parca colona, nuces.
Has puer aut rectus certo dilaminat ictu;
Aut pronus digito bisve semelve petit.
Quattuor in nucibus, non amplius, alea tota est;
Quum sibi suppositis additur una tribus.
Per tabulæ clivum labi jubet alter; et optat
Tangat ut e multis quamlibet una suam.

plos." H. *Scæva* Palat. et mox Neapolit.

71. *Mensis non interdicta secundis.*] Fuit tempus, quum non modo non *interdicta* nux *mensis secundis*, quæ, sublatis primis, eleganti apparatu instruebantur; sed et ipsis *ornamento* erat. Horatius, Serm. libro II. Satyr. ii. 121: "—Tum pensilis uva secundas Et *nux ornabat* mensas, cum duplice ficu."

73. *Has puer*, etc.] Nihil addubito, quin Ovidius ita scripserit hoc carmen: *Has puer aut certo rectas dilaminat ictu.* Siquidem *dilaminare* dixit, pro in duas laminas diducere. Id fit quoties, solutis commissuris, finditur nux in duas partes. Unde paulo post laminam vocat putamen fissile. Illud interim erat artis, *certo* ictu tangere commissuram. Nam *dilaniandi* verbum, quod in Aldinis quoque codicibus legitur, etiam carminis ratio respuit. Porro quod ait, *Rectas*, opponitur illi quod mox sequitur, *Pronas*, hoc est, transversas. Suspicor autem hunc esse lusum, quo findimus etiam mala prædura. Imponitur index sinistræ mali pedunculo, et in hunc pugnus dexter subito impingitur. In impetu ac celeritate sita est victoria. Etenim si leviter impingas, et digitum offendis, nec findis malum. Erasm. *Dilaniat* multi ex scriptis. Unde Erasmus, *dilaminat:* ingeniose; quomodo et codex Mediceus, cum prisca editione: etsi verbum id sit novum, certe *Laminam* nucis infra hic idem auctor appellat.

76. *Quum sibi suppositis.*] Elegantissime descripsit aleæ illud genus, quum pueri castellatim sibi nuces construunt, quas procul distantes si everterint nuce emissa, quotquot eversæ fuerint, atque etiam quæ dispositæ sunt infra eversas, omnes lucrantur. Hinc quidam apud Tranquillum in Augusto cap. 83. legunt sic illud membrum: "Animi laxandi causa modo talis, aut *castellatis* nucibus ludebat cum pueris minutis." Tranquilli tamen plura exemplaria, *Ocellatis nucibus;* id est, perforatis instar ocellorum, scriptum habent.

77. *Per tabulæ.*] Altera ludendi species est, ut, dispositis in seriem nucibus, per tabulam declivem volvatur nux: quæ si tangat quam oportet, vincit qui misit. Erasm. *Clivum*, declivitatem et descensum. Virgil. in Bucol. IX. v. 7: *Qua se subducere colles Incipiunt, mollique jugum demittere clivo.* Mah.

Est etiam, par sit numerus qui dicat, an impar:
Ut divinatas auferat augur opes.
Fit quoque de creta, qualem cœleste figuram
Sidus, et in Græcis litera quarta gerit.
Hæc ubi distincta est gradibus, qui constitit intus,
Quot tetigit virga, tot rapit inde nuces.
Vas quoque sæpe cavum, spatio distante, locatur;
In quod missa levi nux cadat una manu.

79. *Est etiam, par sit.*] Sic hodie quoque ludentes pueros conspicimus. Nuces enim, quotquot voluerint, manibus premunt, et tanquam problema quisque compari suo proponens interrogat, par insit numerus, an impar: quod si ille divinaverit, omnes nuces aufert: sin minus, totidem amittit. Hujus ludi meminit et Flaccus in Sermonibus, dum pueriles ludos recenset, inquiens: *Ludere par impar, equitare in arundine longa.* Nec vero nucibus tantum aut castaneis ludere *par impar* soliti erant antiqui, sed etiam nummis. Legimus enim apud Tranquillum, Augustum sic ad filiam scripsisse: "Misi tibi denarios ducentos et quinquaginta, quos singulis convivis dederam, si vellent inter cœnam, vel talis, vel par impar ludere." Idem.

80. *Ut divinatas auferat augur opes.*] Ut tollat victor puer *opes*, nuces scilicet! quarum numerum *divinando* conjecerat. Totus hic plenus elegantiæ locus; et varius semper poeta in describendo varios puerorum lusus, cum ipsis videtur colludere; neque ideo rerum gravitatem verbis usquam elevat.

81. *Fit quoque.*] Tertium lusus genus describit. Ex creta pingitur ampla figura triangula, qualem habet apud Græcos Δέλτα majuscula forma scriptum. Eamdem figuram apud Ægyptios cursu suo facit Nilus: unde et loco nomen inditum. Et huic similis ostenditur in cœlo super caput Arietis. Hac notant tres stellæ, duabus lineis æqualibus, tertia breviore: sed quæ in angulo stellam clariorem habeat, Græci δέλτωτον appellant. In lineis itaque pictis, certis intervallis, quos hic *gradus* vocat, disponuntur nuces. Puer qui stat in medio, jactu virgæ quot tetigerit, tot aufert. Erasm.

84. *Quot tetigit virga, tot capit ipsa nuces.*] *Ipse* nonnulli, *ille* duo. Sed vetus editio, codex Regius, et Langermanni recte, *tot capit inde:* quare et in superiori versu scribendum, *qui constitit intus;* non, *quæ.* Heins. Legebat vero Sentlebius: "... Quæ constitit intra Quot tetigit virgas, tot *capit* inde nuces." Et ita explicat: Delta Græcorum triangulari forma pingebatur, idque gradibus invicem distinguebatur. Colludentes ergo pueri procul stantes nuces singulas in Deltoton mittebant, et cujuscunque nux in illo schemate consistebat, tot lucrabatur nuces, quot tangebat virgas, seu lineas; si vero nux missa Deltoto penitus emigrasset, missio ista erat irrita, et alius ex sociis admittebatur. Recte, ut quidem puto, Sentlebius, qui uberius hunc locum illustrat: nam *consistere* nux dicitur, quæ e manu emissa et evoluta, quiescit et cursum finit, ut millies ea vox occurrit. Burm.

85. *Vas quoque.*] Meminit hujus lusus et Persius: *Et angustæ collo*

Felix, secreto quæ nata est arbor in arvo;
Et soli domino ferre tributa potest!
Non hominum strepitus audit, non illa rotarum;
Non a vicina pulverulenta via est.
Illa suo, quæcumque tulit, dare dona colono,
Et plenos fructus adnumerare potest.
At mihi maturos numquam licet edere fœtus;
Ante diemque meæ decutiuntur opes.
Lamina mollis adhuc tenero dum lacte, quod intro est;
Nec mala sunt ulli nostra futura bono:
Jam tamen invenio, qui me jaculentur; et ictu
Præfestinato munus inane petant.
Si fiat rapti, fiat mensura relicti;
Majorem domini parte, viator, habes.
Sæpe aliquis, foliis ut nuda cacumina vidit,
Esse putat Boreæ triste furentis opus.
Æstibus hic, hic me spoliatam frigore credit:
Est quoque, qui crimen grandinis esse putet.

non fallier orcæ. Singuli pueri deponunt nuces aliquot in orcam, id est ollæ genus: deinde ex intervallo singuli per vices petunt os ollæ; qui solus, aut frequentius, immiserit, aufert omnes nuces. Erasm. Quamvis Scholiastes Persii, quisquis ille sit, huc referat, ad Talorum jactum est referendum.

92. *Et plenos fructus adnumerare potest.*] Proprie usus est verbo *adnumerandi.* Ciof.

93. *At mihi maturos.*] Rursus manuscriptum, *At mihi maternos:* quod sequentia declarant non plane esse ineptum; nam ad arbores transferri modo diximus. Fan.

95. *Lamina mollis adhuc tenero dum lacte,* etc.] Dum succus est adhuc lacteus magis, quam nucleus. Sic de frumentis Virgil. Georg. i. 315. quum "....In viridi stipula *lactentia* turgent." *Lamina* corticem designat, quæ *mollis* primum, et quasi *lactea,* sensim durescit, fitque maturitate lignum, et quidem durissimum.

99. *Si fiat rapti,* etc.] Ut ubique, malum hic exaggerat, ex modo rapinæ. Non solum fraudatur dominus, sed plus aufert raptor; qui si dimidiam saltem, non vero *majorem* tolleret partem!

103. *Æstibus hic, hic me.*] Odiosa repetitio et ingrata τοῦ *hic:* scribe cum Neapolitano: "Æstibus *hic, alius* spoliatam frigore credit." B. Sic Metam. libro i. 293: "Occupat *hic* collem; cymba scdet *alter* adunca."

At mihi nec grando, duris invisa colonis,
Nec ventus fraudi, solve, geluve fuit.
Fructus obest; peperisse nocet; nocet esse feracem;
Quæque fuit multis, et mihi præda malo est.
Præda malo, Polydore, fuit tibi: præda nefandæ
Conjugis Aonium misit in arma virum.
Hesperii regis pomaria tuta fuissent;
Una sed immensas arbor habebat opes.
At rubus, et sentes tantummodo lædere natæ,
Spinaque vindicta cetera tuta sua est.
Me, quia nec noceo, nec obuncis vindicor hamis,
Missa petunt avida saxa proterva manu.

106. *Nec ventus fraudi.*] *Fraus* verbum Juris. Alii perperam legunt, *damno:* quod glossema est. Terent. in Heautontim. act. iii. sc. i. v. 33: "In eamdem fraudem ex hac re, atque ex illa incides."

107. *Fructus obest; peperisse nocet; nocet esse feracem.*] Expressisse videtur ex Epigramm. Græco, unde petitum duximus totius Elegiæ argumentum. Malim, *feraci*, si per libros liceat. Sic lib. ix. 477. Met. *verum nocet esse sorori;* et ubique fere, ut jam notavimus.

108. *Est mihi.*] Querelæ magis convenit lectio manuscripti, *hei mihi præda malo est!* Convenit etiam exemplis tristibus Polydori Trojani, Amphiarai Thebani, Atlantis Libys. Fabr.

109. *Præda malo, Polydore,* etc.] Vid. Euripid. Hecub. et Virg. Æn. iii. 45. *Præda nefandæ conjugis.* Eryphiles, quæ, accepto a Polynice monili, quod Hermionæ olim Venus dono dederat, Amphiaraum conjugem in bellum Trojanum immisit, quod ipsi fatale erat. Vid. Stat. Theb. ii. 265; ibid. vii. viii. *Aonium* autem dicit, quod et Apollineum, quia vates et augur celebris.

111. *Hesperii regis,* etc.] Nota satis fabula de hortis Hesperidum. Marcus autem Varro mala aurea, capros et oves interpretatur (de Re Rustica, lib. ii.) quas Hercules ex Africa in Græciam exportavit. Ea enim sua voce Græci *mala*, μῆλα adpellant. Hoc idem Diodor. lib. v. Draconem vero, hortorum custodiæ præpositum, intellexerunt Plin. et Solin. flexuosos maris meatus, qui pomaria Atlantis circuibant. Plura ad Met. ubi limes historiam inter et fabulam conterminus recentioribus documentis adsignabitur.

113. *At rubus, et sentes tantummodo lædere natæ.*] Persimile apud Terentium, in Phormione, act. iii. scena i. 16: "... Non rete accipitri tenditur, neque milvio, Qui male faciunt nobis: illis, qui nil faciunt, tenditur; Quia enim in illis fructus est; in illis opera luditur." *At rubus et sentes lædere natæ.* Pro *natæ ad lædendum.* Græce potius, quam Latine: πεφυκυῖαι βλάπτειν. Quamquam Græci πέφυκεν usurpant simili modo, pro *solet.* E.

116. *Saxa proterva.*] Eodem modo *impudens lapis* dicitur ab Homero, qui commendatur ab Arist. lib. iii. Rhetoricorum. Crof.

Quid, si non aptas solem fugientibus umbras,
Finditur Icario quum cane terra, darem?
Quid, nisi suffugium nimbos vitantibus essem,
Non exspectata quum venit imber aqua?
Omnia quum faciam, quum præstem sedula cunctis
Officium, saxis officiosa petor.
Hæc mihi perpessæ, domini patienda querela est.
Causa habeor, quare sit lapidosus ager.
Dumque repurgat humum, collectaque saxa remittit,
Semper habent in me tela parata viæ.
Ergo invisa aliis, uni mihi frigora prosunt:
Illo me tutam tempore præstat hiems.
Nuda quidem tunc sum; nudam tamen expedit esse;
Nec spolium de me, quod petat, hostis habet.
At simul induimus nostris sua munera ramis,
Saxa novos fructus grandine plura petunt.
Forsitan hic aliquis dicat: quæ publica tangunt,
Carpere concessum est: hoc via juris habet.

117. *Solem vitantibus.*] Non solum, inquit, fructifera et innoxia; verum etiam aliis modis commoda sum viatori: videlicet sub umbram meam confugit, quum non tolerat æstum solis, aut quum sub dio subito oborta pluvia occupavit. Erasm.

118. *Finditur Icario quum cane terra*, etc.] Sirius, sive προκύων, quod sit in capite stellæ, quæ *canis* dicitur. Produnt hunc fuisse comitem Icari, qui domini corpus exstincti prodiderit; quod ipsi officium locum inter sidera meruit. Erasm.

124. *Causa habeor.*] Tibull. lib. I. Eleg. iii. 17: "Aut ego sum *causatus*, aves dant omina dira, Saturni aut sacram me tenuisse diem." *Causa habeor quare sit lapidosus ager.* E conjectis in nucem saxis.

126. *Semper habent in me*, etc.] Saxa scil. quæ dominus agri, dum *repurgat*, in viam remittit.

131. *Sua munera;* id est fructus. M.

132. *Grandine plura.*] Hyperbolice dicit; quod Græci χαλαζηδόν.

133. *Forsitan hic aliquis dicat.*] Quod sibi objici posset, confutat exemplis. Quæ cujusquam civitatis publica sunt, communi omnium, qui ex eadem sunt civitate, usui deserviunt. Nux igitur in publica via sita communis est, ex qua omnes ejus civitatis homines fructus capere possunt. Eodem sensu sunt illa Ciceronis libro i. de Offic. "Multa, *inquit*, sunt civibus inter se communia: forum, fana, porticus, viæ, leges," etc. *Publica* autem et *communia* interdum apud Jurisconsultos confunditur. Cior.

134. *Hoc juris.*] Sic Eleg. I. lib. i.

Si licet hoc, oleas distringite: cædite messes,
Improbe! vicinum carpe, viator, olus.
Intret et urbanas eadem petulantia portas;
Sitque tuis muris, Romule, juris idem.
Quilibet argentum prima de fronte tabernæ
Tollat; et ad gemmas quilibet alter eat.
Auferat hic aurum: peregrinos ille lapillos;
Et quascumque potest tangere, tollat opes.
Sed neque tolluntur: nec, dum regit omnia Cæsar,
Incolumis, tanto præside, raptor erit.
At non ille Deus pacem intra mœnia finit:
Auxilium toto spargit in orbe suum.
Quid tamen hoc prodest, media si luce, palamque
Verberor, et tutæ non licet esse mihi!
Ergo nec nidos foliis hærere, nec ullam
Sedibus in nostris stare videtis avem.
At lapis, in ramo sedit quicumque bifurco,
Hæret; et, ut capta victor in arce, manet.
Cetera sæpe tamen potuere admissa negari,
Et crimen nox est inficiata suum.
Nostra notat fusco digitos injuria succo,
Cortice contactas inficiente manus.

Amor. v. 5: "Quis tibi, sæve puer, dedit *hoc* in carmina juris?" Id est, hoc jus, hanc facultatem.

138. *Sitque tuis muris*, etc.] Nove, inquit Erasmus, *tuis muris*, pro *in tuos muros*. Mœnia sunt inviolata; nam Romulus ob violata, Remum fratrem occidit. Ad id adlusit poeta; nec gratia caret apostrophe.

140. *Et ad gemmas quilibet alter eat.*] Adnota hic vim verbi *ire*. Donatus in Terent. And. Act. i. sc. v: *Itur ad me, quasi ad hostem.* Plaut. in Pseud. *Itur ad me.* Virg. ix. 423: "... Simul ense recluso, Ibat in Euryalum." *Lapillos*, uniones. Ciof.

144. *Raptor.*] Recte: quasi fur manifestus. Ciof.

149. *Ergo nec nidos*, etc.] Ne quid omitteret argumentorum, hinc quoque colligit improbitatem viatorum, quod ob densitatem saxorum, nullæ aves nidulentur in ramis ipsius: quod tamen accidere probabilius est, ob nativam amaritudinem foliorum et corticis, gravemque nidorem. Erasm.

153. *Cetera sæpe tamen potuere admissa negari*, etc.] Ea dicit crimina,

Ille cruor meus est: illo maculata cruore
Non profectura dextra lavatur aqua.
O ego, quum longæ venerunt tædia vitæ,
Optavi quoties arida facta mori!
Optavi quoties, aut cæco turbine verti,
Aut valido missi fulminis igne peti!
Atque utinam subitæ raperent mea poma procellæ;
Vel possem fructus excutere ipsa meos!
Sic, ubi detracta est a te tibi causa pericli,
Quod superest, tutum, Pontice castor, habes.
Quid mihi tunc animi est, quum sumit tela viator,
Atque oculis plagæ destinat ante locum?
Nec vitare licet moto fera verbera trunco,
Quem sub humo radix vinclaque firma tenent.
Corpora præbemus plagis: ut sæpe sagittis,
Quum populus manicas deposuisse vetat;
Utve gravem candens ubi tolli vacca securim,
Aut stringi cultros in sua colla videt.

quorum *nox* sola conscia fuit, et quæ potuit ideo negare; *inficiata est*.

161. *Aut cæco turbine verti.*] *Cæcum* ideo vocat, quod insano tumultu ruat, et cuncta sine discrimine ullo perflet. Sic *cæcum* amorem dicimus, et furorem *cæcum*.—*Cæco turbine verti. Verti* pro everti capiendum esse notavit Douza: ut apud Virg. Æneid. i. 20: " ... Tyrias olim quæ verteret arces." Quod Pierius efficacius esse docet, quam *evertere*.

163. *Atque utinam subitæ*, etc.] Ventus enim vehementior frequenter excutit mala, pyraque; sed juglandes hærent, tenacius ligno adfixæ; nec temere, nisi saxis aut pertica ex arbore excutiuntur. Rursus fructus alii, ubi immaturuerunt, sponte in terram decidunt; quod non Nuci; ideoque exoptat sibi id quoque evenire. En.

165. *Sic, ubi detracta est a te tibi causa pericli*, etc.] Fabulis receptum est Fibrum, quum venatores, ut eum capiant, insequuntur, testes sibi amputare, illisque eos abjicere, atque ita venantium insequentiumque manus effugere. Hac de re Æsopus fab. 33. Ciof.—Sextius vero apud Plin. xxxii. 3. negat id esse verum, quod hoc animal testes habeat pusillos, ac lumbis substrictos; nec posse avelli, nisi cum vita.—*Pontice*. Sic dictus Castor, vel Fiber, quia in Ponto frequentissimus: " .... Virosaque Pontus Castorea (Mittit.)" Virg. Georg. i. 57.

173. *Utve gravem candens*, etc.] *Candens vacca*, quia victimæ albæ, ut ex antiquis auctoribus est compertum, nisi quæ Dîs inferis cædebantur.—Heins.

Sæpe meas vento frondes tremuisse putastis:
  Sed metus in nobis causa tremoris erat.
Si merui, videorque nocens, imponite flammæ;
  Nostraque fumosis urite membra focis.
Si merui, videorque nocens, excidite ferro,
  Et liceat miseræ dedecus esse semel.
Si nec cur urar, nec cur excidar, habetis,
  Parcite: sic cœptum perficiatis iter!

177. *Imponite flammæ.*] Forte legendum, *imponite flammam:* ut intelligatur, arborem succisam exuri. Id si non placet, intelligamus illam excisam, illic exuri, ubi nata est.

178. *Nostraque fumosis*, etc.] Quorum deplorata malitia est, capitis supplicio velut amputantur a corpore civium: in arboribus deploratis, duplex est pœna capitis: aut enim *exciduntur*, ut admoveantur focis; aut si non est tanti, *exuruntur*, injecta flamma, ut vestigium exustæ testetur fuisse noxiam. Facete vero ramos dixit *membra.*—*Si merui.* Convenit affectui repetitio. Erasm.

180. *Et liceat miseræ dedecus esse semel.*] Ignominia quidem est affici supplicio; sed majus multo supplicium pati quotidie quod patitur; ideoque orat ut miseræ liceat subire *dedecus*, quod ipsam perpetuo dedecori subducat, et ignominiæ, quæ sit momenti cujusque. Quod ita parum videtur Heinsius intellexisse, ut *nihil sani* in hoc versu inesse affirmet, et sic censeat refingendum: "Et liceat miseræ *dedoluisse* semel."

PUBLII OVIDII NASONIS

IBIS[a].

TEMPUS ad hoc, lustris jam bis mihi quinque peractis,
Omne fuit Musæ carmen inerme meæ;
Nullaque, quæ possit, scriptis tot millibus exstat
Litera Nasonis, sanguinolenta legi.
Nec quemquam nostri, nisi nos, læsere libelli,
Artificis periit quum caput Arte sua.
Unus, et hoc ipsum est injuria magna, perennem
Candoris titulum non sinit esse mei.

Ibin, sub quo nomine Hyginum latere volunt, quod Ovidii nomen maledictis laceraret, et falsis criminationibus in invidiam et odium adduceret, quod porro ejus uxorem sollicitaret importune, quodque fortunis inhiaret poetæ, diris omnibus hic devovet.

[a] Ibis. Ita rectius inscribetur hoc poema, quam In Ibin, quod hactenus circumfertur; neque aliter suum poema Callimachus inscripserat. Vide Suidam in Καλλίμαχος. Eutyches quoque Grammaticus, lib. ii. *Ovidium in Ibide* citat, non *in Ibin*.

1. *Lustris.*] Lustrum dixerunt Latini spatium quinque annorum. Serv. in Æneid. lib. i. vs. 283: "Lustrum dictum, quod post quinquennium unaquæque civitas lustrabatur. Unde Romæ ambilustrum, quod non licebat, nisi ambos censores, post quinquennium lustrare civitatem." Quamvis Varro a *luendo*, id est, solvendo lustrum ducit, quod quinto quoque anno vectigalia, et ultro tributa per censores persolvebantur. Domit.

2. *Carmen inerme*, etc.] Hic mores suos, candoremque, et ingenium minime maledicum indicat Naso. Z.

4. *Litera sanguinolenta.*] Carmen maledicum.

6. *Arte sua.*] Eadem alibi ac frequens querela est poetæ: ut Trist. lib. ii. vers. 2: "Ingenio perii qui miser ipse meo." Et Pont. II. Eleg. vii. v. 47: "Artibus ingenuis quæsita est gloria multis: Infelix perii dotibus ipse meis."

7. *Unus.*] Ibis: vel quem deinceps Ibidis nomine notabo.

8. *Titulum.*] De quo III. de Ponto, Eleg. iv. vs. 13.

Quisquis is est, nam nomen adhuc utcunque tacebo,
Cogit inadsuetas sumere tela manus.
Ille relegatum gelidos Aquilonis ad ortus
Non sinit exsilio delituisse suo;
Vulneraque immitis requiem quærentia vexat,
Jactat et in toto nomina nostra foro;
Perpetuoque mihi sociatam fœdere lecti
Non patitur miseri funera flere viri:
Quumque ego quassa meæ complectar membra
Naufragii tabulas pugnat habere mei; [carinæ,
Et qui debuerat subitas exstinguere flammas,
Is prædam medio raptor ab igne tulit.
Nititur ut profugæ desint alimenta senectæ;
Heu! quanto nostris dignior ipse malis!

9. *Nomen adhuc utcunque tacebo.*] Neminem interpretum observasse video, cur Ovidius Ibidis nomen subticuerit. An, ne carminibus Ovidianis Ibis inclaresceret; in quam sententiam eundem, ni fallor, adloquitur, lib. IV. ex Ponto, El. iv. vs. 1 sq. Vix tamen est, ut hæc fuerit mens poetæ, quoniam, postremo disticho hujus libelli, verum Ibidis nomen pollicetur. An Naso reverentia legis duodecim Tabularum sibi temperavit, qua nimirum famosos libellos projicere capitale fuit. Ejus meminit Tullius, lib. iv. Tusculan. in hunc modum: "Quanquam id quidem etiam duodecim Tabulæ declarant, condi jam tum solitum carmen, quod ne liceret fieri ad alterius injuriam, lege sanxerunt."

10. *Tela.*] Imprecationes.—*Inadsuetas manus.* Quia neminem præter Ibidem carmine offendit.

15. *Sociatam,* etc.] Uxorem dicit, quam ad extremum usque diem adprobavit.

16. *Non patitur miseri funera flere viri.*] Argute Politiani liber et unus Vatican. *vivi viri:* exsules civiliter mortui. Seneca relegatus in Epigrammate ad Corsicam: "Parce relegatis, hoc est, jam parce sepultis. Vivorum cineri sit tua terra levis;" Rutilius, Itinerario de amico vitæ monasticæ addicto: "Perditus hic vivo funere civis erat." *Exsul ubi nusquam domi est, sine sepulcro est mortuus,* apud P. Syrum. Seneca Thebaid. "funus extendis meum, Longasque vivi ducis exsequias patris." H. *Funera.* Vivi viri calamitatem, et me vivum ac exsulem perinde ac mortuum funere prosequi.

19. *Subitas exstinguere flammas.*] Mihi opitulari, sicut solent incendiis homines extinguendo ignem auxilium præstare. Z.

21. *Alimenta.*] *Alimenta* exponit Glossarium vetus Θρεπτήρια καὶ τροφεια, hoc est, præmia educationis, sive quod parentibus nutricationis causa a filiis rependitur. Legimus liberos parentibus ætate confectis alimenta, sive Θρεπτήρια suppeditare le-

Dî melius! quorum longe mihi maximus ille,
  Qui nostras inopes noluit esse vias.
Huic igitur meritas grates, ubicunque licebit,
  Pro tam mansueto pectore semper agam.
Audiet hæc Pontus: faciat quoque forsitan idem,
  Terra sit ut propior testificanda mihi.
At tibi, calcasti qui me, violente, jacentem,
  Quamlibet et misero debitus hostis ero.
Desinet esse prius contrarius ignibus humor,
  Junctaque cum Luna lumina Solis erunt;
Parsque eadem cœli Zephyros emittet et Euros,
  Et tepidus gelido flabit ab axe Notus;

gibus coactos: Græcis *νόμοι πελαργικοὶ* adpellantur. Sensus est: ille, quisquis est, hostis acerrimus, conatur et uxori et liberis bona adimere, quo mihi ætate fracto, et in extremas Ponti oras ejecto, alimenta suppeditare nequeant. Recte *profugam senectam* vocat, quod procul a finibus Romanis pulsus, apud Tomitas senescere inglorius cogatur. Dessel.

23. *Dî melius!*] Nota priscis formula; Virg. G. iii. 513. *Dî meliora piis;* Ovid. Met. vii. 37. *Dî meliora velint. Quorum longe mihi maximus ille.* Augustum intelligit, quem Trist. ii. 54. *præsentem conspicuumque Deum* adpellat. Quod vero Augustus poetæ nostro bona minime ademerit, ipse abunde testis est; "Idque Deus sentit, pro quo nec lumen ademptum est: Nec mihi detractas possidet alter opes." Relegationis beneficium significat, ab Augusto acceptum: alias eorum, qui exsilio erant damnati et deportati, bona publicabantur. Dessel.

24. *Inopes vias.*] Viaticum enim dedit. Zar.

27. *Audiet hæc Pontus,* etc.] Sensus est: Audiet *hoc,* sive *hæc,* id est, gratiarum actionem meam; et *idem* scil. Cæsar fortassis *faciet, ut terra propior sit mihi testificanda,* hoc est, testis citanda, meæ erga illum gratitudinis: per quod innuit, se nondum omnem spem abjecisse propioris ac tolerabilioris exsilii. Quasi dicat: Ac spero Cæsarem aliquanto placatiorem, mitius exsilium aliquando mihi adsignaturum. Sed mortuus est in exsilio Ovidius, Olymp. cxcix. kalendar. januarii, ætatis lx. Tiberii regnantis quarto. Micyl.

29. *Calcasti.*] Insultasti injuria adfecto. Dom.

30. *Quamlibet.*] Quacunque parte licuerit. Zer.

33. *Parsque eadem cœli Zephyros.*] Ventos hos cardinales, qui quatuor, pulcherrime describit I. Trist. Eleg. ii. ver. 27: "Nam modo purpureo vires capit Eurus ab ortu, Nunc Zephyrus sero vespere missus adest. Nunc gelidus sicca Boreas bacchatur ab Arcto, Nunc Notus adversa prælia fronte gerit." Dessel.

Et nova fraterno veniet concordia fumo,
  Quem vetus accensa separat ira pyra;
Et Ver Autumno, Brumæ miscebitur Æstas;
  Atque eadem regio Vesper et Ortus erunt,
Quam mihi sit tecum positis, quæ sumsimus, armis
  Gratia, commissis, improbe, rupta tuis:
Quam dolor hic unquam spatio evanescere possit,
  Leniat aut odium tempus et hora meum!
Pax erit hæc nobis, donec mihi vita manebit,
  Cum pecore infirmo quæ solet esse lupis.
Prima quidem cœpto committam prælia versu:
  Non soleant quamvis hoc pede bella geri.
Utque petit primo plenum flaventis arenæ
  Nondum calfacti velitis hasta solum;
Sic ego te ferro nondum jaculabor acuto,
  Protinus invisum nec petet hasta caput.
Et neque nomen in hoc, nec dicam facta libello;
  Teque brevi, qui sis, dissimulare sinam.
Postmodo, si perges, in te mihi liber iambus
  Tincta Lycambeo sanguine tela dabit.

35. *Et nova,* etc.] Nota est fabulosa historia Eteoclis et Polynicis fratrum, rogum in duas partes divisum esse: "Scinditur in partes, geminoque cacumine surgit;" Lucan. Phars. lib. i. ver. 551: "Scinditur in partes atra favilla duas;" Ovid. Trist. lib. v. El. v. ver. 35.

43. *Pax erit hæc nobis,* etc.] Non dissimile illud Flacci, Epod. iv. ver. 1: "Lupis et agnis quanta sortito obtigit, Tecum mihi discordia est." Dessel.

45. *Cœpto.*] Cœptum versum simpliciter intellige, quo cœpit hæc scribere in Ibin, hoc est, Elegiaco.

46. *Hoc pede.*] Nam metro iambico maledicta scribuntur.

48. *Velitis.*] Velites levis armaturæ et expediti: vide Turneb. 48. Advers. lib. xiv. cap. 11.

54. *Tincta Lycambeo sanguine,* etc.] Nota iambica mordacitas. Archilochum primum iambis usum volunt: ut Horat. de Arte Poet. vers. 79: "Archilochum proprio rabies armavit iambo," etc. Lycambeu enim, socerum suum, a quo minus desponsatæ filiæ nuptiis frui posset, virulentis et maledicentissimis poematiis ad laqueos adegit. Dessel.

Nunc, quo Battiades inimicum devovet Ibin,
  Hoc ego devoveo teque tuosque modo.
Utque ille, historiis involvam carmina cæcis:
  Non soleam quamvis hoc genus ipse sequi.
Illius ambages imitatus in Ibide dicar,
  Oblitus moris judiciique mei.
Et quoniam, qui sis, nondum quærentibus edo,
  Ibidis interea tu quoque nomen habe.
Utque mei versus aliquantum noctis habebunt,
  Sic vitæ series tota sit atra tuæ.
Hæc tibi natali faxo, Janique kalendis,
  Non mentituro quilibet ore legat.
Dî maris et terræ: quique his meliora tenetis
  Inter diversos cum Jove regna polos;

55. *Battiades.*] Callimachus, quia υἱὸς Βάττου καὶ Μεσάτμας, ut est in Suida. Alii a Batto rege, Cyrenes conditore, ita vocatum volunt, et Cyrenenses omnes *Battiades* dictos. *Ibin.* Apollonium Rhodium. *Inimicum.* Nam quum fuisset discipulus Callimachi, multa, quæ a præceptore acceperat, pro suis ostentabat. Dom. *Devovet Ibin.* Non solum propter impuritatem et spurcitiem ipsius significandam, Ibin dici puto: sed et quia Ægyptius esset patria, cujus terræ hæc avis quasi peculiaris: utroque autem modo per contemptum, et contumeliose. Micyl.

57. *Utque ille, historiis involvam carmina cæcis.*] Suidas etiam Callimachi libellum in Ibin perobscurum fuisse testatur, de quo Papinium loqui non dubito, lib. iv. Sylv. quum patrem laudat in ejus epicedio, quod Callimachi, Lycophronis, Sophronis et Corinnæ versus obscurissimos intelligeret.

62. *Tu quoque.*] Quemadmodum Apollonius Rhodius. Dom.

65. *Faxo*, minantis. *Hæc tibi natali.* Priusquam Naso Deos invocando sibi conciliet, Ibin monet, ut natali suo, kalendisque januariis, has imprecationes a quovis legi, sibique pro faustis imprecationibus recitari curet, quo scil. iis diebus pronunciatæ, certiorem perniciem portendant. Veteres enim, quidquid ominis mali, temporibus illis auditum fuisset, dirum nescio quod exitium minari credebant. Contra dies illos, si nihil infausti contigisset, faustissimos censebant. Salvag.

68. *Inter diversos polos.*] Arcticum et antarcticum. Divi erant duodecim, qui cum Jove dicebantur tenere cœlum, et majorum gentium Dii vocabantur; quos et *consentes* adpellabant, qui a consilio Jovis erant; ita dicti, quod consentirent in eo, quod gerendum esset. Jupiter, Juno, Vesta, Minerva, Ceres, Diana, Venus, Mars, Mercurius, Liber, Neptunus, Apollo, ii tantum nectare utebantur.

Huc precor, huc vestras omnes advertite mentes,
Et sinite optatis pondus inesse meis.
Ipsaque tu Tellus, ipsum cum fluctibus Æquor,
Ipse meas, Æther, accipe, summe, preces:
Sideraque, et radiis circumdata Solis imago;
Lunaque, quæ nunquam, quo prius, ore micas;
Noxque tenebrarum specie reverenda tuarum;
Quæque ratum triplici pollice netis opus;
Quique per infernas horrendo murmure valles
Imperjuratæ laberis amnis aquæ;
Quasque ferunt torto vittatis angue capillis
Carceris obscuras ante sedere fores;
Vos quoque, plebs Superûm, Fauni, Satyrique, Laresque,
Fluminaque, et Nymphæ, Semideûmque genus,
Denique ab antiquo Divi veteresque novique,
In nostrum cuncti tempus adeste, Chao!
Carmina dum capiti malefido dira canuntur,
Et peragunt partes ira dolorque suas:
Adnuite optatis omnes ex ordine nostris,
Et pars sit voti nulla caduca mei.
Quæque precor, fiant: ut non mea dicta, sed illa
Pasiphaes generi verba fuisse putet.

77. *Quique.*] Invocat Stygem paludem, cujus filia Victoria, quum in bello Giganteo opem tulerit Jovi, meruit ut matris nomen jusjurandum esset Deorum: quod qui fallebat, novem diebus carebat nectare; Virgil. Æn. vi. ver. 324: "Dii cujus jurare timent, et fallere numen."

79. *Vittatis*, etc.] Ligatis tanquam vittis: nam vittarum loco tribuunt anguibus contortis revinctum caput.

81. *Vos quoque, plebs.*] Dii minorum gentium, quos et plebeios adpellat. *Laresque.* Dii domestici et patrii. Ii compita servant. Inde compitalia festa, et dies attributi Laribus, quibus in compitis sacrificabatur.

82. *Semideúmque genus.*] Hierocles in Carm. Pythag. ver. 1. hoc ita illustrat: Πρῶτον ἀθανάτους θεοὺς ὁ παρὼν λόγος ἐσήμανε, τὸ δὲ μέσον, Ἥρωας ἀγαυοὺς, καὶ τὸ ἔσχατον δαίμονας καταχθονίους· propter virtutes enim in Deos referebantur. Hic autem poeta minorum gentium Deos adpellat Semideos.

90. *Pasiphaes generi.*] Theseum innuit, ob ductam Ariadnam, Minois

Quasque ego transiero pœnas, patiatur et illas:
  Plenius ingenio sit miser ille meo.
Neve minus valeant fictum exsecrantia nomen
  Vota, minus magnos commoveantve Deos;
Illum ego devoveo, quem mens intelligit, Ibin;
  Qui se scit factis has meruisse preces.
Nulla mora est in me: peragam rata vota sacerdos:
  Quisquis ades sacris, ore favete, meis.
Quisquis ades sacris, lugubria dicite verba,
  Et fletu madidis Ibin adite genis:
Ominibusque malis, pedibusque occurrite lævis,
  Et nigræ vestes corpora vestra tegant.
Tu quoque, quid dubitas ferales sumere vittas?
  Jam stat, ut ipse vides, funeris ara tui.
Pompa parata tibi est: votis mora tristibus absit:
  Da jugulum cultris, hostia dira, meis.
Terra tibi fruges, amnis tibi deneget undas;
  Deneget adflatus ventus et aura suos.
Nec tibi Sol clarus, nec sit tibi lucida Phœbe;
  Destituant oculos sidera clara tuos.

et Pasiphaes filiam. Sensus est; tam rata ac certa mea sint vota et verba, quam Thesei, quibus Hippolyto filio dira vovit; vide Argum. Epist. iv. Heroid. Ovid. Dessel.

91. *Pœnas.*] Octo pœnarum genera in legibus Cicero tradit: damnum, ignominiam, servitutem, vincula, verbera, talionem, exsilium et mortem. Zar.

92. *Plenius ingenio sit miser ille meo.*] Eodem sensu capio hunc versum Valerii Catonis *in Diris:* "nostris superent hæc carmina votis."

93. *Neve minus noceant.*] In carmine quo aliquis devovebat, necesse erat proprium nomen exprimere; alioquin preces erant inanes. Hac de causa Romani nomen urbis Latinum exstare noluerunt, ne ab hoste devoveri posset; vide Plin. lib. iii. cap. 5. et lib. xxviii. cap. 2; Macrob. lib. iii. cap. 9.

98. *Ore favete.*] Εὐφημεῖτε, bona verba dicite. Juven. *Linguis animisque favete;* Virgil. v. Æneid. 71. *Ore favete omnes.* Alii pro *silete;* vide Lævin. Torrent. in Horat. iii. Od. i. ver. 2.

102. *Et nigræ vestes.*] Nam sacra infernalia peragebantur indutis sacerdotibus veste nigra, qua umbrarum similitudinem repræsentabant.

103. *Ferales vittas.*] Cæruleas, seu atras; Turneb. lib. xiv. c. 4. Dessel.

Nec se Vulcanus, nec se tibi præbeat aer:
Nec tibi det tellus, nec tibi pontus iter.
Exsul, inops erres, alienaque limina lustres,
Exiguumque petas ore tremente cibum.
Nec corpus querulo, nec mens vacet ægra dolore;
Noxque die gravior sit tibi, nocte dies.
Sisque miser semper; nec sis miserabilis ulli:
Gaudeat adversis femina virque tuis.
Accedat lacrymis odium, dignusque putere,
Qui mala, quum tuleris plurima, plura feras.
Sitque, quod est rarum, solito defecta favore
Ærumnæ facies invidiosa tuæ.
Causaque non desit, desit tibi copia mortis:
Optatam fugiat vita coacta necem.
Luctatusque diu cruciatos spiritus artus
Deserat, et longa torqueat ante mora.
Evenient: dedit ipse mihi modo signa futuri
Phœbus; et a læva mœsta volavit avis.
Certe ego, quæ voveo, Superos motura putabo,
Speque tuæ mortis, perfide, semper alar.
Finiet illa dies, quæ te mihi subtrahet olim;
Finiet illa dies, quæ mihi tarda venit:
Et prius hanc animam, nimium tibi sæpe petitam,
Auferet illa dies, quæ mihi sera venit;

123. *Causaque non desit, desit tibi copia mortis.*] Juxta Sophocleum illud in Electra, ver. 1010: Οὐ γὰρ θανεῖν ἔχθιστον, ἀλλ' ὅταν θανεῖν Χρήζων τις, εἶτα μηδὲ τοῦτ' ἔχῃ λαβεῖν.

127. *Evenient.*] Omni in re agenda observabant majores signa, quæ a numinibus darentur: ut aut his confirmati rem inchoatam perficerent, aut perterriti desisterent. Inchoato igitur devotionis carmine, fingit poeta Deos signa dedisse, quibus portendebant ejus imprecationem fore ratam.

128. *Et a læva mœsta.*] Cœli parte sinistra: ab ea enim Romanis prospera auguria. Graiis et Barbaris ea meliora erant, quæ a dextra cœli dabantur; vide Cic. ii. de Divinat. Quæ essent aves mali ominis, Plinius docet in X. Zar.

131. *Finiet illa dies.*] Supervacuum est hoc distichon, et a manu indocta hic inculcatum. Heins.

Quam dolor hic unquam spatio evanescere possit,
Leniat aut odium tempus et hora meum.
Pugnabunt jaculis dum Thraces, Iazyges arcu,
Dum tepidus Ganges, frigidus Ister erit;
Robora dum montes, dum pabula mollia campi,
Dum Tiberis flavas Tuscus habebit aquas;
Bella geram tecum: nec mors mihi finiet iras;
Sæva sed in manes manibus arma dabit.
Tum quoque, quum vacuas fuero dilapsus in auras,
Exanimis mores oderit umbra tuos.
Tum quoque factorum veniam memor umbra tuorum,
Insequar et vultus ossea larva tuos.
Sive ego, quod nolim, longis consumtus ab annis;
Sive manu facta morte solutus ero:
Sive per immensas jactabor naufragus undas,
Nostraque longinquus viscera piscis edet:
Sive peregrinæ carpent mea membra volucres;
Sive meo tingent sanguine rostra lupi:
Sive aliquis dignatus erit supponere terræ,
Et dare plebeio corpus inane rogo:
Quidquid ero, Stygiis erumpere nitar ab oris,
Et tendam gelidas ultor in ora manus.
Me vigilans cernes: tacitis ego noctis in umbris
Excutiam somnos, visus adesse, tuos.
Denique quidquid ages, ante os oculosque volabo,
Et querar, et nulla sede quietus eris.

146. *Insequar et vultus ossea forma tuos.*] *Ossea larva* codex Dionysii Salvagnii Boessii: quomodo Seneca, Epist. xxiv. *larvarum habitum nudis ossibus cohærentium* dixit. H.

148. *Morte solutus.*] Definitionem Platonis exprimit, qui scribit mortem esse solutionem animæ a corpore: ὁ θάνατος λύσις καὶ χωρισμὸς ψυχῆς ἀπὸ σώματος.

151. *Volucres peregrinæ.*] Vultures habebantur aves peregrinæ, quasi ex alieno orbe venientes. Unde et bellis civilibus venerunt aves nunquam antea visæ, specie paulo infra columbas, quas adpellabant *Betrientes*.

Verbera torta dabunt sonitum; nexæque colubris
Conscia fumabunt semper ad ora faces.
His vivus furiis agitabere, mortuus îsdem;
Et brevior pœna vita futura tua est.
Nec tibi contingent funus lacrymæque tuorum;
Indeploratum projiciere caput.
Carnificisque manu, populo plaudente, traheris;
Infixusque tuis ossibus uncus erit.
Ipsæ te fugient, quæ carpunt omnia, flammæ:
Respuet invisum justa cadaver humus.
Unguibus et rostro tardus trahet ilia vultur;
Et scindent avidæ perfida corda canes.
Deque tuo fiet, licet hac sis laude superbus,
Insatiabilibus corpore rixa lupis.
In loca ab Elysiis diversa fugabere campis;
Quasque tenet sedes noxia turba, coles.
Sisyphus est illic saxum volvensque petensque;
Quique agitur rapidæ vinctus ab orbe rotæ:

161. *Verbera sæva.*] *Verbera torta* primæ editiones et tres scripti; recte: Tibullus, lib. i. Eleg. vi. 45: "nec acrem Flammam, nec demens verbera torta timet;" Eleg. ix. 22: "intorto verbere terga seca;" Seneca Thyeste: "Quid ora terres verbere, et tortos ferox Minaris angues?" et Medea: "anguis excusso sonat Tortus flagello;" Val. Flac. viii. 20: "Inde, velut torto furiarum erecta flagello, Prosilit."

162. *Conscia.*] Cicero pro Sexto Roscio, dicit: "Nolite putare, eos qui aliquid impie sceleratequc commiserunt, agitari et perterreri tædis ardentibus: sua quemque fraus, suus error maxime vexat: suum quemque scelus agitat, amentiaque adficit: suæ malæ cogitationes conscientiæque animi terrent: eæ sunt impiis adsiduæ domesticæque furiæ, quæ dies noctesque parentum pœnas a sceleratissimis filiis repetant."

165. *Nec tibi continget*, etc.] Acerbissimum id veteribus visum, si sepulturæ honore carerent.

166. *Projiciere.*] Corpora, quæ sepultura carent, peculiari significatione *projici* dicuntur; Cicer. lib. i. Tusculam: "Durior Diogenes, et id quidem sentiens, ut Cynicus, asperius, projici se inhumatum;" Sen. Epist. 93: "Quem sævitia projecerit, dies condet." Ita Græcis ἐξερῤῥιμένος.

168. *Infixusque tuis ossibus uncus erit.*] Puto *faucibus*. Gutturi enim infigebantur unci, qua de re dictum nonnihil Amor. lib. i. Eleg. vi. ver. 26. Heins.

Quæque gerunt humeris perituras Belides undas,
Exsulis Ægypti, turba cruenta, nurus.
Poma pater Pelopis præsentia quærit, et idem
Semper eget, liquidis semper abundat aquis;
Jugeribusque novem qui summus distat ab imo,
Visceraque adsidue debita præbet avi.
Hic tibi de Furiis scindet latus una flagello,
Ut sceleris numeros confiteare tui:
Altera Tartareis sectos dabit anguibus artus;
Tertia fumantes incoquet igne genas.
Noxia mille modis lacerabitur umbra, tuasque
Æacus in pœnas ingeniosus erit.
In te transcribet veterum tormenta reorum:
Manibus antiquis causa quietis eris.
Sisyphe, cui tradas revolubile pondus, habebis;
Versabunt celeres nunc nova membra rotæ.
Hic erit, et ramos frustra qui captet et undas:
Hic inconsumto viscere pascet avem.
Nec mortis pœnas mors altera finiet hujus,
Horaque erit tantis ultima nulla malis.
Inde ego pauca canam; frondes ut si quis in Ida,
Aut summam Libyco de mare carpat aquam.

181. *Poma pater Pelopis.*] Tantalus dignatus Deorum mensa, Jovis mystica protulit mortalibus. Unde apud inferos esse meruit sitiens in aquis ori adlabentibus: "Quærit aquas in aquis, et poma fugacia captat Tantalus: hoc illi garrula lingua dedit." Zan.

190. *Æacus in pœnas.*] Hic, Minos et Rhadamantus, Jovis et Europæ filii, apud inferos judices sunt. Zan.

191. *Veterum tormenta virorum.*] *Reorum* esse scribendum monui, Fast. v. ver. 622. Seneca, Hercule furente, de Minoe ac Rhadamanto: "Et qui fronte nimis crimina tetrica Quærunt, ac veteres excutiunt reos." Idem Agamemnone: "Reputemus omnes, quos ob infandas manus Quæsitor urna Gnosius versat reos." Claudianus, lib. ii. in Rufinum de Rhadamanto: "Tum quoque, dum lites Stygiique negotia versat Dura fori, veterescque reos ex ordine quærit, Rufinum procul ecce notat." Heins.

200. *Ut si quis carpat frondes in Ida.*] Ida sylva in Creta, ut et in Phrygia: in hac proceritas arborum,

Nam neque quot flores Sicula nascantur in Hybla,
Quotve ferat, dicam, terra Cilissa crocos.
Nec, quum tristis hyems Aquilonis inhorruit alis,
Quam multa fiat grandine canus Athos.
Nec mala voce mea possint tua cuncta referri,
Ora licet tribuas multiplicata mihi.
Tot tibi væ misero! veniant talesque ruinæ,
Ut cogi in lacrymas me quoque posse putem.
Illæ me lacrymæ facient sine fine beatum:
Dulcior hic risu tum mihi fletus erit.
Natus es infelix; ita Dî voluere, nec ulla
Commoda nascenti stella, levisve fuit.
Non Venus adfulsit, non illa Juppiter hora:
Lunave non apto, Solve fuere loco.
Nec satis utiliter positos tibi præbuit ignes,
Quem peperit magno, lucida Maia, Jovi.
Te fera, nec quidquam placidum spondentia, Martis
Sidera presserunt, falciferique senis.
Lux quoque natalis, ne quid, nisi triste, videres,
Turpis, et inductis nubibus atra fuit.

et copia in admiratione est. *De mare Libyco.* Mare Libycum idem Africanum dictum est; protenditur in Ægyptium usque pelagus. *Libyco de mare.* Prisce, pro de mari; Caris. lib. i. Dess.

202. *Terra Cilissa crocos.*] Circa Corycium Ciliciæ montem crocum optimum habetur, inter cætera electissimum, ibi Corycos opp. est, et specus. Crocum autem adolescentem fuisse, fabulæ ostendunt, in florem sui nominis transmutatum.

204. *Athos.*] Mons altissimus Macedoniæ.

214. *Lunave non apto.*] Hoc est, nullo adspectu bono, horoscopum, sive signum adscendens respexerunt. Significat autem Sol, vitæ atque anni constitutionem, Luna autem corporis: qui si nulla bona radiatione cum adscendente signo comparantur, ipsum quoque natum infeliciorem, minusque durabilem futurum, astrologorum dogmata tradunt. Micyl.

215. *Nec satis utiliter.*] Mercurii sidus dicit admodum humano generi nocivum, si in Ariete fuerit, in Geminis, in Cancro, in Sagittario, ac in Capricorno.

217. *Martis sidera.*] Planetam pessimum, bella, interueciones, et litigia amat; et quando alicujus præest nativitati, malum significat, nisi adspectum cum Jove, aut Venere habuerit; vide Joh. Bapt. Pium, Annotat. poster. cap. 42. Zar.

Hæc est, in Fastis cui dat gravis Allia nomen,
  Quæque dies Ibin, publica damna tulit.
Qui simul, impura matris prolapsus ab alvo,
  Cinyphiam fœdo corpore pressit humum;
Sedit in adverso nocturnus culmine bubo,
  Funereoque graves edidit ore sonos.
Protinus Eumenides lavere palustribus ulvis,
  Qua cava de Stygiis fluxerat unda vadis;
Pectoraque unxerunt Erebeæ felle colubræ,
  Terque cruentatas increpuere manus:
Gutturaque imbuerunt infantia lacte canino;
  Hic primus pueri venit in ora cibus.
Perbibit inde suæ rabiem nutricis alumnus,
  Latrat et in toto verba canina foro.

221. *Hæc est.*] Dies erant atri omnes post Idus et Nonas, qui *postriduani* dicebantur. Iidem dies dicuntur *Allienses*, quoniam ob infelicem pugnam ad Alliam sint constituti. *Allia.* Flumen quindecim millibus passuum ab urbe distans, bustis Romanis nobilis, deleto prope ad internecionem exercitu; vide Flor. lib. i. cap. 13. Dom. Ea enim fuit veterum superstitio, ut eos dies, quibus cladem aliquam accepissent, pro nefastis ac inauspicatis haberent, illosque ἀποφράδας Græci vocabant. Salvagnius. *Fasti.* Libri dies festos continentes, redacti in volumen a Cn. Flavio, scriba Appii Cæci, tanta gratia apud plebem, quum eos edidisset, ut creatus sit ædilis curulis, præteritis duobus filiis consulum: nam, ante libros illos ab eo editos, cogebatur plebs rationem dierum quærere a principibus civitatis, auctore Plinio. Dom. *Hæc est in Fastis.* *Hæc est*, pro, Eadem dies est in Fastis, *Alliensis*, et quæ Ibin in lucem protulit; ut significet, postriduana atque atra die natum.

224. *Humum Cinyphiam.*] Cur ait poeta Ibin natum esse in Cinyphia terra, quæ est in Libya, an ob hircos Cinyphios, qui fœtidi sunt; ut ostendat eum male olere: nam qui male olent, dicuntur *hircosi*. An quoniam feræ monstruosæ ibi nascebantur, convenientibus diversis animalibus ad eundem fontem ob penuriam aquarum in Libya, et ibi diversissimis mistis. Unde proverbium illud susceptum est, Africam semper novi aliquid adferre.

225. *Bubo.*] Acherontis filius et Orphnes nymphæ, conversus in avem ex Ascalapho, ob accusationem Proserpinæ, avis funebris est.

226. *Graves.*] Querulos.

227. *Protinus Eumenides lavere palustribus undis.* Tò *unda* proximo versu sequitur, ut hic ferri vix possit. Scribe: "Eumenides lavere palustribus ulvis," et adi Notas Met. xiv. ver. 103. Heins.

233. *Ebibit inde suæ rabiem.*] *Perbibit* plerique veteres. Mihi tamen distichon hoc suspectum est, ut supra, ver. 24. jam sum testatus. H.

Membraque vinxerunt tinctis ferrugine pannis,
A male deserto quos rapuere rogo:
Et, ne non fultum nuda tellure jaceret,
Molle super silices imposuere caput.
Jamque recessuræ, viridi de stipite factas
Admorunt oculis usque sub ora faces.
Flebat, ut est infans fumis contactus amaris,
De tribus est quum sic una locuta soror:
Tempus in immensum lacrymas tibi vovimus istas,
Quæ semper causa sufficiente cadent.
Dixerat: at Clotho jussit promissa valere,
Nevit et infausta stamina pulla manu;
Et ne longa suæ præsagia diceret horæ:
Fata canet vates qui tua, dixit, erit.
Ille ego sum vates: ex me tua vulnera disces,
Dî modo dent vires in mea verba suas.
Carminibusque meis accedant pondera rerum,
Quæ rata per luctus experiere tuos.
Neve sine exemplis ævi moriare prioris;
Sint tua Trojanis non leviora malis.
Quantaque clavigeri Pæantius Herculis heres,
Tanta venenato vulnera crure geras.
Nec levius doleas, quam qui bibit ubera cervæ,
Armatique tulit vulnus, inermis opem:

235. *Ferrugine.*] Colore noctis. Sic poeta Met. xv. ver. 788: "Cærulus et vultum ferrugine Lucifer atra .... Sparsus erat." Sic Virgilius, vi. ver. 303. Charontis cymbam vocat ferrugineam.

239. *De viridi stipite*, etc.] Nam faces virides infelices sunt, propter fumum.

255. *Pæantius Herculis.*] Philoctetes, Pæantis filius, ex Melibœa urbe: compulsus ab Hercule jurare corporis sui reliquias non indicaturum, ab ipso pro munere sagittas felle hydræ intinctas accepit, sine quibus Troja capi non poterat. Zar.

257. *Nec levius doleas, quam qui bibit ubera cervæ.*] Telephus ἀπὸ τῆς θηλῆς καὶ τοῦ ἐλάφου, filius Herculis et Auges, filiæ Alei, inter virgulta inventus est, nutritus a cerva, donatus a pastoribus Corytho, Thessaliæ regi. Dum ex oraculo didicisset, matrem fugientem paternam iram, vel potius

Quique ab equo præceps in Aleïa decidit arva,
  Exitio facies cui sua pæne fuit.
Id, quod Amyntorides, videas, trepidumque minis-
  Prætentes baculo, luminis orbus, iter: [tro
Nec plus adspicias, quam quem sua filia rexit,
  Expertus scelus est cujus uterque parens:
Qualis erat, postquam est judex de lite jocosa
  Sumtus, Apollinea clarus in arte senex:
Qualis et ille fuit, quo præcipiente columba
  Est data Palladiæ prævia duxque rati:

emissam a patre ob stuprum cum Hercule, pervenisse in Mysiam, eo se contulit: ubi a Teuthrante rege et Auge ducta est uxor, et Telephus factus filius, successor regni, vulneratus est ab Achille. Dom.

258. *Armatique tulit vulnus, inermis opem.*] Ut sit sensus: Qui vulnus ab armato, id est, hoste Achille accepit, quod postea ejusdem illius reconciliati auxilio et ope curatum fuit.

259. *Aleïa.*] Græcis Ἀλήϊα πεδία sunt, et πεδίον Ἀλήϊον. Plinio, lib. v. cap. 27. *campi Aleii;* Homerus, Iliad. Z. de Bellerophonte: Ἤτοι ὁ καππεδίον τὸ Ἀλήϊον οἶος ἀλᾶτο Ὃν θυμὸν κατέδων, πάτον ἀνθρώπων ἀλεείνων. Quæ Cicero sic vertit: "Qui miser in campis mœrens errabat Aleis, Ipse suum cor edens, hominum vestigia vitans."

261. *Id, quod Amyntorides, videas, trepidumque ministro,* etc.] Phœnix filius Amyntoris fuit, filii Cercaphi, quem Ormenius genuit. Hic, quum haberet rem cum pellice patris, ut auctor est Hom. delatione novercæ accusatus aufugit, venitque ad Peleum, Achillis patrem.

263. *Nec plus,* etc.] Œdipus, incesta matre, et patris nece infamis, ob sceleris conscientiam cæcatus est, regebaturque cæcus ab Ismena filia.

265. *Qualis.*] Tiresias, sumtus judex a Junone et Jove, virine an mulieris libido major esset, sententiam tulit in Junonem, a qua oculis est privatus: sed Jupiter consolatus est ejus calamitatem honore; nam dedit divinandi artem: hic prædixit Thebarum interitum. Daphne, ejus filia, quæ postea dicta est Sibylla, vaticinandi arte edocta, multa scripsit responsa; unde Homer. poema ornavit. Dom. *Qualis erat postquam,* etc. Traditur et alia causa, cur visu privatus fuerit Tiresias: videlicet quod Palladem lavantem nudam adspexisset. Micyl.

267. *Qualis et ipse.*] Phineus, *Arcadiæ rex: qui ducta Cleopatra uxore, Orythum et Crambin ex ea filios habuit: superinducta noverca, suasu ejusdem liberos excæcavit: unde et ipsi a Diis iratis eruti oculi,* et dapibus non poterat vesci, quum Harpyæ admotæ mensis eas fœdarent. Zetus et Calais, Boreæ filii, insecuti sunt aves ad Plotas usque insulas, quæ postea dictæ sunt *Strophades:* cumque tanto supplicio liberarunt. Quo beneficio devinctus, canit apud Apollonium Rhodium, monens Argonautas, ut inter Cyaneas petras columbam sequantur, quam Dii mitterent.

268. *Palladiæ.*] Argo navis *Palla-*

Quique oculis caruit, per quos male viderat aurum,
  Inferias nato quos dedit orba parens:
Pastor ut Ætnæus, cui casus ante futuros
  Telemus Eurymedes vaticinatus erat:
Ut duo Phinîdæ, quibus idem lumen ademit,
  Qui dedit: ut Thamyræ, Demodocique caput.
Sic aliquis tua membra secet, Saturnus ut illas
  Subsecuit partes, unde creatus erat:
Nec tibi sit melior tumidis Neptunus in undis,
  Quam cui sunt subitæ frater et uxor aves;

dia dicta est, quoniam facta est cura Palladis.

269. *Quique oculis.*] Polymnestor, rex Thraciæ, veteri amicitia conjunctus cum Priamo, imminente bello Græcorum, Polydorum Priami filium a parentibus sibi demandatum hospitio suscepit. Sed ruentibus Trojanis, auri, quod Polydorus adtulerat, aviditate captus, contempto hospitii jure, Polydorum obtruncat. Quod quum Hecuba mater percepisset, dissimulans se ignorare, Polymnestorem rogavit, ut, accepto thesauro quem indicaret, filium redderet. Is secutus mulieris fidem, adductus in secretum, ab Hecuba et ancillis oculis privatur.

271. *Pastor ut Ætnæus.*] Polyphemus, inter Cyclopes Siculos Homeri carmine celeberrimus, oculum amisit, adusto stipite effossum ab Ulysse, quum, absumptis quinque sociis illius, vino obrutus jaceret.

272. *Telemus Eurymedes.*] *Eurymides* dictum Met. xiii. ver. 771. H. *Telemus.* Vates, qui prædixit Polyphemo aliquando futurum, ut ei oculus effoderetur ab Ulysse.

273. *Ut duo Phinîdæ.*] Crambis et Orythus, duo Phinei filii ex Cleopatra, vim intulerunt Idæ, quam Phineus superinduxerat, filiam Dardani, Scytharum regis: qua de causa excæcati a patre sunt.

274. *Thamyræ.*] Filius Philammonis et Argiopes Nymphæ, et a Lino musicam edoctus. Dicitur ab Hom. Thamyris aptus ad lyram et carmen, ut scribit Diod. Claruit musica, adeo ut ex Œchalia Peloponnesi veniens, Musas quibus occurrit, in certamen provocaverit, a quibus excæcatus est. *Demodocique.* Duo cantores sunt apud Hom. Phemius in convivio procorum, Demodocus in convivio Alcinoi: cujus musicam laudat Hom. Hunc cæcum valde Musa dilexit, dedit bonumque malumque; oculis quidem privavit, sed cantum dedit suavissimum.

277. *Nec tibi sit.*] Ceyx Alcyones conjux, quum ad oraculum navigasset, facto naufragio submersus est; cujus rei dolore Alcyone in avem conversa est sui nominis; vide Ovid. Met. lib. xi. ver. 741 sqq.

278. *Frater*, etc.] Dædalion, Ceycis frater, filiam habuit nomine Chionem, formosissimam, quam Apollo et Mercurius compressere, et nati sunt gemelli. Apollini Philamon, qui musica claruit, patrem imitatus. Autolycus autem Mercurio, fur nobilis. Suam præferre Chione formam Dianæ ausa est, a qua est sagittis interempta. Cujus in rogum pater Dædalion præ dolore se voluit immittere: at prohibitus, in Parnassum montem abiit;

Sollertique viro, laceræ quem fracta tenentem
Membra ratis Semeles est miserata soror.
Vel tua, ne pœnæ genus hoc cognoverit unus,
Viscera diversis scissa ferantur equis:
Vel quæ, qui redimi Romano turpe putavit,
A duce Puniceo pertulit, ipse feras.
Nec tibi subsidio sit præsens numen, ut illi,
Cui nihil Hercæi profuit ara Jovis:
Utque dedit saltus de summo Thessalus Ossa,
Tu quoque saxoso præcipitere jugo:
Aut velut Euryali, qui sceptrum cepit ab illo,
Sint artus avidis anguibus esca tui:
Vel tua maturet, sicut Minoïa fata,
Per caput infusæ fervidus humor aquæ:

unde quum se præcipitem dedisset, in volucrem ab Apolline est mutatus.

280. *Semeles est miserata soror.*] Cadmo Thebarum conditori ex Harmonia, Veneris et Martis filia, natæ sunt Agave, Autonoe, Ino, et Semele, et Polydorus. Athamanti, Æoli filio, Thebarum regi, Ino nupsit, quæ Clearchum genuit, et Melicertam, qui Junonis odio haud diu vixere.

283. *Vel quæ, qui redimi.*] Attilius Regulus, qui captus patribus suasit, ne captivorum permutatio fieret: maluitque ad paratum supplicium reverti, quam vivere inutilis civis patriæ. Quo supplicio sit adfectus, non satis constituunt Annales. Dom.

286. *Cui nihil Hercæi.*] Vide Virgil. Æneid. ii. 512 sqq.

287. *Utque dedit saltus.*] Plutarchus memorat divinatricem quandam, Aglaonicem nomine, Egemonis Thessali filiam, quum in Ossa monte Lunæ coitus observaret, in judicio convictam, a mulierculis, existimantibus ab ea Lunam cœlo deduci, gravissimis adfectam suppliciis, et ex Ossa præcipitatam. Des. *E summa Thessalus Ossa.* *De summo* quatuor scripti et primæ editiones; sic Metam. x. *Œtam* bis masculino genere dixit, ut in optimis est codicibus, et tum τὸ *mons* subintelligitur. Sic *Othrys* apud Græcos feminini generis est, masculini apud Romanos. Heins.

289. *Aut velut Euryali.*] Hæmon filium habuit Thessalum, Thessaliæ regem, qui ab Euryalo advena (nam erat Corcyræus) ex Ossa monte præcipitatus est. Ea cæde quum purgari non posset Euryalus, deditum Stygiæ paludi caput, furialibus anguibus dicitur absumptus.

291. *Minoia.*] Minos, ob injuriam acceptam a Dædalo, labyrintho fabricato, eum classe persecutus est ad Cocalum regem Siciliæ, ad quem confugerat, multisque præclaris operibus editis, illius gratiam sibi comparaverat: quum primum Minos classem adpulit in Siciliam, hostiliterque agrum popularetur, Cocalus ad colloquium provocavit, proposita spe dedendi Dædali. Tamdiu autem jussit eum in thermis clausum expectare, quoad vaporibus calidarum aquarum

Utque parum miti, sed non impune, Prometheus,
  Aerias volucres sanguine fixus alas:
Ac, velut Etracides magno ter ab Hercule quintus,
  Cæsus in immensum projiciare fretum:
Aut, ut Amyntiaden, turpi dilectus amore
  Oderit, et sævo vulneret ense puer:
Nec tibi fida magis misceri pocula possint,
  Quam qui cornigero de Jove natus erat.
More vel intereas capti suspensus Achæi,
  Qui miser aurifera teste pependit aqua:
Aut ut Achillidæ cognato nomine clarum
  Opprimat hostili tegula jacta manu:
Nec tua quam Pyrrhi, felicius ossa quiescant,

est exstinctus. Exanimum corpus reddidit sociis, adfirmans eum casu lapsum in aquas calidas mortuum esse.

293. *Utque parum mitis.*] Scribe *miti*, et refer ad *τὸ sanguine*. H. *Impune, Prometheus.* Prometheus, a Vulcano religatus in Caucaso monte, pascit aquilam: quoniam et olim Deos deceperit, et ignem subripuerit de cœlo.

295. *Aut velut Etracides.*] Etracides, quum Clebam puerum, Dori filium, in deliciis haberet, eique tribueret omnia, ab eo occisus est. Nam puer in militarem ardorem excitatus, necato domino, exercitum contraxit, lateque evagatus condidit Cumam Phryconitiden. Dom. *Magno ter ab Hercule quintus.* Qui quintus Hercules vocatus est, post ter magnum illum Herculem, cujus ingentia facta Theseus est æmulatus.

297. *Aut, ut Amyntiadem, turpi dilectus amore Oderit, et sævo vulneret ense puer.*] Philippus, Amyntæ filius, Macedonum rex, ab oraculo acceperat, ut quadrigas evitaret: nam erat ab eis in fatis ut occideretur. Non tamen fati periculum effugere potuit. Stuprato etenim Pausania ab Attalo Philippi sororio, apud regem sæpissime Pausanias conquestus est: ille autem hoc protrahendo parvi fecit; Pausanias inimici Attali injuriam in ipsum judicem vertit, quem gladio, in quo quadrigæ erant, interfecit. Zan.

300. *Quam qui cornigero de Jove natus erat.*] Intelligit Salvagn. Alexandrum, qui Hammonem Jovem generis sui auctorem credi volebat.

301. *Achæi.*] Intellige Andromachi filium, qui, quum universam cis Taurum Asiam imperio suo regeret, a Bolide et Cambylo proditus, et ad regem Antiochum adductus, crudelissimo supplicio interiit, ut Polyb. lib. viii. p. 528. describit.

303. *Aut ut Achilliden.*] Alii *Achillidæ*. Scribe *Achillidæ*, hoc est Pyrrhi Neoptolemi. H. *Aut ut Achilliden.* Pyrrhus materno genere ab Achille oriundus, paterno ab Hercule, quum adversus Antigonum Argos obsideret, anus e tecto spectans filium prodeuntem in aciem, et periculo commota, utraque manu tegulam demisit, qua exanimatus est Pyrrhus, ut Plutarchus et Cornelius scribunt. Dom.

305. *Nec tua quam Pyrrhi*, etc.] De Pyrrho Neoptolemo intelligendum,

Sparsa per Ambracias quæ jacuere vias:
Nataque ut Æacidæ, jaculis moriaris adactis:
Non licet hoc Cereri dissimulare nefas.
Utque nepos dicti nostro modo carmine regis
Cantharidum succos dante parente bibas:
Aut pia te cæso dicatur adultera, sicut,
Qua cecidit Leucon vindice, dicta pia est:
Inque pyram tecum carissima pignora mittas;
Quam finem vitæ Sardanapalus habet:
Utque Jovis Libyci templum violare parantes,
Acta Noto vultus condat arena tuos:
Utque necatorum Darei fraude secundi,
Sic tua subsidens devoret ora cinis:

Achillis filio, cujus ossa per fines Ambraciæ sparsa esse, narrat Hyginus, Fab. cxxiii. Micyl.

306. *Ambracias.*] Ambracia, teste Livio, urbs in Epiro est, aspero subjecta tumulo, quæ dudum Pyrrhi regia fuit.

307. *Nataque ut Æacidæ.*] Ut in veteri legimus commentario, Laodamia, sive Peribœa, Pyrrhi filia fuit: quæ, quum in templum Cereris Ambraciæ confugisset, inimicorum telis est interfecta. Intelligunt nonnulli Heracliam, Hieronis filiam ex Achillis genere, quæ in templo Cereris una cum duabus filiabus a populo Syracusano telis confossa cecidit.

308. *Non licet*, etc.] Vid. Justin. lib. xxviii. Zar.

309. *Utque nepos dicti*, etc.] Mihi Pyrrhus designari videtur, qui tertius est ab eo, cujus res in Italia gestæ memorantur. Hic enim magni Pyrrhi nepos fuit. Deinde Olympias, mater ejus, vel avia, ut nonnulli volunt, Tigridem puellam Leucadiam ejus concubinam, *φαρμάκοις ἀπέκτεινεν*, veneno sustulit, inquit Athenæus, lib. xiii. p. 579. edition. Casaub. ut suspicer, Pyrrhum una cum Tigride amica sublatum esse. Salv. *Cantharidum succos. Cantharis* vermis viridis; vide Plinium, lib. xxix. cap. 4. et Dioscorid. lib. vi. Val. Andr.

311. *Aut pia te cæso.*] Leucon, ut vetustissimus docet interpres, ex Persicis regibus Spartacum fratrem occidit, regno inde potiri sperans, quum et rem haberet cum ipsius fratris uxore. Non tamen votum valuit consequi; nam in palude Sabedana Leuconem mulier interfecit, quare pia est judicata. Dicunt nonnulli, Oxilochi regis Ponti uxorem hanc fuisse, non Spartaci.

315. *Utque Jovis Libyci.*] Cambyses, cujus meminerunt Herodotus et Trogus, quum studio evagandi Ægyptum peteret, misit qui populararentur templum locupletissimum Jovis Ammonis: qui omnes ira numinis arenarum cumulis obruti sunt. Dom.

316. *Acta Noto.*] Signate adpositeque *Noto* dixit, quia flante tantummodo Austro fit illa arenarum tempestas, ut auctor est Herodotus et Arrianus in tertio.

317. *Utque necatorum Darei.*] De

Aut, ut olivifera quondam Sicyone fugato,
  Sit frigus mortis causa famesque tuæ:
Aut, ut Atarnites, insutus pelle juvenci
  Turpiter ad dominum præda ferare tuum:
Inque tuo thalamo ritu jugulere Pheræi,
  Qui datus est leto conjugis ense suæ:
Quosque putas fidos, ut Larissæus Alebas,
  Vulnere non fidos experiare tuo:
Utque Milon, sub quo cruciata est Pisa tyranno,
  Vivus in occultas præcipiteris aquas:
Quæque in Adimantum Phliasia regna tenentem
  Ab Jove venerunt, te quoque tela petant:

Ocho aliqui dictum volunt, qui Dareus est dictus; cujus historiam Val. Max. lib. ix. cap. 2. de crudelitate; vol. ii. pag. 151. nostr. edit.

319. *Aut, ut olivifera.*] Neocles (vel Nicocles) Thuscus, ex Sicyone pulsus, omnibus vitæ præsidiis destitutus, fame et frigore mortem obiit.

321. *Atarnites.*] Et de Hermia intellige, Atarnæ rege, sive tyranno, ut recte Turneb. lib. ix. Advers. cap. 26. Addit e Diodoro, lib. xvi. Turnebus, Hermiam, quia a Persarum rege defecerat, circumventum ab Hectore duce regis Persarum, et in potestatem redactum. At quod Ovidius ait, *insutum pelle juvenci*, id de Hermia qui scriberet adhuc non vidi. Val. Andr.

323. *Inque tuo thalamo.*] In secundo Officiorum docet Cicero, Alexandrum Pheræum uxorem Theben admodum dilexisse: tamen ex epulis ad eam in cubiculum quum se conferebat, barbarum districto gladio jubebat anteire: deque stipatoribus suis præmittebat, qui muliebres arculas perscrutarentur. Non tamen eum fefellit opinio: nam ab uxore propter pellicatus suspicionem est interfectus.

325. *Quosque putas fidos.*] Thiodamantis filius fuit Alebas, qui Larissæ in Thessalia dominatum habuit. Satellites, civium timore, Alebas ad custodiam habebat, quos fidos sibi existimabat. At ab ipsis postea est interfectus; vide Alciatum, lib. vi. Parerg. cap. 21.

327. *Utque Milon.*] Milones plures fuisse constat: quorum quidam Pisam Elidos tenuit, qui Pisanos cruciatibus adficiebat. Tandem in Alpheum fluvium Pisam profluentem demersus a Pisanis est, si vetustissimo credimus interpreti. Sunt autem Pisæ juxta Alpheum sitæ, ubi ludi Olympii celebrabantur. Forte legend. hic: *Utque ille sub quo*, et intelligendum de Pantaleone. Pausan. pag. 240—242. Sanct.

329. *Quæque in Adimantum.*] Adimantus, Phyletiæ rex, Ponto conjunctæ, sive (ut alii volunt) Thessaliæ, Deorum contemptor, Diis sacrificare neglexit, se ipsis majorem prædicans; quare a Jove fulmine ictus interiit. Pausanias, in Corinthiacis, multa scitu dignissima de Phliasiis prodidit.

Aut ut Amastriacis quondam Lenæus ab oris
Nudus Achillea destituaris humo.
Utque vel Eurydamas ter circum busta Thrasylli
Est Larisseis raptus ab hoste rotis;
Vel qui quæ fuerat tutatus mœnia sæpe
Corpore lustravit non diuturna suo;
Utque novum passa genus Hippomeneïde pœnæ,
Tractus in Actæa fertur adulter humo;
Sic, ubi vita tuos invisa reliquerit artus,
Ultores rapiant turpe cadaver equi.
Viscera sic aliquis scopulus tua figat, ut olim
Fixa sub Euboico Graia fuere sinu.
Utque ferox periit et fulmine et æquore raptor;
Sic te mersuras adjuvet ignis aquas.
Mens quoque sic Furiis vecors agitetur, ut illi
Unum cui toto corpore vulnus erat;

331. *Aut ut Amastriacis.*] Amastris urbs est in peninsula, habens portus ex utraque parte, quam condidit Amastris Oxyartis filia, uxor Dionysii tyranni Heracliensis. Hic Dionysius Lenæus dictus est: qui expulsus a Mithridate, aufugit in Ἀχιλλέως δρόμον, in locum, quem Cursum Achillis adpellant; ubi a suis desertus, periit omni destitutus ope. Dom.

333. *Utque vel Eurydamas.*] Mos diu apud Thessalos fuit, ut interficientium corpora circa occisorum sepulchra traherentur, ut Eurydamantis exemplo constat, qui circa Thrasylli (quem interfecerat) tumulum a Simo, Thrasylli fratre, tractus est, auctore in xxii. Iliad. Porphyrio.

335. *Vel qui quæ fuerat tutatus mœnia sæpe Corpore lustrarit non diuturna duo.* Hector. Dom.

337. *Hippomeneïde.*] Hippomenes Athenarum princeps fuit, cujus filia in adulterio deprehensa est, a patre ob scelus juncta equo: qui conclusus quum alimentis careret, dentes in puellam conjecit. Adulter vero per regionem Atticam ab equis tractus est. Dom.

341. *Viscera sic aliquis*, etc.] Locrenses intelligit, qui post eversam Trojam, in patriam redeuntes, ob unius Ajacis noxam, in Eubœæ promontoriis misere naufragio perierunt; ut Virg. Æn. i. 39 sqq. refert; quod et Ajacis ipsius interitus disticho proximo indicat. Salv.

343. *Utque ferox periit.*] Imprecatur laniationem corporis, qualis Ajaci Oilei contigit naufrago: scribunt hoc factum fuisse, quoniam Cassandram in templo Palladis violaverat; quare indignata Pallas, ipsum circa Caphareum promontorium, fulmine interfecit, navesque dissipavit.

345. *Mens quoque.*] Imprecatur furorem mentis, qualis contigit Marsyæ, qui tibiæ inventa modulatione adeo

Utque Dryantidæ Rhodopeïa regna tenenti,
In gemino dispar cui pede cultus erat;
Ut fuit Œtæo quondam, generoque draconum,
Tisamenique patri, Callirhoesque viro.
Nec tibi contingat matrona pudicior illa,
Qua potuit Tydeus erubuisse nuru;
Quæque sui Venerem junxit cum fratre mariti,
Locris in ancillæ dissimulata necem.

est elatus, ut Phœbum in certamen provocaverit: in quo superatus pellem amisit, pependitque ex platano: Parrhasius et Micyllus hoc de Ajace Telamonio intelligi volunt: sed contra mentem Salvagnii, qui priorem expositionem probat.

346. *Unum qui toto corpore vulnus habet.*] *Cui erat* Juret. *qui erat* duo alii; recte: Met. vi. ver. 388. de Marsya, *Nec quicquam nisi vulnus erat;* lib. xv. ver. 529. de Hippolyto, *unumque erat omnia vulnus.*

347. *Utque Dryantiadæ Rhodopeïa regna tenente.*] Lycurgum, Dryantis filium, intellige, qui Liberum de regno fugavit: quem quum negaret Deum esse, vinumque bibisset, et ebrius matrem suam violare voluisset, tunc vites excidere est conatus: qui insania a Libero objecta, uxorem suam et filium interfecit: ipsumque Lycurgum Liber pantheris objecit in Rhodope, qui mons est Thraciæ, cujus imperium habuit. Hic traditur unum pedem sibi pro vitibus excidisse. Atque hunc *μονοκρήπιδα* Græci quoque vocarunt, utpote altero pede cæso, sive læso. Mic. *Dryantiadæ. Dryantidæ* meliores.

349. *Ut fuit.*] Hercules Œtæus dictus est ab Œta monte, in quo arsit: vel ob tunicam venenatam, missam a Dejanira, ut fabulæ ferunt, Ovid. Metam. ix. *Generoque draconum.* Athamas in furorem versus est, ira Junonis: gener fuit Cadmi et Harmoniæ: qui in Illyricum profecti, in dracones versi sunt: unde gener draconum dictus est.

350. *Tisamenique patri.*] De Oreste intellige, qui ex Hermione Tisamenum filium suscepit. Dom. *Callirhoesque viro.* Alcmæonem intelligit Ovid. Amphiarai et Eriphyles filium, qui occisa matre in furorem versus fingitur. Consulto oraculo, in terram omnium recentissimam ire jussus est. Nactus itaque terram, qua Achelous in mare erumpit, filiam Acheloi Callirhoen uxorem habuit: vide Apollodorum, lib. iii.

351. *Nec tibi contingat,* etc.] Ægialeam intelligit, Diomedis uxorem. Quum enim Venus a Diomede vulnus accepisset, ejus uxorem tantæ libidinis impotentem reddidit, ut se passim Hippolyto et Cometi prostitueret; quorum furiosis amoribus adeo exagitabatur, ut ipsi Diomedi, Troja redeunti, necem molita sit, quam ad Junonis aram noctu confugiens, vix evadere potuit. Salv.

354. *Locris.*] Hypermnestra Locrensis, quum fratris viri concubitum adpeteret, clam nocturno tempore id adsecuta, mane pudore adfecta, ut scelus suum dissimularet, ancillam cum famulo necavit, quasi in ejus concubitu eos deprehendisset.

Dî quoque tam faciant possis gaudere fideli
Conjuge, quam Talai Tyndareique gener;
Quæque parare suis letum patruelibus ausæ
Belides adsidua colla premuntur aqua!
Byblidos et Canaces, sicut facit, ardeat igne;
Nec, nisi per crimen, sit tibi nota soror.
Filia si fuerit, sit quod Pelopea Thyestæ,
Myrrha suo patri, Nyctimeneque suo.
Neu pia, neve magis capiti sit fida paterno,
Quam tibi vel, Pterela, vel tibi, Nise, fuit;

356. *Conjuge, quam Talai.*] Eriphyle, Amphiarai uxor, Talai filia, latentem maritum ne ad bellum Thebanum iret, in quo per auguria prospexerat se periturum, prodidit corrupta monili, quod olim Venus possederat: deprehensus maritus, et in bellum proficiscens Alcmæoni filio mandavit, ut quum mortuus esset, mactaret tumulo suo Eriphylem matrem; quod factum est, sed postea insanus factus. *Tyndareique gener.* Agamemnon gener Tyndari (nam Clytæmnestra Tyndari filia fuit, ut scribit Pausan.) interfectus est ab uxore dolis Ægisthi. Dom.

359. *Biblis.*] Mileti filia et Cyanes, Caunum fratrem impudice amavit; cujus concubitum quum adsequi non posset, lacrymis liquata est in fontem; Ovid. lib. ix. Met. 453. D. *Et Canaces.* Fuit Canace Æoli et Amphiteæ filia; cujus ardens amore Macareus frater eam violavit. Verum conceptus infans rem vulgavit. Æolus itaque filiæ ensem misit; quæ accepto ense flagitium a fratre illatum nece sua ulta est. Dessel.

361. *Filia si fuerit.*] Pelopeia cum patre Thyeste inscio concubuit: ex quo nefario concubitu Ægisthus natus est: quem a matre, ut scelus tegeret, in sylvis expositum, a capris nutritum fabulantur: unde et illi nomen. Hic ætate grandior Atreum et Agamemnonem occidit. Val. Andr.

362. *Nyctimene.*] Quum patris concubitum esset adsecuta, pudore in avem conversa sui nominis, luce non volat, solaque amat tenebras. Fabula est apud Ovidium in lib. ii. Met. ver. 591. Dom. *Myrrha suo patri.* Fuit Cinyræ, Cypriorum regis, filia Myrrha, quæ ut in x. Metamorphos. inscio cum patre concubuit; a quo cognita parum abfuit quin occideretur; nam stricto gladio eam petiit, quæ in pedes se dedit, in Arabiam usque: ubi in myrrham arborem dicitur mutata, et Adonem formosissimum edidisse, qui adeo a Venere creditur amatus. Zar.

364. *Pterela.*] Thebarum rex, a Creonte necatus est, proditione Polydices filiæ; Ovid. Metam. viii. *Tua, Nise, fuit.* Pandion, Athenarum rex, quatuor habuit filios, Nisum, Ægeum, Lycum, Pallantem. Nisus, Megarensium rex, obsessus a Minoe, proditione Scyllæ filiæ, quæ Minois amore capta est, crinem fatalem amisit, sicque interemptus est; Ovid. viii. Metamorph. Dom. *Quam tua vel Pterela.* De Taphiorum rege ejusque filia Comæthone locum intellige, quæ Cephali amore capta, patriam patremque hostibus prodidit. Val.

Infamemque locum sceleris quæ nomine fecit,
  Pressit et inductis membra paterna rotis.
Ut juvenes, pereas, quorum fastigia vultus
  Olim Piseæ sustinuere foris;
Ut qui perfusam miserorum sæpe procorum
  Ipse suo melius sanguine tinxit humum;
Proditor ut sævi periit auriga tyranni,
  Qui nova Myrtoæ nomina fecit aquæ;
Ut qui velocem frustra petiere puellam,
  Dum capta est pomis tardior illa tribus;
Ut qui tecta novi formam celantia monstri
  Intrarunt cæcæ non redeunda domus;
Ut quorum Æacides misit violentus in altos
  Corpora cum senis altera sena rogos;

365. *Infamem.*] Tullia Tarquinii filia carpentum per ora patris interfecti agi jussit, quo scelere loco nomen dedit. Nam vicus ille est dictus *Sceleratus.* Dom.

367. *Ut juvenes, pereas.*] His versibus Hippodamiæ proci tanguntur; quos Œnomaus, Elidis et Pisæ rex, curuli certamine victos interfici jussit. Quum enim Œnomaus ex oraculo percepisset, aliquando fore, ut a genero conficeretur, omnibus artibus procos ab Hippodamiæ filiæ conjugio deterrere est conatus. Equis enim fisus, quos Aquilone velociores habebat, certamen curule proposuit, ea lege, ut qui victor exstitisset, Hippodamiæ nuptias obtineret; qui vero victus, temeritatis pœnas capite lueret; eoque pacto non paucos vita privavit; quorum deinde capita Pisæ foribus adfigi imperabat, ut aliis fastidio terrorique forent: unde Naso eorum juvenum vultus, *fastigia* nuncupat. Salv.

369. *Ut qui profusam.*] Œnomaum dicit: qui ut modo docuimus, tredecim procis interemptis, seipsum a Pelope victum interfecit.

371. *Proditor ut sævi.*] Myrtilus, quum ab Hippodamia promissum præmium posceret, a Pelope est in mare præcipitatus, cui et nomen dedit; nam *Myrtoum* dicitur pelagus, estque inter Ionium et Ægeum. Z.

373. *Ut qui velocem,* etc.] Atalanta *Schœnei filia.*

375. *Ut qui tecta.*] Androgeo, Minois filio, Athenis interfecto, numinis ira sterilitas agrum Atticum invasit; qua liberari posse Athenienses didicerunt ex oraculo, si Minoen placarent; quod, ut fieret, jactis sortibus, septem juvenes Athenienses singulis annis Minotauro mittebant, quem labyrinthi ambagibus clausum habebat Minos. Theseus voluit et ipse tanto se periculo exponere, quia inter cives rumor erat, ipsum malorum causa a periculis abesse: qui Ariadnæ auxilio victor domum rediit.

376. *Cæca domus.*] Labyrinthus. Z.

377. *Ut quorum.*] Achilles in rogum Patrocli ardentem, duodecim

Ut quos, obscuri lusos ambagibus oris,
  Legimus infandæ Sphinga dedisse neci;
Ut qui Bistoniæ templo cecidere Minervæ,
  Propter quod facies nunc quoque tecta Deæ est;
Ut qui Threicii quondam præsepia regis
  Fecerunt dapibus sanguinolenta suis;
Therodamanteos ut qui sensere leones,
  Quique Thoonteæ Taurica sacra Deæ;
Ut quos Scylla vorax, Scyllæque adversa Charyb-
  Dulichiæ pavidos eripuere rati; [dis,
Ut quos dimisit vastam Polyphemus in alvum;
  Ut Læstrygonias qui subiere domos;
Ut quos dux Pœnus mersit putealibus undis,
  Et jacto canas pulvere fecit aquas;

Trojanos fortissimos jugulatos conjecit, ut Homerus scribit; quatuor equos præterea, et duos canes, uncto prius cadavere pingui ovium et boum, qui mactati sunt. Dom.

379. *Victos ambagibus oris.*] *Lusos* eleganter Polit. lib. nisi *vinctos* mavis, ut ad Sphingos nomen adludat.

381. *Ut qui Bistoniæ.*] Bistones populi sunt Thraciæ; unde Palladis simulacrum ad Lacedæmonios translatum est, apud quos impia lex, quam ξενηλασίαν adpellarunt, est promulgata, ne alicui hospiti Spartæ commorari liceret. Spreta autem lege, Lemnii Spartam venere; quos in templo Palladis Spartani occidere: quo facinore pariter et impietate Deæ imago torva adparere creditur, ut vetus scribit interpres. Zar. *Bistoniæ.* Fortasse Naso Minervam *Bistoniam* adpellat, quod illa præesset militiæ, cujus peritia Thraces maxime gloriantur: unde et Στρατεία est dicta, et Ἀρεία, sive Martia. Salvag.

383. *Ut qui.*] Diomedes Tyndam urbem Thraciæ tenuit, ut scribit Plinius, ubi equos feros catenis devinctos æneis, corporibus humanis alebat: eos Hercules sustulit, jussu Eurysthei: Eurystheus sacravit Junoni: eorum genus propagatum est usque ad Alexandrum Magnum, si Diodoro credimus. Dom.

385. *Therodamanteos.*] Therodamas, rex Scythiæ, sicut vetus docet interpres, timens ne per insidias occideretur, leones hominum sanguine alebat, quo magis sævirent: ut si casus postularet, ad crudelitatem paratos haberet. Hujus in primo de Ponto Ovid. Ep. ii. 121. meminit: "Non tibi Therodamas, crudusque vocabitur Atreus, Quique suis." Z.

390. *Ut Læstrygonias.*] Antiphates Læstrygonus rex fuit, qui et unum ex Ulyssis sociis comedit, ac naves virosque mersit, præter unam, quæ Ulyssem vehebat; ut in Met. xiv. 240. ab Ovid. docemur.

391. *Ut quos dux Pœnus.*] Appianus Alexandrinus, in eo, qui *Libycus* inscribitur, libro, ostendit Carthaginen-

Sex bis ut Icaridos famulæ periere procique,
  Inque caput domini qui dabat arma procis;
Ut jacet Aonio luctator ab hospite fusus,
  Qui, mirum, victor, quum cecidisset, erat;
Ut quos Antæi fortes pressere lacerti;
  Quosque feræ morti Lemnia turba dedit;
Ut qui post longum sacri monstrator iniqui
  Elicuit pluvias victima cæsus aquas;
Frater ut Antæi, quo sanguine debuit, aras
  Tinxit, et exemplis occidit ipse suis;
Ut qui terribiles pro gramen habentibus herbis
  Impius humano viscere pavit equos;
Ut duo diversis sub eodem vindice cæsi
  Temporibus Nessus, Dexamenique gener;

ses quandoque Acerranorum senatum per inducias fidentem puteis immersisse, atque saxis obruisse. Addit vetus interpres, Amilcarem tunc Pœnorum ducem fuisse, de hac puto poetam loqui crudelitate, licet alii aliter intelligant.

393. *Sex bis ut Icaridos famulæ periere;* Odyss. x: "Tum substrata procis famularia scorta necantur. Informi tremulum fune pependit onus." Μὴ καθαρῷ θανάτῳ; Homer. d. l. ver. 462.

394. *Inque caput domini qui dabat arma procis.*] Hæc omnia reperies in Odyss. x.

395. *Aonio ab hospite.*] Ab Hercule. *Luctator*, etc. Antæus.

297. *Ut quos Antæi.*] Multos externos certamine ab Antæo occisos fuisse, auctor est Diodorus.

398. *Lemnia turba dedit*, etc.] Lemnienses mulieres, quum Veneris sacra essent aversatæ, irata Dea eis tetrum immisit odorem. Quumque Lemnii viri in Thraces bellum agerent, tandem victores magnam pellicum turbam secum duxere; quam quum uxores ferre non possent injuriam, unanimes decreverunt viros occidere: quos, ut statuerant, ad unum interemere, pariter et Thraces mulieres filiosque, metuentes, ne paternam ulciscerentur injuriam: non tamen tantæ immanitatis fuit Hipsipyle, quæ sola patri Thoanti pepercit, eumque servavit. Zar.

399. *Ut qui post.*] Prasillus, ut alii cod. habent, Thrasius, vel Thrasyllus, Busiridem docuit immolare hospites, quum adfirmasset nece humana pluvias impetrari posse a Jove. Primus occisus est, eandemque servavit crudelitatem Busiris in adventum usque Herculis, a quo domitus fuit.

401. *Frater ut Antæi.*] Pygmalion, frater Antæi, hospites suos occidebat ante aras.

403. *Ut qui terribiles.*] Diomedem dicit, qui equos humanis pascebat corporibus; hunc Hercules suis equis tradidit edendum. Zar.

405. *Ut duo.*] Nessus centaurus, quum ad Evenum fluvium Dejaniram

Ut pronepos, Saturne, tuus, quem reddere vitam
  Urbe Coronides vidit ab ipse sua;
Ut Sinis, et Sciron, et cum Polypemone natus,
  Quique homo parte sui, parte juvencus erat; 410
Quique trabes pressas ab humo mittebat in auras,
  Æquoris adspiciens hujus et hujus aquas;
Quæque Ceres vidit læto pereuntia vultu
  Corpora Thesea Cercyonea manu.

violare vellet, uxorem Herculis, sagitta ab Hercule interemptus est.

406. *Dexamenique gener.*] Per quem Eurytionem centaurum intelligo: Ixionis ex nube filium, Nessi fratrem, qui et ipse occisus fertur vindice Hercule.

407. *Ut pronepos, Saturne, tuus.*] De Peripheta intellige, quem a clava, quam gestare solebat, *Corynetam* dixere. Hic a Theseo circa Epidaurum occisus est, quo loco Æsculapius colebatur: unde ab *urbe sua* cædem illius prospexisse ipsum dicit poeta. Est enim *reddere vitam*, mori; non, ut quidam accepisse videntur, revivisscere. Fuit autem Coryneta pronepos Saturni, hoc pacto: Saturni filia Juno fuit; Junonis Vulcanus; hujus Peripheta; quod et Pausanias testatur in principio Corinthiorum.

408. *Coronides.*] Æsculapius, Coronidis ex Apolline filius. Zar.

409. *Ut Scinis.*] *Sinis* tam hic, quam Met. vii. ver. 440. et Epistola Phylydis, ver. 70; Σίνις est apud Græcos. H. *Sinis.* Qui (ut scribit Diodorus) adligata corpora curvatis arboribus in altum emittebat, unde curvabantur. D. *Et cum Polypemone.* Procrustes Polypemonis filius in eo loco terræ Atticæ, quæ dicitur *Curdalus*, viatores inusitato supplicio sustollebat. In lectica namque eos ponebat: quod si longiores erant, parte supereminente amputabantur: si vero breviores, pedibus distendebantur. Zer.

410. *Quique homo.*] De Minotauro intelligit, quem Theseus interfecit.

411. *Quique trabes pressas*, etc.] Pityocampten intelligit poeta, qui ab eo nomen habuit, quod hospites a se certamine victos, diversis pinibus in terram curvatis adligabat, atque ita ligatos, iisdem arboribus sursum iterum ac pariter emissis, lacerabat. Hic Isthmi angustias obsidebat, quare hic a poeta dicitur, hujus et illius æquoris aquas, hoc est, Ionium et Ægeum mare adspexisse. Cæterum eundem hunc alii faciunt cum eo quem Sinim supra vocari diximus. Ovidius autem, diversos, Sinin et hunc, de quo hic dicitur, Pityocampten facere videtur: quum supra Sinin, suo ac proprio nomine, hic autem, eum qui arbores in terram curvatas, rursum in auras emisit, subpresso nomine posuerit.

413. *Quæque Ceres vidit.*] Cercyonem Arcadem in palæstra Theseus juxta Eleusiniam Cererem superavit, ut Plutarchus scribit, et ab Ovidio in Met. lib. vii. 439. tangitur: "Cercyonis lethum vidit Cerealis Eleusis." *Quæque Ceres vidit læto pereuntia vultu.* Propter sublata latrocinia scilicet, quibus ille viam atque aditum ad Eleusinem, ubi Ceres præcipue colebatur, infestarat.

Hæc tibi, quem meritis precibus mea devovet ira,
  Eveniant, aut his non leviora malis:
Qualis Achæmenides Sicula desertus in Ætna,
  Troïca quum vidit vela venire, fuit:
Qualis erat nec non fortuna binominis Iri,
  Quique tenent pontem, quæ tibi pejor erit.
Filius et Cereris frustra tibi semper ametur,
  Destituatque tuas usque petitus opes.
Utque per alternos unda labente recursus
  Subtrahitur presso mollis arena pedi;
Sic tua nescio quo semper fortuna liquescat,
  Lapsaque per medias effluat usque manus.
Utque pater solitæ varias mutare figuras,
  Plenus inexstincta deficiare fame.
Nec dapis humanæ venient fastidia; quaque
  Parte potes, Tydeus temporis hujus eris.

419. *Qualis erat.*] Irus Ithacensis mendicus, celebris carmine Homeri. Hic in mendicitatis objurgationem semper objicitur. *Binominis* dicitur, quoniam Arneus olim est adpellatus a matre: sed dictus Irus ab aliis, a loquacitate mendicandi.

420. *Quique tenent pontem.*] Vide Mart. lib. x. Ep. v. Juv. Sat. v. de *egenis* in pontibus considere solitis.

421. *Filius et Cereris.*] Hunc omnes locum meo quidem judicio, falso interpretantur, quum de Triptolemo, aut Asterio intelligunt. Plutum enim intelligit, cujus in Theogonia Hesiodus hanc fabulam refert. Cum Jasio, in templo, quod fuit in Tripoli Cretæ civitate, Ceres concubuit: ex quibus Plutus natus est, qui *opulentia* interpretatur. Dives, quicunque hunc adibat, efficiebatur. Ideo nunc poeta imprecatur mendicam in inimicum vitam: et quod si forte Plutum adiret, cupit ut ab eo spernatur, cui et odio sit. Zar.

427. *Utque pater.*] Erisichthon, succisa quercu, Dryadum precibus a Cerere irata tanta fame torquebatur, ut coactus sit vendere filiam, Dryopida: vel ut alii volunt *Mestram*. Vendita modo pro virgine, modo pro aliis animantibus, patri alimenta diu subministravit: sed tandem coactus est miser morsu proprios artus lacerare.

429. *Nec dapis humanæ.*] Tydeus Œnei regis filius, vel, ut alii, Martis et Altheæ, in bello Thebano a Menalippo lethali vulnere percussus est: moribundus Tydeus, Menalippi caput ad se deferri jussit: quod Capaneus e vestigio in ipsius Tydei conspectum portavit: quo viso lætatus Tydeus, cerebrum dentibus corrosit, ut Statius in octavo Thebaidos scribit. Zar.

Atque aliquid facias, a vespere rursus ad ortus
Cur exsternati Solis agantur equi.
Fœda Lycaoniæ repetes convivia mensæ,
Tentabisque cibi fallere fraude Jovem:
Teque aliquis posito tentet vim numinis opto; 435
Tantalides tu sis, Tereïdesque puer.
Et tua sic latos spargantur membra per agros,
Tanquam quæ patrias detinuere vias.
Ære Perilleo veros imitere juvencos,
Ad formam tauri conveniente sono: 440
Utve ferox Phalaris, lingua prius ense resecta,
More bovis, Paphio clausus in ære gemas.
Dumque redire voles ævi melioris in annos,
Ut vetus Admeti decipiare socer.
Atque eques in medii mergare voragine cœni, 445
Dummodo sint fati nomina nulla tui.
Atque utinam pereas, veluti de dentibus orti
Sidonia jactis Graia per arva manu.
Et quæ Penthîdes fecit, fraterque Medusæ,
Eveniant capiti vota sinistra tuo. 450
Et quibus exiguo volucris devota libello est,
Corpora projecta quæ sua purgat aqua.

431. *Aut aliquid.*] Adludit ad fabulam Thyestæ et Atrei, a quorum mensa Sol dicitur avertisse currum; vide Hygin. Fab. 68. et Tragœd. Senecæ Thyest.

436. *Tantalides.*] Pelops, filius Tantali, numinibus hospitio susceptis, a patre adpositus est, experiente an Dii essent. Reliqui abstinuerunt: Una Ceres humerum absumpsit, quem postea reddidit eburneum divinitas. *Tu Tereusque puer.* Ityn filium Terei designat, patri adpositum.

445. *Atque eques.*] Dehiscente terra in urbe, aruspices responderunt, Postulionem manium Deum poscere virum fortissimum: qui nisi daretur, interitum urbi imminere. Curtius inventus est, qui armatus eum in locum se dejecit. Nomen datum est, ut *Curtius lacus* adpellaretur; vide Val. Maxim. lib. v. cap. 5. Dom.

451. *Et quibus exiguo volucris.*] Intellige eas imprecationes, quibus Apollonium Rhodium a Callimacho, sub Ibidis nomine devotum esse diximus initio harum observationum. Ovidius enim planius describere non

Vulnera totque feras, quot dicitur ille tulisse,
  Cujus ab inferiis culter abesse solet.
Adtonitusque seces, ut quos Cybeleïa mater
  Incitat ad Phrygios vilia membra modos.
Deque viro fias nec femina nec vir, ut Attys,
  Et quatias molli tympana rauca manu.
Inque pecus subito magnæ vertare parentis,
  Victor ut est celeri victaque versa pede:
Solaque Limone pœnam ne senserit illam,
  Et tua dente fero viscera carpat equus.
Aut, ut Cassandreus, domino non mitior illo,
  Saucius ingesta contumuleris humo.
Aut, ut Abantiades, aut ut Cycneïus heros,
  Clausus in æquoreas præcipiteris aquas.

potuit Ibidis naturam, quam ventrem rostro purgare solitam prodiderunt, Plin. lib. viii. cap. 32; Ælian. lib. vi. cap. 7. de Hist. Animal. Salvag.

453. *Vulnera totque feras.*] De Menœtio nonnulli intelligunt: quod falsum est; nam loquitur de Osiride qui in 24 partes discerptus fuit a Typhone fratre: huic mortuo, sacra instituta fuerunt ab uxore, in quibus piaculum est, gladium esse. D.

455. *Adtonitusque seces.*] Mos erat, ut Cybeles sacerdotes virilia amputarent, ejus rei causam hanc tradit Lactantius: Deûm, inquit, mater amavit formosum adolescentem, et eundem cum pellice deprehensum, exsectis virilibus, semivirum fecit: et nunc a Gallis sacerdotibus sacra ejus celebrantur.—*Cybeleia mater.* Cybele a monte Phrygiæ nomen habet, in quo colebatur: alii ἀπὸ κυβιστᾶν τὴν κεφαλήν, id est, a capitis rotatione, quod proprium est sacerdotum.

459. *Inque pecus.*] Atalanta superata ab Hippomene cursu, versa est in leænam, marito in leonem converso, quum in Cybelis templo amoris impatiens Hippomenes cum puella rem habuisset. Dom.

461. *Solaque Limone.*] Limone, Hippomenis ex Atalanta, filia, a patre in adulterio deprehensa, equis discerpenda est tradita. Zar.

463. *Aut, ut Cassandreus.*] Vid. Pont. l. ii. El. 9.

465. *Aut ut Abantiades.*] Perseum intelligit; nam ex Lynceo et Hypermnestra Abas, ex Abante Præteus et Acrisius, ex Acrisio Danae, e Danae Perseus oriundus est: qui arculæ inclusus, ab Acrisio in mare præceps datus est, postquam consulenti Deum περὶ παίδων γενέσεως ἀῤῥένων, ex oraculo responsum esset, nasciturum e filia filium, a quo interimeretur. Val. Andr.—*Lyrnesius heros. Cycneius* cum Sarraviano; multi *Ligneius* et *Leneius;* pro *Cæsus* etiam *Clausus* reponendum. Perseus enim et Tenes arcæ inclusi fuerunt, quum in mare præcipitabantur. Nos plura de hoc loco notis uberioribus in medium proferemus. H.

Victima vel Phœbo sacras macteris ad aras,
  Quam tulit a sævo Theudotus hoste necem.
Aut te devoveat certis Abdera diebus,
  Saxaque devotum grandine plura petant.
Aut Jovis infesti telo feriare trisulco,
  Ut satus Hipponoo, Dosithoesque pater;
Ut soror Autonoes, ut cui matertera Maia est;
  Ut temere optatos quï male rexit equos:
Ut ferus Æolides, ut sanguine cretus eodem,
  Quo genita est, liquidis quæ caret Arctos aquis:
Ut Macedo rapidis icta est cum conjuge flammis;
  Sic precor ætherei vindicis igne cadas.
Prædave sis illis, quibus est Latonia Delos
  Ante diem rapto non adeunda Thraso:

469. *Abdera.*] Urbs Thraciæ initio anni hominem devovet pro salute communi, obruitque lapidibus.

472. *Ut satus Hipponoo.*] Imprecatur hosti κεραννοπληγίαν. De Capaneo, Hipponoi filio, quem poetæ in oppugnatione Thebarum, fulmine percussum esse fingunt. Illud non perinde notum, ab ipso primum scalarum oppugnationem inventam; cujus rei testis est Vegetius, lib. iv. c. 21. S.—*Dosithoes.* Atrax, quum filiam Dosithoen a Jove compressam prodidisset, fulmine exstinctus est.

473. *Ut soror.*] Semele soror Autonoes, luce Jovis, quam decepta impetravit, exstincta est; vide Ovid. Metam. iii. Dom.—*Ut cui matertera Maia.* Non referendum hoc ad Semelen, cui Maia Atlantis filia matertera magna fuit (tunc enim legendum esset, *et cui mater Maia;*) neque ad Œnomaum, Martis et Steropes Atlantidis filium, cujus domus fulmine quoque arsit: sed potius ad Jasium, Jove et Electra Atlantide natum. Val. Andr.

475. *Ut ferus Æolides.*] Salmonei, Æoli filii, temeritatem in vi. Æn. Virgil. cecinit: *Vidi et crudeles dantem Salmonea pœnas*, etc. Hic solium sibi perforatum exstruxit, in quo vehebatur; unde crepitus ingens prodibat, et aquam per foramina emittebat, prædicans tonitrus et pluvias ut Deus edere: quem Jupiter fulminavit. Zar. —*Ut sanguine natus eodem.* Nescio quid de Ismeneo Lycaonis filio comminiscuntur; qui quum Deos flocci faceret, fulmine percussus interierit: Sanctius de ipso Lycaone interpretatur. Ego, hanc libri San-Victoriani lectionem sequor: ut *eodem sanguine nati:* quia Lycaonis liberos intelligo: eos enim partim in lupos conversos, partim fulmine percussos, auctor est Hecatæus Milesius, libro ii. Genealog. Natal. Comes, lib. ix. cap. 9. Mythолog. Salv.—*Sanguine natus. Cretus* tres scripti. H.

479. *Prædave sis illis.*] Imprecatur laniationem a canibus, qualis contigit Thraso puero in Delo; Thrasus autem puer Dianæ dilectus a canibus

Quique verecundæ speculantem labra Dianæ,
Quique Crotopiaden diripuere Linon.
Neve venenato levius feriaris ab angue,
Quam senis Œagri Calliopesque nurus;
Quam puer Hypsipyles; quam qui cava primus
Cuspide suspecti robora fixit equi. [acuta
Neve gradus adeas Elpenore cautius altos,
Vimque feras vini, quo tulit ille modo.
Tamque cadas domitus, quam quisquis ad arma vocantem
Juvit inhumanum Thiodamanta Dryops;
Quam ferus ipse suo periit mactatus in antro
Proditus inclusæ Cacus ab ore bovis;
Quam qui dona tulit Lernæo tincta veneno,
Euboicasque suo sanguine tinxit aquas.
Vel de præcipiti venias in Tartara saxo,
Ut qui Socraticum de nece legit opus;

discerptus est. Ego Thrasum eundem puto cum Thrasio, Anii sacerdotis filio, de quo Hyginus, cap. 247.

482. *Quique Crotopiaden diripuere.*] Duo Lini fuerunt, alter Apollinis et Psamathes, filiæ Crotopi, filius, a canibus est discerptus. *Crotopiades* dicitur, quod nepos sit Crotopi. Pausan. alter Amphimari, ejus qui fuit Neptuni et Uraniæ fil. qui ab Apolline sagittis confixus fuit, eo quod se illi arte musices comparasset.

483. *Neve.*] Eurydice, uxor Orphei, filii Œagri et Calliopes; vide Ovid. Metam. lib. x. vers. 10: serpentis icta mortua est.

485. *Quam puer.*] Opheltes, filius Lycurgi regis Nemecrum, qui postea Archemorus est dictus, dum parum diligenter ab Hypsipyle nutrice custodiretur, serpentis morsu exstinctus est. Qua orbitate Lycurgus iratus, dirum jus in Hypsipylem exercuisset, ni a Græcis fuisset prohibitus; at quum ab oraculo admoniti essent Græci, non prius Thebas posse pervenire, quam Archemori manes placassent, ludos funebres constituerunt, de quibus victores apii corona insigniebantur, et ludi postea celebres ex iv. agonibus Isthmii. Micyl.—*Quam qui.* Laocoon, immisso telo in equum Trojanum ligneum, serpentis morsu cecidit. Notum est carmen Virgilii. Dom.

493. *Quam qui dona.*] Lichas venenatam tunicam Herculi adtulit, a quo in mare Euboicum dejectus est; Hygin. cap. 36. Dom.

495. *Vel de præcipiti venias in Tartara.*] Cleombrotus Ambraciotes, Platonis lib. de Anim. immortalitate, qui Phædon inscribitur, perlecto, e turri in saxo præcipitem se dedit: Cicero autem in mare eum scribit se præcipitasse. Zar.

Ut qui Theseæ fallacia vela carinæ
  Vidit; ut Iliaca missus ab arce puer;
Ut teneri nutrix, eadem matertera, Bacchi;
  Ut cui causa necis serra reperta fuit;
Lydia se scopulis ut virgo misit ab altis,
  Dixerat invito quæ mala verba Deo.
Fœta tibi occurrat patrio popularis in arvo,
  Sitque Phayllææ causa leæna necis.
Quique Lycurgiden letavit, et arbore natum,
  Idmonaque audacem, te quoque rumpat aper.

497. *Ut qui Theseæ.*] Ægæus, Thesei pater, quum revertentis filii vela nigra ex arce prospexisset, mortuum putavit, doloreque sese præcipitavit ex alto: ab hoc mare Ægæum nonnulli dictum putant.

498. *Iliaca missus ab arce puer.*] "Heu! columen illud regiæ extremum decus, Tantum timendus ad necem extrahitur puer;" ex Eurip. Hecub.

499. *Nutrix.*] Ino, Semeles soror, quum Athamantis viri furorem fugeret, e scopulo se cum filio Palæmone dimisit in mare: hæc nutrivit Bacchum.

500. *Ut cui causa.*] Perdix, Dædali nepos ex sorore, quum serram et circinum ingenio suo adinvenisset, Dædali invidia dejectus ex turri, in avem sui nominis est conversus.

501. *Lydia.*] Mars Ilicen Ibyci Lydii filiam amavit, quæ tuta Dianæ auxilio, amores Martis contemnens, diris imprecationibus in furorem acta se demisit e scopulo. Dom.

503. *Patrio popularis in arvo.*] Hic Ovid. Ibidis patriam subindicat: nam initio hujus libelli, eum quasi Libycum esse ostendimus. Etenim leonibus, quos *Ibidis populares* Naso vocat, Libya scatet. Salv. *Fœta.* Paphagus, Ambraciæ rex, quum incidisset in leænam catulis stipatam, in hortis suis ab ea est dilaniatus.

504. *Sitque Phayllææ.*] Phayllus cursu celerrimus. v. Ælian.

505. *Quique Lycurgiden laceravit ab arbore natum.*] Scribe *letavit et arbore natum* cum Jureti libro, aliisque nonnullis; atque ita citat Eutyches Grammaticus. *Letandi* verbo usus Noster Metam. iii. et Virgilius in Culice, 324. Adonin autem intelligit. H. *Quique Lycurgiden.* Ego Ancæum, Lycurgi et Antinoes filium, itemque Adonidem et Idmonem (quos et inter Argonautas numerant) intelligo; vide Hyginum, cap. 247. de iis qui apri ictu conciderunt. *Et arbore natum.* Adonim intelligit, Cinyra Cypri rege et Myrrha jam arbore natum, quem juvenem Mars, in porci sylvestris speciem formamque mutatus, ut sibi primas in amore Veneris vindicaret, incaute contra se ruentem, percussit; vide Nostrum lib. x. Metamorph. Val. Andr.

506. *Idmonaque.*] Idmon, Apollinis et Pheretiæ filius: vel, ut alii volunt, Asteriæ. Et *audacem* poeta illum vocat, quia, quum sciret se in illa expeditione (erat enim vates) periturum: tamen una cum Argonautis Argo navim conscendit. Quumque aliquantum a sociis secessisset, ab apro

Isque vel exanimis faciat tibi vulnus, ut illi,
Ora super fixi quem cecidere suis.
Sive idem simili pinus quem morte peremit:
Phryx et venator sis Berecynthiades.
Si tua contigerit Minoas puppis arenas,
Te Corcyræum Cressia turba putet.
Lapsuramque domum subeas, ut sanguis Alevæ,
Stella Leoprepidæ quum fuit æqua viro:
Utque vel Evenus torrenti flumine mersus,
Nomina des rapidæ, vel Tiberinus, aquæ.

occisus est, ut Orpheus et Apollonius testantur.

507. *Isque vel.*] In agro Posidoniatarum in regione Andragathia: quæ, quum venando excelleret, captarumque ferarum capita et pedes Dianæ vovisset, capto ingenti apro, solum caput arbori adpendit, Dea contempta; mox quum eodem loco dormiret meridiano æstu, solutum apri caput, dormientis os oppressit.

509. *Atque idem.*] Atys et Nauclus pinei pomi casu dormientes in venatione obruti sunt.

511. *Minoas.*] Socii Minois regis interfecti in Sicilia injuriam ulciscentes, quicunque ex Sicilia in Cretam navigarunt, interficiebant.

513. *Lapsuram.*] Alcide, Alebæ Larissæi filia, cum viro Lycoride eadem domus ruina obruta est. Dom. *Ut sanguis Alevæ.* Videtur poeta historiam Simonidæ significare, cujus meminere Valer. Maxim. lib. i. cap. de Miraculis, et Cicero item, lib. ii. de Oratore, hujus verba sunt hæc: "Dicunt enim, quum cœnaret Cranone in Thessalia Simonides apud Scopam, fortunatum hominem et nobilem, cecinissetque id carmen quod in eum scripsisset, in quo multa in Castorem scripta et Pollucem fuissent, nimis illum sordide Simonidi dixisse, se dimidium ejus, ei quod pactus esset pro illo carmine daturum; reliquum a suis Tyndaridis, quos æque laudasset, peteret, si ei videretur. Paulo post ferunt esse nunciatum Simonidi, ut prodiret: juvenes stare ad januam duos quosdam, qui eum magnopere evocarent, surrexisse illum ipsum, prodisse, vidisse neminem. Hoc interim spatio conclave illud, ubi epularetur Scopas concidisse: ea ruina ipsum oppressum cum suis interiisse," etc. Fuit enim Scopas Alevæ sanguis, hoc est, ex illius progenie, Creontis, et Echecratiæ filius, ut interpres Theocriti tradit. Per *stellam* ergo Castorem et Pollucem, qui Geminorum sidus constituunt, intelligo: per *Lycoridem* autem virum, Simonidem. Mic.

514. *Stella Lycoridæ.*] Recte *Leoprepidæ* Scaliger Ausonianis Lectionibus, insistens vestigiis veterum exemplarium: Leoprepis filius Simonides; ita passim auctores. H.

515. *Utque.*] Evenus, quum Marpissam filiam pulcherrimam haberet, eam poscentes in uxorem, in certamen curule provocabat, eorum qui victi essent, capita foribus adfigebat, ut reliquos a contentione deterreret. Idas autem, qui Apharei filius ferebatur, quum esset Neptuni, acceptis a patre

Astacidæque modo decisa cadavere trunco,
Digna feris, homini sit caput esca tuum:
Quodque ferunt Brotean fecisse cupidine mortis,
Des tua succensæ membra cremanda pyræ:
Inclususque necem cavea patiaris, ut ille
Non profecturæ conditor historiæ.
Utque repertori nocuit pugnacis iambi,
Sic sit in exitium lingua proterva tuum:
Utque parum stabili qui carmine læsit Athenas,
Invisus pereas deficiente cibo:

equis velocissimis, Evenum superavit, Marpissam filiam abduxit uxorem. Evenus autem præ dolore se in Lycormam Ætoliæ fluvium demersit, cui dedit nomen. Nam ex illo est adpellatus *Evenus*.

516. *Nomina des rapidæ.*] Aurelius Victor in Origine gentis Romanæ sic illum adpellat: "Post eum regnavit Tiberius Silvius, Silvii filius, qui quum adversus finitimos bellum inferentes copias eduxisset, inter prælıantes depulsus in Albulam flumen, deperiit, mutandique nominis exstitit causa." De qua nominis varietate non mirandum; quum ipsi quoque fluvio diversa sint nomina. Fuit Tiberius octavus Albanorum rex ab Ænea, ut Ovidius, lib. ii. Fast. ver. 389. scribit. Salvagn.

519. *Quodque.*] Broteus, Vulcani et Minervæ filius, propter deformitatem oris contemptus, se in pyram ardentem conjecit. Alio nomine *Erichthonius* dicebatur; vide et Gell. Noct. Art. lib. xxii. c. 11. Dom.

521. *Inclususque necem cavea.*] Callisthenem designat, qui rerum Alexandri Magni scriptor, illius jussu cavea inclusus inedia periit. De Callisthenis nece differunt scriptores; vide quæ narrant Suidas; Justinus, xv. 3: Curtius, viii; Senec. Nat. Quæst. v. 23; Tullius, de Oratore, ii; Arrian. iv. Cæterum existimarunt quidam Callisthenis Historiam in Vaticana Bibliotheca Romæ, in regia Lutetiæ, in Medicea Florentide asservari. Sed hæc omnino spuria, falsa et supposititia est, fabulisque referta.

523. *Utque repertori.*] Archilochus quum Lycamben, iambico carmine invento, ad laqueum compulisset, ab illius domesticis necatus est. Alii in exsilium missum dicunt. Dom.

524. *Si sit in exitium lingua proterva.*] Valerius, lib. vi. cap. de Severitate, dicit, libros ejusdem poetæ Lacedæmonios e civitate sua exportari jussisse: quod eorum parum verecundam ac pudicam lectionem arbitrabantur. De morte Archilochi autem, et de Calonda percussore ejus tradit Suidas.

525. *Utque parum stabili*, etc.] Alciatus, Parerg. lib. v. cap. 18. et Turneb. Advers. lib. ix. cap. 25. *Athenin* legendum adserunt, et de Hipponacte intelligendum: "Videtur enim, *ait*, de Hipponacte intelligi, qui claudicante et parum stabili versu, id est, Scazonte in Bupalum et Athenin invectus est Athenienses: quo in carmine, ne Athenis quidem pepercerat," etc. Salvagn.

Utve lyræ vates fertur periisse severæ,
Causa sit exitii dextera læsa tui :
Utque Agamemnonio vulnus dedit anguis Orestæ,
Tu quoque de morsu virus habente cadas.
Sit tibi conjugii nox prima novissima vitæ ;
Eupolis hoc periit, et nova nupta, modo.
Utque cothurnatum cecidisse Lycophrona narrant,
Hæreat in fibris fixa sagitta tuis.
Aut lacer in silva manibus spargare tuorum,
Sparsus ut est Thebis angue creatus avo.
Perque feros montes tauro rapiente traharis,
Ut tracta est conjux imperiosa Lyci.
Quodque suæ passa est pellex invita sorori,
Excidat ante pedes lingua resecta tuos.
Conditor ut tardæ, Blæsus cognomine, Myrrhæ,
Orbis in innumeris inveniare locis.
Inque tuis opifex, vati quod fecit Achæo,
Noxia luminibus spicula condat apis.

527. *Utque lyræ vates.*] Alcæum, poetam lyricum intelligo, qui mordacissimis versibus Pittacum præcipue, Myrsilum, Megalagyrum, Cleanactidas, aliosque tyrannidem in patria exercentes, insectatus est, teste Strabone, lib. xiii. pag. 424. edit. Casaub. Horat. lib. IV. Od. ix. ver. 7. Per *læsam dextram*, fidem, quam Pittaco verisimiliter Alcæus obstrinxerat, violatam intelligo ; nam in fide adstringenda, dexteras jungere solebant. Salvag. *Utque lyræ vates.* De Stesichoro forte loquitur, de quo Horatius, lib iv. Od. ix. ver. 8. *Stesichorique graves camœnæ.* Credibile enim est poetam junxisse tres iambographos eosdemque maledicos : Archilochum, Hipponactem et Stesichorum. Sanct.

529. *Utque Agamemnonio vulnus.*] Orestes, ut jam omnibus constat, interfecta matre, furore correptus fuit ; inde liberatus, quum per sylvam iret, a serpente occisus est. Z.

531. *Sit tibi.*] Eupolis, veteris comœdiæ scriptor apud Græcos, ducta uxore Glyceria, prima nocte mortuus inventus est una cum puella.

534. *Lycophrona.*] Hic quum de antiquorum poetarum principatu certaret, sagitta ab adversario ictus occidit, ut hic ait Ovid.

535. *Aut lacer.*] Pentheus, a furente matre discerptus, nomen a luctu est sortitus. Dom.

536. *Avo angue.*] Cadmum dicit in anguem versum. Zar.

537. *Perque feros.*] Dyrce Lyci, Thebarum regis uxor : vide Hygin. fab. 7 et 8. D.

543. *Inque tuis opifex.*] Achæi plures fuerunt : quorum hic unus, de quo

Fixus et in duris carparis viscera saxis,
  Ut cui Pyrrha sui filia fratris erat.
Ut puer Harpagides referas exempla Thyestæ,
  Inque tui cæsus viscera patris eas.
Trunca geras sævo mutilatis partibus ense,
  Qualia Mimnermi membra fuisse ferunt.
Utve Syracosio præstricta fauce poetæ,
  Sic animæ laqueo sit via clausa tuæ.
Nudave derepta pateant tua viscera pelle,
  Ut Phrygium cujus nomina flumen habet.
Saxificæ videas infelix ora Medusæ,
  Cephenum multos quæ dedit una neci.
Potniadum morsus subeas, ut Glaucus, equarum;
  Inque maris salias, Glaucus ut alter, aquas.
Utque duobus idem dictis modo nomen habenti,
  Præfocent animæ Gnosia mella viam.

nunc agitur, in cujus per hortum ambulantis capite agmen apum insedit, quod quum expellere vellet, eorum aculeis acie oculorum dicitur privatus, ut tradit vetus interpres. Zar.

545. *Fixus et in duris.*] Prometheus, qui fratrem habuit Epimetheum, ex quo Pyrrha nata.

549. *Trunca.*] Mamertes, ut scripserunt quidam, Mycernus Sysaphonis Corinthii frater, quum fratris filium imperii cupiditate necasset, a Sysaphone membratim est laceratus. Dom.

551. *Utve Syracusio,* etc.] Syracusius poeta Empedocles est, philosophus et poeta; vide Horat. de Art. poet. "Deus immortalis haberi Dum cupit Empedocles," etc. V. Andr. *Syracusio. Syracosio* dixi libro v. ver. 277. Fastorum. Heins.

553. *Nudave,* etc.] Marsyas, victus Phœbo, pelle exutus, nomen fluvio dedit, de quo supra. Dom.

555. *Saxificæ videas.*] Perseus, liberata Andromeda, cum Phineo certavit; ut Ovidius in Metam. lib. v.

557. *Potniadum morsus.*] Glaucus e Potnia civitate, quum Veneris sacra sperneret, suis equabus a Dea furor immissus est: a quibus quum veheretur, morsibus est dilaceratus, ut Virg. in iii. Georg. docet, 267 sqq.

558. *Inque maris salsas.*] Glaucus is piscator ardenter Scyllam amavit, qui in Euboica Anodone herba quadam gustata, incredibili cupiditate se in mare projecit, et a Neptuno cæterisque Diis marinis Deus effectus est, auctore Ovid. in Met xiv.

559. *Utque duobus idem.*] Alius quidam Glaucus, Cretensis (nam plures Glauci fuerunt,) ob lasciviam in filiam venenato melle exstinctus est; vide Hyginum, Fab. 136.

Sollicitoque bibas, Anyti doctissimus olim
  Imperturbato quod bibit ore reus.
Nec tibi, si quid amas, felicius Hæmone cedat,
  Utque sua Macareus, sic potiare tua.
Vel videas, quod jam, quum flammæ cuncta tene-
  Hectoreus patria vidit ab arce puer. [rent,
Sanguine probra luas, ut avo genitore creatus,
  Per facinus soror est cui sua facta parens.
Ossibus inque tuis teli genus hæreat illud,
  Traditur Icarii quo cecidisse gener.
Utque loquax in equo est elisus guttur acerno,
  Sic tibi claudatur pollice vocis iter.
Aut ut Anaxarchus pila minuaris in alta,
  Ictaque pro solitis frugibus ossa sonent.

561. *Anyti doctissimus olim.*] Veteres plerique *veluti*, an *Meliti*? tam enim Meliti quam Anyti reus Socrates. Heins. Melitus penultimam longam habet.

563. *Hæmone.*] Hæmon, Creontis Thebanorum regis filius, Antigonem, Œdipi et Jocastæ filiam, sibi desponsam, tam impotenti amore deperiit, ut ad mortuæ tumulum sese interfecerit.

564. *Utque sua Macareus.*] Insigni dedecore notus est ob concubitum Canaces sororis: eandem turpitudinem Ibidi imprecatur. Dom.

567. *Sanguine probra luas.*] Myrrha, Cinyræ filia, innuitur.

569. *Ossibus inque tuis ... Icarii gener.*] Interemit Ulyssem patrem Telegonus.

571. *Utque loquax.*] Hunc locum explicat Politian. in Miscellaneis, cap. 75. Intelligitur autem Anticlus, qui cum cæteris Græcis equo Durateo inclusus, ad vocem Helenæ simulantis sermonem et verba uxoris illius, respondere voluit. Sed ab Ulysse eo usque illius fauces compressæ, donec cum voce una et vitam amitteret: auctore Tryphiodoro.

573. *Aut ut Anaxarchus.*] In Vita Anaxarchi, Laertius tradit, Anaxarchum hunc Abderitam fuisse, et Alexandrum secutum. Habuisse autem inimicum Nicocreontem, Cypriorum tyrannum. Proinde quum aliquando cum Alexandro cœnaret, isque de convivii adparatu Anaxarchum interrogaret, respondisse, omnia laute atque adfatim adparata esse, præterquam quod caput satrapæ (Nicocreontem innuens) non eodem adlatum esset. Hanc vocem postea Nicocreontem, mortuo Alexandro, ultum, Anaxarchum tempestate quadam Cypro adpulsum comprehendisse, mortarioque sive pila (ut hic dicitur) impositum, pistillis ferreis contundi jussisse: exsecta etiam lingua, ne conviciis, quibus etiam inter supplicia tyrannum incessebat, diutius molestus esset; vide et Valer. Max. lib. iii. cap. 3. Micyl.

Utque patrem Psamathes, condat te Phœbus in
Tartara; quod natæ fecerat ille suæ. [ima
Inque tuos ea pestis eat, quam dextra Chorœbi
Vicit, opem miseris Argolicisque tulit.
Utque nepos Æthræ, Veneris periturus ob iram,
Exsul ab adtonitis excutiaris equis.
Propter opes magnas ut perdidit hospes alumnum,
Perdat ob exiguas te tuus hospes opes.
Utve ferunt fratres sex cum Damasichthone cæsos,
Intereat tecum sic genus omne tuum.
Addidit ut fidicen miseris sua funera natis,
Sic tibi sint vitæ tædia justa tuæ.
Utve soror Pelopis, saxo dureris oborto,
Et læsus lingua Battus ab ipse sua.

575. *Utque patrem Psamathis.*] Scribe *Psamathes* ex Photio. H. *Utque patrem Psamathes.* Ita in Aldinis legitur; ut de Crotopo Psamathes patre, cujus crudelitate Linus infans expositus, et a canibus laceratus fuit, intelligatur. Et hanc lectionem etiam probabilem facit id quod statim sequitur de Chorœbo, de quo Pausanias in Atticis. Vel Crotopus, Argivorum rex, ubi rescivit filiam ab Apolline vitiatam, atque matrem jam esse, morti dedit. Indignatus Apollo Crotopum confecit telis. M.

577. *Inque tuos ea pestis eat.*] A Chorœbo monstrum filios matrum sinu educens, atque devorans interfectum; Statius, lib. i. Thebaidos, ubi hoc monstrum graphice depingit, dicens 596: "Sero memor thalami, mœstæ solatia morti, Phœbe, paras, monstrum infandis, Acheronte sub imo," etc. Ovidius autem illud monstrum *pestem* adpellat. S.

579. *Utque nepos Æthræ.*] Revera Hippolytum, ob iram Veneris, quæ ab eo contemnebatur, interemptum comperio apud Ovid. lib. v. Fastor. 309: "Hippolyte infelix, velles coluisse Dionem, Quum consternatis diripereris equis." Salv.

581. *Ut perdidit hospes.*] Id est, ut Polydorus a Polymnestore, Thraciæ rege, violato hospitii jure necatus est, cupiditate auri quod habebat. D.

583. *Utque ferunt.*] De numero filiorum Niobes diversæ apud auctores reperiuntur sententiæ: nam Homerus pueros puellasque senos fuisse scribit, bis septenos Euripides, quidam alii scriptores tres tantum volunt; Ovid. etiam in Met. vii. bis septem dicit, et marium ponit nomina: qui omnes sagitta a Phœbo occisi sunt, propter matris nimiam superbiam, Latonæque contemptum, quam sterilem prædicabat; e quibus unus erat Damasichton.

585. *Addidit.*] Amphion, conjux Niobes, mortuis filiis, sibi mortem conscivit, clarus arte musica. Dom.

587. *Soror Pelopis.*] Niobe Tantali ex Taygete filia, Amphionis Thebarum regis uxor fuit: quæ nimio mœ-

Aera si misso vacuum jaculabere disco,
  Quo puer Œbalides, ictus ab orbe cadas.
Si qua per alternos pulsabitur unda lacertos,
  Omnis Abydena sit tibi pejor aqua.
Comicus ut mediis periit, dum nabat, in undis,
  Et tua sic Stygius strangulet ora liquor:
Aut ubi ventosum superaris naufragus æquor,
  Contacta pereas, ut Palinurus, humo.
Utque cothurnatum vatem tutela Dianæ,
  Dilanient vigilum te quoque turba canum.
Aut tu Trinacrius salias super ora gigantis,
  Plurima qua flammas Sicanis Ætna vomit.
Diripiantque tuos insanis unguibus artus
  Strymoniæ matres, Orpheos esse ratæ.
Natus ut Althææ flammis absentibus arsit,
  Sic tuus ardescat stipitis igne rogus.
Ut nova Phasiaca comprensa est nupta corona,
  Utque pater nuptæ, cumque parente domus;
Ut cruor Herculeos abiit diffusus in artus;
  Corpora pestiferum sic tua virus edat.

rore ob natorum interitum in marmor dicitur versa, ut ab Ovid. in Metam. lib. vi. accepimus.

588. *Et læsus lingua Battus.*] In Metamorph. ii.

590. *Quo puer.*] Hyacinthus, a Phœbo dilectus, in ludo disci ab eo est extinctus per imprudentiam. Dom.

593. *Comicus ut mediis.*] Terentii comœdiarum scriptoris significat interitum, qui, quum ex Græcia rediens, navem conscendisset, naufragio periit, et cum eo fabulæ 108. ex Menandro conversæ, interierunt. Zar. —*Comicus ut mediis.* Egnatius Eupolim Comicum putat intelligi, quem bello Peloponnesiaco in Hellesponto periisse naufragio constat ex Suida. Eupolim vero inter priscæ commœdiæ principes numerat Flacc. lib. i. Sat. iv. ver. 1. Val. Andr.

597. *Utque.*] Euripides, quum apud Archelaum regem cœnasset, domumque reverteretur, a canibus a quodam æmulo immissis, est discerptus; Val. Maxim. lib. ix. cap. 12.

602. *Strymoniæ.*] Mulieres Thraciæ Orpheum laniarunt. D.

605. *Ut nova Phasiaca comprensa est nupta corona.*] Eurip. Medea: "Nec potuit unquam gravius ulcisci virum. Ornata namque Colchicis donis perit Creusa: totam flamma comprendit domum. Ipsum Creontem corripit flagrans lues, Caræ supremis gnatæ inhærentem osculis."

Qua sua Penthîden proles est ulta Lycurgum,
  Hæc maneat teli te quoque plaga novi.
Utque Milon, robur diducere fissile tentes,
  Nec possis captas inde referre manus.
Muneribusque tuis lædaris, ut Icarus, in quem
  Intulit armatas ebria turba manus.
Quodque dolore necis patriæ pia filia fecit,
  Vincula per laquei fac tibi guttur eant.
Obstructoque famem patiaris limine tecti,
  Ut legem pœnæ cui dedit ipsa parens.
Illius exemplo violes simulacra Dianæ,
  Aulidis a portu qui leve vertit iter.
Naupliadæve modo ficto pro crimine pœnas
  Morte luas; nec te non meruisse juvet.

609. *Pentheiden.*] *Penthîden* veteres. H.—*Qua sua.* Butes, Lycurgi filius, ob patrem sublatum a Baccho, ejus numinis sacerdotes omnes necavit variis et acerbissimis supplicîis.

613. *Muneribus.*] Icarus, Erigones pater, quum Atticæ colonos vini usum docuisset, illi inusitato liquore ebrii, venenum datum sibi arbitrantes, eum necarunt uno impetu: cujus morte audita, Erigone filia laqueo vitam finivit; Hyginus, Fab. 130.

617. *Obstructo.*] Tantum erat laudis bellicæ studium apud Lacedæmonios, ut matres filiis in aciem prodeuntibus scuta porrigentes, hæc dicerent: "Cum his, aut victores, aut mortui." Eurysthenes, quum male pugnasset, domum sempiterno dedecore adfecit, qua de causa mater indignata, eum clausum inedia perire coegit.—Dom.—*Limine tecti.* Alii autem, *limine templi* putant legendum, quoniam de Pausania intelligatur, qui in templo Minervæ *χαλκιοίκου* obsessus fuit. Scribit autem Æmilius Probus, matrem Pausaniæ, Alcitheam nomine, quum ille in templum confugisset, ephorique fores ædiculæ, ubi ille abditus erat, obstruerent, ac tectum demolirentur, ut inopia rerum ac fame laborantem hoc pacto conficerent; postquam de scelere ac proditione filii comperisset, primum lapidem ad obserandum illam adportasse, id quod hic Ovid. innuit, quum dicit legem pœnæ ipsam parentem dedisse. Verum in schedis San-Victorianis legitur, *ipse parens:* Et tum Agesilaum Pausaniæ patrem ædis fores occuluisse putandum est.—Hoc vero, cum Pausanias tutoris munere functus esset, prohibet historiæ fides. Ed.

619. *Illius exemplo.*] Intelligenda illa sunt de Ajace Oilei, qui, ob violatam Cassandram in templo Palladis Deæ, naufragium fecit, ut ante est dictum ex sententia et Homer. et Strab.

621. *Naupliadæ.*] Palamedes, crimine ficto ab Ulysse, quod aurum a Priamo in Græcorum proditionem accepisset, lapidibus obrutus est. M.

Æthalion vita spoliavit ut Isidis hospes,
Quem memor a sacris nunc quoque pellit Ion;
Utque Melanthea tenebris a cæde latentem
Prodidit officio luminis orba parens;
Sic tua conjectis fodiantur pectora telis;
Sic, precor, auxiliis impediare tuis.
Qualis equos pacto, quos fortis agebat Achilles,
Acta Phrygi timido est; nox tibi talis eat.
Nec tu, quam Rhesus, somno meliore fruaris,
Quam comites Rhesi tum necis, ante viæ:
Ut quos cum Rutulo morti Rhamnete dederunt
Impiger Hyrtacides, Hyrtacidæque comes;
Cliniadæve modo, circumdatus ignibus atris,
Membra feras Stygiæ semicremata rati.
Utve Remo muros auso transire recentes,
Noxia sint capiti rustica tela tuo.

625. *Utque Melanthea.*] Melantheus, homicidio obnoxius, quum lateret, a matre rei inscia quærentibus est manifestatus, utque melius cognoscerent, lumen adtulit; qui captus capite multatus est. Ita vetus interpres, quod mihi nuspiam lectum.

627. *Sic tua conjectis.*] Ad hujus loci interpretationem tres inferiores versus pertinent: et Dolona Phrygium taxat. Hic ad Græcorum castra exploranda missus est a Trojanis, quibus Achillis equos abducere pactus est: sed ab Ulysse et Diomede per noctem captus occiditur; prius tamen Trojanorum detectis consiliis. Dom.

629. *Qualis equos pacto.*] Dolon, Eumedis filius, in castra Græcorum a Trojanis explorator missus, equis Achillis pro mercede sibi promissis, a Diomede et Ulysse interceptus, et contra fidem datam interfectus est, postquam ipsos edocuisset, quid rerum Trojani molirentur. Ex Homero Iliad. X; Dicty Cretensi, lib. ii. Cujus facti meminit Ovidius, Trist. lib. iii. El. 4. et Art. Am. lib ii; item Met. lib. xiii.; quo loco Dolonem *imbellem* vocat, ut hic *timidum*, ex Homeri nimirum verbis ....Ὁ δ' ἄρ ἔστη, τάρβησέν τε Βαμβαίνων· ἄραβος δὲ διὰ στόμα γίγνετ' ὀδόντων, Χλωρὸς ὑπαὶ δείους.

633. *Quam quos cum Rutulo.*] Nisus, Hyrtaci filius, et comes Euryalus in Rutulorum castra venere, ubi Rhamnetem, multosque alios morti dedere. Tandem et ipsi agniti, occisi sunt, ut in IX. Æneid. Virgil. est auctor. Zar.

635. *Cliniadæque modo,* etc.] Cliniades Alcibiades intelligitur, cujus pater Clinias dictus fuit. Periit autem in oppido quodam Phrygiæ, circumdata domo, in qua erat, ignibus, quum ii qui a Pharnabazo ad interficiendum illum missi erant, ferro aggredi non auderent; auctores Plut. et Æmilius. Micyl.

638. *Rustica tela.*] Rutrum, vel rastrum intelligo. Zar.

Denique, Sarmaticas inter Geticasque sagittas,
His, precor, ut vivas et moriare locis.
Hæc tibi tantisper subito sint missa libello;
Immemores ne nos esse querare tui.
Pauca quidem, fateor; sed Dî dent plura rogatis,
Multiplicentque suo vota favore mea.
Postmodo plura leges, et nomen habentia verum,
Et pede, quo debent acria bella geri.

643. *Pauca quidem, fateor; sed Dî dent plura roganti.*] Scribe *rogatis*, ut sit sensus, Dii plura mala dent tibi, quam in hoc opusculo eos in te rogaverim. Const. Fanens.

646. *Et pede, quo debent acria bella geri.*] Carmine iambico utemur ad maledicentiam proprie, ut in principio docuit poeta, ubi dicit "Postmodo, si perges, in te mihi liber iambus Tincta Lycambeo sanguine tela dabit."

FINIS IBIDIS.

EXCURSUS

IN OVIDII IBIN,

AUCTORE D. SALVAGNIO BOESSIO.

CAPUT I.

MULTOS HUIC POEMATIO MANUS ADMOVISSE: NONNULLA TAMEN IN EO SUPERESSE, QUIBUS ENODANDIS ŒDIPO VEL SIBYLLA SIT OPUS.

QUUM primum animum ad Ovidii libellum in Ibin enarrandum adpuli, nihil mihi prius atque antiquius fuit, quam ut omnium, qui de hoc libello bene meriti essent, Commentarios undique perquisitos evolverem: enimvero plurimi tum nostra, tum patrum et avorum memoria, in hoc poematio, tanquam in Olympico stadio non citra pulveris tactum desudarunt. Quorum vetustior ἄδηλος cæteris facem prætulit; sed " ejus scrinia," inquit Adrianus Turnebus, Adversar. lib. ix. cap. 25. " alii interpretes compilarunt; et scripta, etsi mendosa, unde tamen multa odorari poteramus, suppresserunt." Nos illum tamdiu desideratum in lucem edemus; sed enim, quia fœdis glossematis ac suppositiis auctorum testimoniis inquinatus est, aurum ex ejus stercore colligendum. Anno vero supra millesimum quater centesimo nonagesimo quinto, Domitius Calderinus Veronensis in id toto pectore incubuit; vir quidem plurimæ in litteris industriæ, qui quum Romæ profiteretur, et obscura duriorum poetarum sensa reconditæ lectionis admirabili testimonio dilucidaret, litterarii splendoris assertor, ac omnis obscuritatis illustrator, acclamatus est, uti Paulus Jovius in ejus Elogio prodidit: nec minus vere

Henricus Stephanus Epistola ad Ludovicum Castelvetrum, quæ præfixa est editioni suæ libri Jani Parrhasii de rebus per epistolam quæsitis, " Age, inquit, tu quicumque Beroaldi, aut Domitii scripta non unius assis, præ iis quæ hodie eduntur, æstimanda putas, quid sine Beroaldo, ac Domitio, aliisque hujusmodo magistris scribi ab eorum posteris potuisse arbitraris?" Neque enim solum Domitius hunc Ovidii libellum, sed etiam Ciceronis Epistolas, Martialem, Juvenalem, Papinii Silvas, Suetonium, et quosdam alios scriptores enarravit. Denique tot tantaque edidit, aiebat Egnatius, quot quantaque in hoc genere ad hanc diem nemo. Eo factum est, ut acerbas cum æmulis simultates exercuerit, a quibus piperatis literulis perstrictus fuit, quod sibi comparatam auctoritatem retinere quavis ratione et arte contenderet; atque ita crudos ingenii sui fœtus emittere coactus sit, quibus provectior ætas procul dubio maturitatem attulisset. Quippe " auctoritatis tam magnæ fuit," inquit Angelus Politianus Miscellan. cap. 9. " ut Romæ inter professores juvenis adhuc primam celebritatem sibi vindicaverit, cujus tuendæ ac retinendæ gratia factum compluries putamus, ut in suis operibus frontem perfricuerit, et per æqua, per iniqua famam captans, parum ex fide quæpiam retulerit; nonnulla etiam male solers et præstigiosus speciem quidem primorem veri habentia, magno credentium dispendio sententiis ignorabilibus implicuerit, et pulverem, quod aiunt, oculis offuderit; aut, sicubi major difficultas, nec absistens, nec congrediens spem lectoris eluserit. Ita, dum nescire se nihil probare contendit, etiam Parthis aliquoties et Cretensibus mendacior invenitur." Ideo Raphael Volaterranus, Anthropologiæ, lib. xxi. dignum eum, ut de Cœlio Quintilianus ait, vita longiore, ingenio tamen meliore existimavit. Quum enim trigesimum quartum ætatis annum attigisset, Romæ pestilentia, vel ut Jovius auctor est, febre correptus, obiit. Ille ipse est, quem de sacrificio illo, quod Gregorius Nazianzenus ἀναίμακτον θυσίαν, Synesius τελετὴν ἀπόῤῥητον vocant,

male sentientem politissimus ille Politianus hoc epigrammate facetissime traduxit:

Audit Marsilius Missam; missam facis illam
Tu, Domiti: magis est relligiosus uter?
Quis dubitet? tanto es tu relligiosior illo,
Quanto audire minus est bona, quam facere.

Nolim autem referre, quod de eo Ludovicus Vives, lib. ii. de Veritate Fidei, in hanc rem prodidit, ne pias christiani lectoris aures læserim. Cæterum non multo post eamdem provinciam suscepit Christophorus Zarottus Justinopolitanus, cui transversum unguem a veteris interpretis sententia discedere religio est: qua etiam tempestate, nempe anno millesimo quingentesimo decimo sexto, Andreæ Naugerii Annotationes, de Diversitate Lectionum, in omnia Ovidii opera Venetiis prodierunt. Post paulo, Jodocus Badius Ascensius in Domitii verba juratus, hunc libellum tironibus enarravit. Fuit ille typographus, et in illa tum celeberrima Lutetiæ τῆς οἰκουμένης ἐπιτομῆς Academia, grammatices professor, ubi familiares, ut ipse loquitur, expositiones in auctores, quum veteres, tum recentes, prope innumerabiles edidit. Quin etiam Baptista Egnatius Venetus, vir ætate sua magni nominis, brevibus suis notationibus non parum caliginis inde sustulit. Post illum Guido Morillonus, quem Adrianus Junius virum multijuga doctrina, et omnifaria lectione, atque humanitatis et philosophiæ omnis ἀφροδίτην καὶ χάριτα vocare non dubitavit, cujusque eruditionem Petrus Nannius initio lib. v. Miscellan. magnis laudibus extollit, hoc opusculum extremis digitis attigit. Deinde Jacobus Micyllus Argentinensis, accurato vir ingenio, aliquas observationes addidit, quibus non mediocrem laudem meruit. Hic Micylli nomen retinuit, quod puer scite personam egisset Micylli, unius ex interlocutoribus in dialogo Luciani, qui Ὄνειρος ἢ Ἀλεκτρυών inscribitur: Ovidianorum autem operum recensione, et variis Luciani latine redditis, tum poesi, et duobus arithmetices logisticæ

libris, exemplis admodum utilibus illustratis, nominis sui decus ad posteros propagavit. Heidelbergæ obiit anno 1558. relictis duobus filiis disparis sortis: Julius enim cancellarius fuit Ludovici, electoris Palatini; alter vero sartor erat Heidelbergensis. Tum Franciscus Sanctius Brocensis huic chartæ impalluit, et aliquid in eam non parvi momenti contulit. Accesserunt Gregorii Bersmanni, Constantini Fanensis, et Herculis Ciofani Sulmonensis scholia; eosque secutus est Didacus Mexia Hispalensis, qui apud Mexicanos Indos hoc poemation in Hispanam linguam traduxit, et annotationes vernaculas adjecit, editas Hispali anno 1608. quas humanitati debemus Jacobi Mantelli, hominis exquisita doctrina. Vidimus et quæ Joannes Grejonius, itemque Jacobus Andrevius Lutetiæ, magno discipulorum plausu, dictasse feruntur; hic anno 1584. ille 1571: sed in illis merus Domitius, præterea nihil. Postremo Valerius Andreas Desselius, plurima lectione exercitus, non pœnitendam operam in hac Sparta ornanda collocavit, editis anno 1618. locupletibus notis. Nec sine piaculo præteream Antonium Urceum Codrum, Janum Parrhasium, Angelum Politianum, Andream Alciatum, Baptistam Pium, Paulum Leopardum, Adrianum Turnebum, Josephum Scaligerum, Didacum Covarruviam, Abstemium, Hartungum, Lipsium, Schottum (Jupiter, quos viros!) qui vel in adversariis et Miscellaneis dedita opera, vel in aliis opusculis obiter quosdam Nasonis locos excusserunt, ut vere de hoc poematio dici possit, *Cui non dictus Hylas?* Suppudeat autem, *me quoque principibus permistum agnoscere Achivis,* cui si paterna res administranda foret, ætatis venia non daretur. Et vero post tot eruditionis spectatæ viros in eamdem palæstram descendere, hoc revera est post Roscium in scena velle gestum agere; sed, quia jacta est alea, efficiendum est, ne mihi jure novum opus nuncietur, aut interdicto quod vi. aut clam mecum agi possit. Neminem laude sua fraudabo: nobilis enim mihi semper visa est lex illa Laurentium, NE POMUM EX

ALIENO. Itaque præcipuus hic nobis scopus ob oculos erit, ut quæ obscuriora, nec dum cuiquam explicata sunt, quoad ejus fieri poterit, illustratum eamus. Excusorum etiam librorum maculas manu scriptorum ope, aut certe ipsi de ingenio eluamus. Prima quidem editione Observationum nostrarum difficiliora quædam loca saltuatim selegeramus; planiora, et quæ ab aliis enucleata, silentio transmiseramus: Nunc, hortatu virorum acri judicio, uberiorem et perpetuum Commentarium damus, ne alio quærenda sit fabularum minus obviarum enarratio. Quanquam ne sic quidem nos omnes hujusce libelli salebras explanaturos pollicemur, ut quivis deinceps inoffenso pede quacumque progrediatur: id enim pleniorem, quam ætas nostra ferat, eruditionem postulat. Deinde multa sunt in eo, quæ *nisi Sibylla legerit*, ut ait apud Plautum Pseudolus, *interpretari alium posse reor neminem;* cujusmodi sunt ista:

Aut velut Euryali qui sceptrum cepit ab illo,
Sint artus avidis anguibus esca tui.

Et ista:

Aut pia te cæso dicatur adultera, sicut
Qua cecidit Leucon vindice, dicta pia est.

Item illa:

Æthalon ut vita spoliavit Isidius hospes,
Quem memor a sacris nunc quoque pellit Io.
Utque Melantheum tenebris a cæde latentem
Prodidit officio luminis ipsa parens.

Et similia, quorum interpretatio petenda esset ab illis scriptoribus, qui, temporis injuria amissi, triste nobis et acerbum sui desiderium reliquerunt: hic enim fabulæ quædam sive historiæ tanguntur, quarum apud unum duntaxat auctorem mentio est, quem si forte desiderari contigisset, de earum enarratione procul dubio actum esset. Nimirum Achæi supplicium, cujus meminit Ovidius versu 301. unus Polybius commemorat. Pyrrhi, Achillis filii,

reliquias per Ambraciæ vias disjectas esse, Hygino soli cum Nasone convenit. De Eurydamante a Simone Larissæo circa Thrasylli tumulum raptato, præter Ovidium et Didymum, Homeri Scholiasten ad Iliad. x. nemo quidquam memoriæ prodidit. Thasum etiam a canibus laceratum Naso duntaxat et Hyginus retulerunt. Item carmen 507 ab unico Diodoro illustratur, ut et versus 531 ab epigrammate ἀδήλῳ, lib. iii. Anthologiæ; ut credibile sit, quædam hic esse obvia, quæ si quis alibi quærere velit, operam, credo, omnem luserit. Sic apud Lycophronem, historiæ quædam exstant, quas nemo alius attigit, ut Prylis, Midæ; et vocabula non pauca, quibus præter eum nullus usus est, qualia φύλαμος, λάρις, πέρρα, πτέλας. Ejus tamen Alexandram, sive Cassandram, quamvis tenebricosam, poematio nostro obscuriorem esse Domitius non concedit. Sic enim peroratione Commentariorum suorum: "Lycophronis carmen legimus sæpe, in quo argumento quidem Ovidio grandior, sed verbis apertior nobis videtur; et cæci, qui illum interpretantur, in tanta præsertim librorum copia: non tam enim per conjecturam fabulæ, ut apud illum indagandæ fuerunt, quam colligendæ a diversis auctoribus scriptæ." Quamobrem nemini mirum videri debet, si tot Ovidianæ mentis interpretes in plerisque locis veluti in circo Andabatarum more decertamus. A versu nimirum 255, unde Naso fabulas et historias auspicatur, ad versum 645, qui libelli postremus est, triginta supra ducentas memorantur. Interdum uno disticho tres continentur, interdum quatuor, ut illo:

> Ut fuit Œtæo quondam, generoque draconum,
> Tisamenique patri, Callirhoesque viro;

ita ut Ovidianum hoc poematium fabularum officina vere dici possit. Causa vero a nobis suo loco afferetur, cur Ovidius obscuritati studuerit; sed et ante illum Cinna poeta, Virgilii præconio celebratus, Smyrnam, poema obscurissimum, elaboravit, quod quum vulgo non intelligere-

tur, Crassitius grammaticus Commentario luculento, in ipsum edito, adeo inclaruit, ut hoc epigramma de eo scriptum sit, teste Suetonio, libro de illustribus Grammaticis:

Uni Crassitio se credere Smyrna probavit:
Desinite, indocti, conjugio hanc petere.
Soli Crassitio se dixit nubere velle,
Intima cui soli nota sua exstiterint.

Smyrnam autem novennii opus fuisse Catullus et Quintilianus prodiderunt: quo fortasse respexit Horatius in epistola ad Pisones, quum præcipit, duratura poemata in nonum annum premenda esse. Nec omiserim, antiquissimos poetas de industria obscuritatem affectasse, ut Æschyli scholiastes notavit ad Προμ. δεσμ. his verbis: Οἱ παλαιοὶ τὰ ποιήματα αὐτῶν πρῶτον μὲν αἰνίγμασι γεγράφασιν, ὕστερον δὲ καθόλου φανερῶς ἐχρῶντο τῷ λόγῳ.

CAPUT II.

GERMANUS HUIC OPUSCULO TITULUS ASSERTUS.

ANTVERPIENSIS editio arida, modo pumice Valerii expolita, hoc titulo circumfertur, P. Ovidii Nasonis Diræ in Ibin, quemadmodum egregium illud poemation, cujus autorem esse Valerium Catonem grammaticum perspicaciores existimant. Verum ne Dii sinant, ut ab epigraphe recepta deflectamus, nisi libros omnes tum excusos, tum exaratos valere jubeamus: nisi denique Nasoni ipsi affingamus, qui se hoc opusculum, Libellum in Ibin inscripsisse liquido testatur ver. 51, in hunc modum:

Et neque nomen in hoc, nec dicam facta libello;

iterum versu 461:

Hæc tibi tantisper subito sunt missa libello;

qua dictione poematia quæque proprie designantur. Sic enim Ausonius Griphum suum de Ternario numero indigi-

tat: "Latebat inter nugas meas libellus ignobilis;" paulo post: "Igitur iste nugator libellus tamdiu secreta quidem, sed vulgi lectione laceratus, pervenit tandem in manus tuas." Idemque Protrepticon suum de puerili studio libellum nominat epistola ad Hesperium: "Libellum, quem ad nepotulum meum, sororis tuæ filium, instar Protreptici luseram, venturus tibi præmisi legendum." Sic etiam Papinius Silvulas suas Libellos adpellat, Præfatione, lib. i. ad Stellam; rursus, Præfat. lib. ii. ad Meliorem Atedium; iterum, Præfat. lib. iii. ad Pollium; et lib. iv. Hendecasyl. ad Plotium. Quin etiam jurisconsulti ea carmina, quibus alicujus fama proscinditur, cujusmodi sunt ista Ovidiana, famosos libellos vocant. Hæc autem minora fortasse videbuntur, quam ut animadversione digna essent. Parum enim reipublicæ literariæ interest *Diræ* ne, an Libellus hoc poemation inscribatur: verum legitimam scriptionem, atque ipsam Nasonis manum immutare nulli per me licebit. Ut ut sit, Nasonis votum omne in malis, monstris, morbis, exsiliis, suppliciis, plagis, mortibus, cujusmodi carmen *diras* appellabant, quod illæ scilicet ultrices Deæ putarentur, quarum numina precibus in hostium, aut inimicorum perniciem evocarentur. Priscum illud quidem, atque in scenis primum agitatum, mox ad recentiorum animos accommodatum, ut observatum est a Julio Scaligero, Poetices lib. i. cap. 53. Exornatur autem, ut ipse ait, sententiis non vulgaribus, et variis historiarum ambagibus, qualia scripsit Ovidius in Ibin. In Horatii Epodo aliquid imaginis est: expressior apud Catullum in Ariadnæ conquestione, et in quarto Æneidos. Item quæ fundit Statianus Œdipus, sumpta de Græcis tragicis, ut et Senecæ Theseus ex Euripide.

CAPUT III.

ARGUMENTUM LIBELLI. QUARE CALLIMACHUS APOLLONIUM IBIDIS NOMINE DEVOVERIT, CONTRA MINUTIANI, ALCIATI, BISCIOLÆ, ET ALIORUM SENTENTIAM. JOANNIS MEURSII LAPSUS. PHILIPPICÆ. ALIA SCITU DIGNA.

OVIDIUS hoc libello nescio quem sub Ibidis nomine graphice exornatum Diris devovet: causa triplex ab ipsomet affertur. Ibis Ovidii nomen ubique maledictis lacerabat, ipsumque in invidiam atque odium apud Augustum vocabat, quo diutius Tomis exsulantem remoraretur; tum ejus uxorem importune sollicitabat. Præterea Ovidii fortunis inhians, ipsum ad extremam inopiam redigere conabatur. Omne votum in suppliciis et mortibus, ut modo dicebam; idque Callimachi imitatione, qui in Apollonium Rhodium, Argonauticorum scriptorem, Ibidis nomine notatum, libellum scripsit, de quo Suidas in Καλλίμαχος. *Ἔστι δὲ ποίημα ἐπιτετηδευμένον εἰς ἀσάφειαν καὶ λοιδορίαν, εἴς τινα Ἶβιν, γενόμενον ἐχθρὸν τοῦ* Καλλιμάχου· *ἦν δὲ οὗτος Ἀπολλώνιος, ὁ γράψας τὰ Ἀργοναυτικά.* "Est autem poema de industria compositum obscure, continens contumeliosam insectationem in quemdam Ibin, qui fuerat inimicus Callimachi: erat autem hic Apollonius, ille qui Argonautica scripsit." Quare dejerare ausim Callimachi manes, eundem Apollonium esse, quem ille hymno *εἰς Ἀπόλλωνα*, ipsam invidiam *αὐξητικῶς* appellat his versibus:

Ὁ φθόνος Ἀπόλλωνος ἐπ' οὔατα λάθριος εἶπεν·
Οὐκ ἄγαμαι τὸν ἀοιδὸν, ὃς οὐδ' ὅσα πόντος ἀείδει.
Τὸν φθόνον Ὠπόλλων ποδὶ τ' ἤλασεν, ὧδε τ' ἔειπεν·
Ἀσσυρίου ποταμοῖο μέγας ῥόος, ἄλλα τὰ πολλὰ
Λύματα γῆς καὶ πολλὸν ἐφ' ὕδατι συρφετὸν ἕλκει.
Δηοῖ δ' οὐκ ἀπὸ παντὸς ὕδωρ φορέουσι Μέλισσαι,
Ἀλλ' ἥτις καθαρή τε καὶ ἀχράαντος ἀνέρπει,
Πίδακος ἐξ ἱερῆς ὀλίγη στιβὰς, ἄκρον ἄωτον·
Χαῖρε ἄναξ· ὁ δὲ Μῶμος, ἵν' ὁ φθόρος, ἔνθα νέοιτο.

Quos quum alii totidem Latinis expresserint, quid impedit, quominus et nos id tentemus? interdum enim Latias Musas nostras inter Græcas luxuriari sinimus:

> Livor Apollineas occulte dixit in aures:
> Non miror vatem, qui non canit æquoris instar;
> Livorem pepulit simul ille, simulque locutus.
> Assyrius late fluit amnis, at ille palustris
> Illuviem terræ sordesque volutat in undis.
> Non quovis Cereri libant e fonte Melissæ,
> Sed qui limpidus est, et limi prosilit expers,
> Sacro fonte latex parvus, flos summus aquarum.
> Salve, rex, abeat quo crux erit invidus ille.

Causam autem profert Nicodemus Frischlinus in vita Callimachi græce conscripta: Εἰς ὃν καὶ ποίημα ἐπιτετήδευκε διὰ τὸ προσποιητικὸν ἐκεῖνον εἶναι τῶν Καλλιμάχου βιβλίων, καὶ ἀλλοτρίων πόνων ὠνόμασε δ' αὐτὸν κρυπτικῶς Ἶβιν, ὡς καὶ Νάσων ὁ ποιητὴς οὕτω πως μαρτυρεῖ. "In hunc Callimachus, quod suos ille libros sibi arrogaret, et alienos labores pro suis venditaret, maledicum carmen edidit, ipsumque Apollonium suppresso nomine Ibin nominavit, quemadmodum Ovidius testatur." Hæc ille, quod apud alium notæ melioris auctorem non memini me legere, nisi quod hunc versum, qui apud eumdem Apollonium exstat, Argonaut. lib. i. pag. 64. editionis Stephaneæ,

Καὶ τὰ μὲν ὡς ἤμελλα μετὰ χρόνον ἐκτελέεσθαι,

Callimachi versum esse ab Apollonio usurpatum, vetus ipsius Apollonii scholiastes asserit. Nicodemum autem Frischlinum quum in testimonium adduxi, miseret me acerbissimi ejus fati: nam, quum ob ea, quæ ore nimis libero effutiisset in viros nobilissimos, Moguntiæ in carcerem conjectus esset, indeque deductus foret in Wurtembergici soli arcem Hohenauracensem: quo captivitatem effugeret, pannos discidit, ut, his colligatis, se demitteret; sed hujusmodi funis perfidia in alias aliasque petras præ-

ceps datus, confractis membris expiravit. Cæterum Callimachus Apollonium Ibidis nomine, quæ est avis Ægyptia, notum esse voluit, non propter ejus spurcitiam, cui rostri aduncitate per eam se partem proluere insitum est, qua redduntur ciborum onera, ut Minutianus grammaticus apud Cœlium Rhodiginum, Antiq. Lection. lib. xiii. cap. 1; Alciatus, Emblemate 86; Zarottus, et plerique grammaticorum existimant; nec etiam, quod libellus Callimachi diris et exsecrationibus esset refertus, quæ serpentium instar, quibus Ibis vescitur, Apollonium morderent ac lacerarent (quæ sententia est Lælii Bisciolæ in Horis Subsecivis, lib. v. cap. 18:) sed ut Apollonius, qui Alexandrinus erat, aliqua ex parte indicaretur. Quamvis enim Rhodius diceretur, Alexandrinum tamen fuisse prodidit Strabo, lib. xiv. pag. 45. editionis a Casaubono recognitæ, his verbis: Διονύσιος δὲ ὁ Θρᾷξ, καὶ Ἀπολλώνιος ὁ τοὺς Ἀργοναύτας ποιήσας, Ἀλεξανδρεῖς μὲν, ἐκαλοῦντο δὲ Ῥόδιοι. "Dionysius vero Thrax, et Apollonius, Argonauticorum conditor, Alexandrini quidem fuerint, sed nominati sunt Rhodii." Ἀπολλώνιος Suidas: Ἀλεξανδρεὺς ἐπῶν ποιητὴς διατρίψας ἐν Ῥόδῳ, υἱὸς Σιλλέως. Item anonymus auctor, qui scripsit γένος Ἀπολλωνίου τοῦ Ῥοδίου· quanquam Ælianus, de Animalibus, lib. xv. cap. 23. eum Naucratitam facere videtur. Sed utcunque est, Ægyptus patria fuit: Naucratis enim urbs est Ægypti. Quamobrem longe fallitur Joannes Meursius, qui, *Syntagmate de Apolloniis*, pro diversis habet Rhodium et Alexandrinum, Sillei filium, qui Eratostheni in Alexandrinæ bibliothecæ præfectura successit. Ovidius autem, Callimachi exemplo inimicum suum Ibin appellasse videtur, quemadmodum Tullius Orationes suas in Antonium, Demosthenis imitatione, Philippicas inscripsit, uti etiam Trogus Pompeius historias suas, æmulatione Theopompi, qui Philippicas scripserat. Sed magis est ut credam Nasonis adversarium Ibidis nomine designatum, quod is revera Ægyptius esset, qua de re sequenti capite disseremus: nam et Aristophanes in Avibus Lycurgum Ibin nominavit, propterea

quod genere et moribus Ægyptius esset, ut vetus Aristophanis scholiastes exponit.

CAPUT IV.

IBIDIS NOMEN CONJECTURA PERQUISITUM, FORTE COMPERTUM.

NASCITUR sua sponte obscuritas ex istis privatarum rerum historiis, quibus etiam Naso dedita opera tenebras effundit, ut arduum sit, tam densis nebulis veri scintillam exsculpere. Ego tamen, incusso ad illum tenebricosæ vetustatis pyriten chalybe, non mediocrem lucem expressurum me confido. Sed, antequam sententiam roger, operæ pretium est veterem grammaticum audire, qui, teste Cœlio Rhodigino, Antiq. Lect. lib. xiii. cap. i. Corvinum esse prodidit, quem hic Naso sale et resina confricat. Ejus verba sunt: "Illud obiter adnotarim, in Cæcilii Minutiani Apuleii Fragmentis observatum, annis septem in exsilio, consumptis functum esse fato Ovidium, qua die Titus quoque Livius decesserit; structum item illi a Barbaris per multas lacrymas tymbon ante januam. Auctor idem Minutianus est, Corvinum ab Ovidio adpellatum fuisse Ibin, ex avis fœditate, cui ventrem rostro purgare insitum sit, et hoc ex Callimachi imitatione: pulsum quoque in exsilium, quod Augusti incestum vidisset." Hæc ille, quorum fides esto penes auctorem, qui nondum lucem vidit, unique Cœlio Rhodigino notus fuit, uti jam antea pronuntiavit Lilius Gyraldus, de Poetarum historia, Dialog. 4. An Corvinus, quisquis ille fuerint, in Libya natus est, ubi scilicet Ibin natales habuisse declarat Ovidius in his:

> Qui simul impuræ matris prolapsus ab alvo est,
> Cinyphiam fœdo corpore pressit humum?

Item vers. 513. ubi leænas, quibus scatet Africa, Ibidis populares vocat. Verum enim vero, si conjecturæ locus detur, dicam quid ego sensero, et, ut apud Plautum Trachalio, *promittam capillum, incipiamque hariolari.* Neque enim cymbalum illud mundi Appionem grammaticum imitandum mihi proposui, qui teste Plinio, lib. xxx. cap. 2. prodidit, se evocasse umbras ad percontandum Homerum, qua patria, quibusve parentibus genitus esset; non tamen ausum profiteri, quid sibi respondisset. Non Georgium Joachimum Rheticum, Copernici discipulum, quem ferunt, dum in motu Martis hæreret mirabundus, neque se explicaret, ad Genii familiaris oraculum confugisse: atque hinc exasperatum Dæmona sciscitatoris importuni caput ad imminens laquear afflixisse, iterumque dimissi corpus ad pavimentum proturbasse, addito responso; hunc esse motum Martis, ut refert Joannes Keplerus, epistola dedicatoria ad Rudolphum imperatorem. Tota res conjecturis peragetur. Itaque suspicor C. Julium Hyginum esse, quem Ovidius ficto nomine Ibin appellat. Illum inquam, de quo Suetonius, libro de Illustribus Grammaticis, retulit in hæc verba: "Caius Julius Hyginus, Augusti libertus, natione Hispanus, etsi nonnulli Alexandrinum putant, et a Cæsare puerum Romam advectum Alexandria capta, studiose et avide imitatus est Cornelium Alexandrum, grammaticum græcum, quem propter antiquitatis notionem Polyhistorem multi, quidam Historiam vocabant. Præfuit Palatinæ bibliothecæ, nec multo secius plurimos docuit, fuitque Ovidio poetæ familiarissimus, et Caio Licinio consulari historico, qui eum admodum pauperem decessisse tradit, et liberalitate sua, quoad vixit, sustentatum. Hujus libertus fuit Julius Modestus, in studiis atque doctrina vestigia patroni secutus." Hæc ille, cujus verba diligenter et acri judicio perpensa non levem suspicioni meæ ansam præbere videntur. Quum enim Hyginum Ovidio familiarissimum fuisse dicit, ubi modo vel in omnibus utriusque monumentis tantæ necessitudinis vestigium exstat? Ovidius ad uxo-

rem, ad Carum, ad Perillum, ad Brutum, ad Maximum, ad Rufinum, ad Græcinum, ad Messalinum, ad Severum, ad Flaccum, ad Germanicum, ad Solanum, ad Atticum, ad Cottam, ad Cotim, ad Suillium, ad Albinovanum, ad Gallionem, ad Tuticanum epistolas mittit, ad Hyginum vero nullam. An forte ille est ad quem suppresso nomine toties scribit? neutiquam. Hyginum enim admodum pauperem decessisse Tranquillus ait; alterum divitem, atque opibus abundantem fuisse, Naso diserte prodidit his versibus, quos ad amicum mittit, cujus nomen consulto præterit, Tristium, IV. El. v:

O! mihi dilectos inter sors prima sodales,
Unica fortunis ara reperta meis;
Cujus ab adloquiis anima hæc moribunda revixit,
Ut vigil infusa Pallade flamma solet;
Qui veritus non es portus aperire fideles,
Fulmine percussæ confugiumque rati;
Cujus eram censu non me sensurus egentem,
Si Cæsar patrias eripuisset opes.

Deinde in ea epistola uxor, liberi et frater ejus, ad quem scripta est, commemorantur, quorum Suetonius, cæteroqui non omissurus, nullam mentionem habet. Unum autem et eumdem esse animadverto, ad quem Ovidius tacito nomine literas iterum atque iterum dedit. Ipsemet enim testis est, de Ponto, lib. iii. Eleg. 6. ubi familiarem quemdam his verbis adloquitur:

Ipse ego, quod primo scripsi sine nomine vobis,
Vix excusari posse mihi videor.

Una tamen est quæ ad Hyginum scripta videtur, nempe tertia, de Ponto, lib. iv. amicum enim quemdam taxat, et cum nota levitatis inurit, quod, quum a teneris annis secum arctissimo necessitudinis vinculo junctus fuerit, tandem in adversa fortuna non modo eum deserat, sed nequidem cognovisse simulet. Ejus est initium, *Conquerar, an taceam?* Qua quidem epistola facile crediderim

eumdem ab Ovidio notari, in quem ipse nunc invehitur; nam quod ait:

. . . . Sed et insultare jacenti
Te mihi, nec verbis parcere fama refert;

repetere videtur in Ibin, hoc modo:

Vulneraque immitis requiem quærentia vexat,
Jactat et in toto verba canina foro;

et paulo post:

At tibi, calcasti qui me, violente, jacentem,
Qua licet, heu! misero debitus hostis ero.

Hanc autem elegiam in Hyginum conscriptam esse verisimile est, quum enim inquit:

Ille ego sum, quanquam non vis audire, vetusta
Pæne puer puero junctus amicitia.

Dixit *pæne*, quia, teste Suetonio, Hyginus Alexandria puer advectus erat, et Ovidio familiarissimus fuit. Rursus ubi sic:

Ille ego judiciis unica Musa tuis.

Illum apprime literatum, atque etiam criticum esse innuit, qualem fuisse constat Hyginum, cujus in Virgilium Commentaria laudantur ab A. Gellio. Jam vero quum nullam apud Ovidium apertis verbis Hygini mentionem fieri liqueat, subortum equidem inter ipsos dissidium suspicari licet, quod Hyginus Ovidii exsulantis uxorem, ob pristinam cum illo consuetudinem procul dubio sibi notissimam, sollicitare ausus esset, ejusque facultates ab Augusto, cujus libertus erat, impetrare conaretur. Proinde Naso jure in ipsum invectus, Callimachum imitari voluit; scilicet ut ille Apollonium, quod Alexandrinus esset, Ibin adpellavit, ipse pariter Hyginum, qui a nonnullis Alexandrinus habitus est, Ibin vocitaret. Advertendum præterea, quod

Ibidi cum Nasone jus arctum necessitudinis intercesserat, ut ex his liquido patet:

Desinet esse prius contrarius ignibus humor,
Junctaque cum Luna lumina Solis erunt.

Deinde post ἀδύνατα multa,

Quam mihi sit tecum, positis quæ sumpsimus armis,
Gratia, commissis, improbe, rupta tuis.

Hoc est plane quod de Hygino Suetonius testatum reliquit. Postremo quum ille Hyginum admodum pauperem decessisse tradit, conjectura mea mirum in modum confirmatur; Ibidis enim paupertatem Ovidius ipse innuit, hac imprecatione, quam Domitius non percepit:

Filius et Cereris frustra tibi semper ametur,
Destituatque tuas usque petitus opes.

Nasonum enim votum est, ut Plutus, Cereris et Iasii filius, qui divitiarum Deus ab antiquis habitus est, molestas Ibidis preces nunquam exaudiat, eumque semper inopia laborare sinat. Is est autem, cujus mythologici libri omnium manibus triti supersunt, ut merito fabulis suis, quasi propriis armis, jugulari videatur. Annon mirifice omnia conveniunt? Cæterum disticho superius adducto Cinyphius, id est, Africanus a Cinyphe, Libyam alluente, nominatur, quomodo Juba, Mauritaniæ rex, ab eodem Nasone, Metamorphoseon, lib. v.:

..... Numidasque rebelles,
Cinyphiumque Jubam;

et Bocchus a Sidonio Panegyrico Majoriani:

..... Cum divite cera
Pinges Cinyphii captiva Mapalia Bocchi.

Hinc Hesychius Κινύφιον, inquit, τὸν Ἀνταῖον ἀπὸ Κινύφου τοῦ ποταμοῦ, tametsi constet, regiam Antæi ad extremum Oceanum fuisse: unde apparet, Cinyphium generaliter sumi pro Libyco, more scilicet poetarum, quibus usitatum pecu-

liari unius loci nomine totam designare provinciam. Neque vero refert quod Ibis, licet Ægyptius, ad Cinyphem editus fingatur: poetæ siquidem non semel regionum nominibus propter viciniam abutuntur. Sic enim Claudianus, et ipse Alexandrinus, qui uxorem in patria duxerat, Libyæ appellatione usus est; idemque Pelusiacus et Canopicus a Sidonio dictus est, quum tamen Alexandriæ natus esset; sic Ausonius scribens in Monosyllabis:

Threicium, Libycum freta, Cimmeriumque ferat bos.

Per *Libycum* intelligit Ægyptum, ut Scaliger observavit. Sic Persa pro Medo et contra: sic in Catalectis Gallus pro Britanno, propter utriusque gentis vicinitatem. Ita, quoniam Hadriaticum mare Ionio conjungitur, κατὰ μετάδοσιν τοῦ ὀνόματος Ionium appellatur, et Ionium vicissim Hadriaticum, ut Apollonii Scholiastes ad Argonaut. lib. iv. et Eustachius ad Dionysii Periegesin notant. Ovidius autem quo στοματομολυνσίαν Ibidi suo exprobraret, juxta Cinyphem natum fingere mihi videtur, ubi procerissimi nascuntur hirci, qui inde Cinyphii dicuntur Silio, lib. iii; Martiali, lib. vii. Epigrammate in Linum; item Virgilio, Georg. lib. iii. quum ait:

Nec minus interea barbas, incanaque menta
Cinyphii tondent hirci.

Sed hæc hactenus quæ pro compertis non tradimus, donec super iis habita sint doctiorum comitia.

FINIS EXCURSUS IN OVIDII IBIN.

FRAGMENTA

PUBLII OVIDII NASONIS.

EX MEDEA.

QUINTILIANUS, lib. viii. cap. 5: Nam quum sit rectum, nocere facile est, prodesse difficile, vehementius apud Ovidium Medea dicit:

Servare potui, perdere an possim rogas?

Item,

Feror huc illuc, ut plena Deo.
SEN. Suasor. iii.

EX EPIGRAMMATIS.

Cur ego non dicam, Furia, te furiam?
FAB. lib. ix. cap. 3.

Item,

Ride, si sapis, o puella! ride.
Pelignus, puto, dixerat poeta.
MART. lib. ii. Epig. 41.

Item,

Larte ferox cæso Cossus opima tulit.
PRISC. lib. v.

EX PHÆNOMENIS.

Tot numero, talique Deus simulacra figura
Imposuit cælo: perque atras sparsa tenebras
Clara pruinosæ jussit dare lumina nocti.
LACTANT. lib. ii. de Orig. Err. cap. 5.

Pleiades ante genu septem radiare feruntur,
Sex tantum apparent: sub opaca septima nube est.
PRONUS, in Georgica Virgilii, in cujus vulgatis libris hi versus depravatissimi leguntur.

In Priapeiis quædam Ovidii (vid. Bart. ad Statium, i. Theb. 229.) exstare, eruditi arbitrantur. Ex illo certe, cujus initium, *Obscure poteram tibi dicere*, Seneca pater, lib. i. Controvers. 2. hunc versum adducit:

> Dum timet alterius vulnus inepta loci.

Servius, in Georg. iv. ubi agit de Eurydice, citat ex Ovidio,

> Bis rapitur, vixitque semel,

quod in auctore nostro nunc nusquam comparet.

Scholiastes vetus Horatii ad lib. ii. Od. 5: "Gyges nomen pueri ex insula Cnido Veneri sacra; hujus autem pueri pulchritudinem laudat etiam Ovidius." Atqui in iis, quæ exstant, laudat nullibi.

Quintilianus, lib. xii. cap. 10: "Sed evanescunt hæc, atque emoriuntur comparatione meliorum, ut lana tincta fuco citra purpuram placet: at si contuleris eam lacernæ, conspectu melioris obruatur, ut Ovidius ait." Quæ nullo negotio in metrum redacta iambum tragicum efficient, et duos hendecasyllabos:

> Ut lana tincta purpuram citra placet:
> At si contuleris eam lacernæ,
> Conspectu melioris obruatur.

In Notis enim ad Epist. 7. communem esse ultimam in *contuleris*, *dederis*, *credideris*, et similibus syllabam monemus.

Seneca, Controvers. 10. ex declamatione Ovidii quadam hæc producit: "Quicquid laboris est, in hoc est, ut uxori virum, et viro uxorem diligere concedas. Necesse est deinde, jurare permittas, si amare permiseris. Quod habuisse nos jusjurandum putas? tu nobis religiosum nomen fuisti. Si mentiremur, illa sibi iratum patrem invocavit, ego socerum. Parce, pater; parce, socer; non pejeravimus. Ecce objurgator noster, quam effrænato amore fertur! quanquam esse filiam preceris; carum quidem,

quod illum ab indulgentia sua avocet. Di boni! quomodo hic amavit uxorem? amat filiam, et abdicat: dolet periclitatam esse, et ab eo abducit, sine quo negat se posse vivere: queritur periculum ejus, qua pæne caruit hic, qui amare caute jubet. Facilius in amore finem impetres, quam modum: tunc hos ponis terminos, ut nihil faciant, nisi considerate; nihil promittant, nisi ut jus facturi; omnia verba ratione et fide ponderent? Senes sic amant. Pauca nosti, pater, crimina: et litigavimus aliquando, et decidimus; et fortasse, quod non putas, pejeravimus. Quid ad patres pertinet, quod amantes jurent? si vis credere, nec ad Deos pertinet. Non est quod tibi placeas, uxor, tanquam prima peccaveris: periit aliqua cum viro, periit aliqua pro viro; illas tamen omnis ætas honorabit, omne celebrabit ingenium. Fer, socer, felicitatem tuam; magnum tibi quam parvo constat exemplum! in reliquum diligentiores facti sumus: errorem nostrum confitemur: exciderat jurantibus, esse tertium qui magis amaret: sic, Dî, sit semper. Persevera, socer; recipe filiam: ego, qui peccavi, pœna dignus sum. Quare, uxore necata, socero causa sim orbitatis? Discedam e civitate; fugiam; exsulabo: utcunque potero, desiderium misera et crudeli patientia perferam. Morerer, si solus moriturus essem."

In codice poematiorum veterum longe antiquissimo, quem apud V. C. Petrum Scriverium vidi, Ovidio hoc epigramma ineditum adscribebatur:

Jam nitidum liquidis Phœbus jubar intulit undis,
  Emeritam renovans Tethyos amne facem.
Astra subit niveis Phœbe subvecta juvencis,
  Mitis et æthereo labitur axe sopor.
Adludunt teneri tremulis cum matribus agni,
  Lacteolasque animas lacteus humor alit.

In eodem codice argumenta librorum Virgilianorum nostro etiam adscribebantur, ut et in multis aliis exemplaribus vetustis, quæ vidi: sed perperam. Denique in antiquo

libro Georgii Fabricii, hoc epigramma de Lucretia Nasonis nomen ostentabat:

Quum foderet ferro castum Lucretia pectus,
Sanguinis et torrens egrederetur, ait:
Procedant testes me non placuisse tyranno,
Ante virum sanguis, spiritus ante Deos.

Sed jam satis: nam illas ineptissimorum hominum de Pulice, Philomela, et his similes nugas quis Ovidio adscribi patienter aut æquo animo ferat? Carmen etiam panegyricum ad Pisonem ad alia jam castra jure optimo transivit.

FINIS FRAGMENTORUM.

MAR

PLEASE DO NOT REMOVE
CARDS OR SLIPS FROM THIS POCKET

UNIVERSITY OF TORONTO LIBRARY

PA
6519
A2
1825
V.5